CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

Aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS III

IN

LIBROS PROPHETICOS

IV

DANIEL PROPHETA

LAMENTATIONES ET BARUCH

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

DANIELEM PROPHETAM

LAMENTATIONES ET BARUCH

AUCTORE

IOS. KNABENBAUER, S. I.

Cum approbatione Superiorum



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1891

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS

IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS

AD · SANCTORVM · PATRVM

ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM

IVNIORVMQVE · INTERPRETVM

NORMAM · EXACTOS

ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT

RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS

AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI

SVMMO · ATQUE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI

QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS

ID · QVIDQVID · EST · OPERIS

NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT

PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT

SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA

ADDICVNT · DEVOVENT

SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE

SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI

PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Danielem Prophetam, Lamentationes* et *Baruch,* auctore P. Iosepho Knabenbauer, S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis die 13 Iunii 1890.

Ant. M. ANDERLEDY
Praep. Generalis S. I.

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 21 Iunii 1890.

† FRANCISCUS, Card. Richard
Archiepiscopus Parisiensis.

LEGENTIBUS S.

Cum commentarius in Danielem esset fere typis descriptus, nactus sum partem priorem commentarii in Danielem quam edidit *J. Fabre d'Envieu :* Le livre du prophète Daniel traduit d'après le texte hébreu, araméen et grec... tome second : traduction et commentaire. Première partie : chap. I, I bis (i. e. vulg. 13), II, III, IV, V (i. e. vulg. 5), V bis (i. e. vulg. 14), VI et VII. Paris 1890. Pariter eodem tempore in manus mihi incidit nova quaedam versio variarum inscriptionum cuneiformium : Keilinschriftliche Bibliothek; Sammlung von assyrischen und babylonischen Texten in Umschrift und Uebersetzung.... herausgegeben von *Eberhard Schrader,* Band III 2. Haelfte; Berlin 1890. Quae mihi adnotanda videbantur, ne quid merito desideraretur, pro temporis brevitate adscripsi ad calcem commentarii p. 355 apponens *addenda.* De primo tomo a *Favre d'Envieu* edito egi p. 61 et quae ibi de eius copia et eruditione dixi etiam de commentario merito laudantur.

In commentario Danielis tria praeprimis praestanda esse mihi erat persuasum; scil. librum ad tempus machabaicum nullo pacto referri posse; quartum regnum de quo Daniel agat esse romanum et celeberrimum vaticinium 9,24-27 ita esse explicandum, ut quae prophetae ante Danielem de Messia eiusque regno vaticinati sint accurate ob oculos habeantur; eo enim modo facile parari viam qua verus oraculi sensus deprehendatur.

Scribebam in collegio Ditton Hall, prope Widnes in Anglia, die 21 oct. 1890.

I. Kn.

COMMENTARIUS

IN

DANIELEM

PROLEGOMENA

I. — De Daniele eiusque munere.

Daniel דָּנִיֵּאל (Dan. 1,6 etc. et ita idem nomen scribitur 1 Chron. 3,1. Esdr. 8,2. Neh. 10,7) et דָּנִאֵל (Ez. 14,14. 20; 28,3) explicatur vel iudex Dei i. e. qui Dei nomine ius dicit (*Gesenius*, Thes. p. 336) vel Deus iudex est (*Fürst;* ita ut י sit compaginis) vel iudex meus est Deus vel vindex meus, defensor meus est Deus (cf. *Vigouroux,* Manuel bibl. 3 ed. II p. 604; *Trochon, Cornely,* Introd. II 2 p. 468; *Keil, Meinhold* etc.). Quae ultima explicatio maxime probanda esse videtur; prima enim adeo singularis est ut ex solo iudicio Susannae commode explicetur; sed nomen hoc ei inditum esse ab illo eventu nullo modo constat; immo ex 1,6 sequi omnino videtur eum hoc nomine a puero esse vocatum; adde eam explicationem veram esse debere quae aliis quoque eiusdem nominis convenire possit. Demum haec interpretatio similis est aliis notionibus quibus nomina virorum designari solent: Isaias Iahve est salus, Ezechiel Deus confortat etc.

Haud raro existimatum est Danielem ex genere regio esse ortum; ita Iosephus (Antiq. 10,10. 1) ἐκ τοῦ Σεδεκίου γένους eum fuisse scribit; ad regiam familiam eum accensent Sanctius, Cornelius a Lapide, Rohling, Kaulen aliique; unica ratio quae afferri potest colligitur ex Dan. 1,3. 6: ad regium enim ministerium erudiendi sunt aliqui de filiis Israel et de semine regio et tyrannorum i. e. principum vel nobilium; inter quos de filiis Iuda fuerunt Daniel et tres eius socii; ad quem locum Rohling monet Danielem primo loco nominari, proinde eum probabilissime ad semen regium pertinere. At rem esse incertam ipso loquendi modo suadetur, cum solum filiis Iuda accenseatur. Filii autem Iuda quia antea de filiis Israel i. e. de Iudaeis generatim dictum est — nam expeditio illa Nabuchodonosor regis contra regnum iudaicum urbemque Ierusalem facta est — intelliguntur ii hoc loco qui de tribu Iuda originem ducunt. Quare id unum certo efficitur Danielem ex nobiliore quadam familia ortum esse. Eius autem sociorumque pietate ostenditur illis tristibus temporibus, cum de singulis regibus dicatur: et fecit malum coram Domino (4 Reg. 23,32 de Ioachaz; 23,37 de Ioakim;

24,9 de Ioachin; 24,19 de Sedecia), tamen etiam inter principes non omnino eos defuisse qui vestigia pii regis Iosiae et eius exemplum pia recordatione imitarentur. Nam Danielem eiusque socios piorum parentum exstitisse pios filios merito supponimus.

Anno tertio Ioakim regis Iuda Nabuchodonosor expeditionem suscepit contra Nechao regem Aegypti (vide ad 1,1); anno quarto pugna ad Charcamis facta (Ier. 46,2) Ierusalem expugnavit et regem Ioakim sibi subiecit (4 Reg. 24,1). Tamquam spolia abstulit partem vasorum domus Dei; captivos quoque Iudaeos Babylonem deducendos amicis suis eum commendasse, cum ipse nuntio de patris morte audito celerrime Babylonem reverti cogeretur, Berossus narrat (cf. Iosephus, contra Ap. 1,19. 20. Antiq. 10,11. 1; Eusebius, Praep. ev. 9,11. 40). Iuvenes autem nobiles ex familia regia et ex genere principum tamquam obsides esse Babylonem deductos probabile videtur. Quam benigne autem habiti sint, ex eo elucet quod eis rex de mensa sua cibos statuebat et quod in aula regia ad ministerium regium eos educari et in scientia Chaldaeorum erudiri iubebat. Inde facile concludere licet etiam alios captivos bene esse habitos; id quod ex eo quoque apparet quod Ioakim, vir Susannae, satis dives erat et Iudaei suis moribus ac legibus per iudices de populo suo regebantur (Dan. 13,1 seq.); idem consequitur ex monitione Ieremiae: aedificate domos, plantate hortos etc. (29,5). Nam si Nabuchodonosor post rebellionem Ioakim regis eos adeo benigne habuit quos bello ad eam rebellionem regis foedifragi puniendam suscepto captivos fecerat, certo non erat deterior sors priorum quos ante rebellionem abduxerat.

Daniel in aetate satis iuvenili Babylonem pervenit. Id colligitur quia iis accensetur qui in aula regia erant educandi; eos autem pueros fuisse circa 15 annos natos etiam propterea probabile videtur, quia in aula regum Persarum pueri annorum 14 erudiri solebant ut annos nati 17 regi assisterent et ministrarent. Vixit Daniel saltem usque ad annum tertium Cyri post expugnationem Babylonis i. e. usque ad annum 535 a. Ch.; annus enim ille quo Cyrus Babylonem occupavit i. e. 538 vocatur in inscriptionibus cuneiformibus annus initii dominationis Cyri regis Babylonis (sanat ris sarrûti Kuras sar Bâbilu) et annus demum subsequens vocatur annus primus Cyri regis Babylonis. Si igitur idem computandi modus apud Danielem servatur, Daniel anno 535 a. Ch. praeclaram illam visionem habuit, de qua 10,1-12,13 agitur. Fluxit itaque annus septuagesimus ex quo Babylone commorabatur, ex quo tempore simul sequitur eum in aetate satis iuvenili esse Babylonem perductum.

Verum in corpore iuvenili viguit animus maturus ac strenuus. In aula

regia statim insigne edidit pietatis ac religionis documentum; cibos lege mosaica prohibitos tangere noluit et ut omne legis violandae periculum declinaret, legumina ad vescendum et aquam ad bibendum postulavit atque ad eandem religiosam observantiam etiam tres socios induxit. Danielem enim eo in consilio primas egisse partes elucet ex 1,8 : proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis etc. Certe magnae laudi vertitur Ezechieli quod Domino dicere potuit : anima mea non est polluta et non est ingressa in os meum omnis caro immunda (Ez. 4,14); sed Ezechiel versabatur inter suos, quare facilius erat evitare comminationem illam ab Osee iam praedictam fore ut apud Assyrios pollutum comederent (Os. 9,3). At maiore laude digni sunt Daniel et tres eius socii qui non inter suos, sed inter aulae illecebras et luxuriem eam sibi imponebant abstinentiam et epulis deliciarum plenis contemptis victu communi ac modico vivere malebant. Neque piis adolescentibus deerat liberalitas Dei. Ita enim iis benedixit, ut et corpore evaderent prae aliis saniores venustioresque omnesque aequales sapientia et scientia longe superarent. Cum enim post tempus constitutum coram rege specimen cognitionis et doctrinae iis esset edendum, rex invenit in eis decuplum super cunctos ariolos et magos qui erant in universo regno eius (1,20).

Atque mox ostensum est Deum peculiari modo Danielem velle reddere insignem. Cum enim rex Nabuchodonosor postularet a magis non solum somnii quod habuerit explicationem, verum ipsius somnii quale fuerit narrationem, magi omnes una voce et se impares esse ei negotio et solos deos id indicare posse professi sunt. Daniel autem precibus cum sociis ad Deum fusis impetrat ut sibi somnium regis eiusque explicatio divinitus reveletur. Quare somnio enarrato et reliquos magos vitae periculo eripit et sibi sociisque potestatem et dignitatem in regni administratione acquirit. Ita in aula apud regem honoratus etiam inter suos magnam sibi conciliat auctoritatem, dum prudentia sua et sagacitate falsam illam senum duorum contra Susannam accusationem detegit et convellit. Postmodum aliud regis somnium explicat quo regi portenditur fore ut insania zoanthropica (boanthropia scil.) puniatur, nisi iustitia et misericordia castigationem divinam averterit. De aliis quae Daniel egerit sub Nabuchodonosor rege nihil memoriae proditum est. Id unum refertur eum in dignitate illa et auctoritate qua fruebatur in aula regia permansisse usque ad Cyri dominationem (1,21). Post Nabuchodonosor regnavit Evilmerodach, Amel Marduk 561-559 quem Iudaeis favisse ex gratia discimus et benevolentia qua Ioachin regem Iuda non solum e carcere eduxit verum etiam thronum eius posuit super thronum regum qui erant cum eo in Ba-

bylone eumque convivam mensae regiae adhibuit (4 Reg. 25,27 seq. Ier. 52,31-34). Evilmerodach coniuratione facta occiditur, si Berosso fides est adhibenda, quia ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς regno praefuerit (apud Iosephum c. Ap. 1,20). Regnum suscepit qui auctor insidiarum et coniurationis teste eodem Berosso fuerat Neriglissor, Nirgal-sar-usur 559-555 a. Ch. qui sororem Evilmerodach in matrimonium duxerat. Cum autem post annos quattuor obiret, filius eius Labosordachus, Labasi-Marduk, παῖς ὢν Berosso teste eum subsequitur, verum solum per menses novem regnum tenuit. Coniuratione facta occisus est et unus e coniuratis Nabonidus thronum occupavit 555-538 a. Ch. Huic erat filius, Baltassar, hebr. בֵּלְשַׁאצַּר, babylonice Bel-sar-usur (Bel regem protege) qui saepius in inscriptionibus nominatur et cui Nabonidus curam et administrationem exercitus simul cum regio apparatu demandavit (cf. *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive, II p. 379 seq.; *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes 3 ed. IV p. 463 seq. *Cornely* l. c. p. 471; *Schrader*, Keilinschriften u. A. T. 2 ed. p. 434; *Tiele*, Babylonisch-assyr. Geschichte p. 470. 476). Ceterum vide quae ad 5,1 exposita sunt. Sub eo qui regiae potestatis particeps erat Babylon a Persis est occupata. Atque ex inscriptionibus didicimus Gubaru (Gobryam) unum ex ducibus praecipuis Cyri die 16 mensis Tammuz Babylonem esse ingressum et die 3 mensis Marcheschvan, igitur post 3 menses, ipsum Cyrum in urbem intrasse et die 11 eiusdem mensis obiisse Nabonidum, cui per septem dies in fine eiusdem mensis parentatum sit. Quae fuerint partes Danielis ante occupationem Babylonis, cap. 5 refertur. Cum Baltassar filius Nabonidi apud exercitum potissimum commoratus sit, etiam explicatur, cur de Daniele ei parum notum fuerit.

Strassmaier S. I. edidit ex tempore Nabuchodonosor regis inscriptiones 460, quibus annus, mensis, dies accurate est adscriptus; exsistunt in eius libro inscriptiones i. e. contractus et documenta privata pro singulis annis, immo non raro pro singulis mensibus regni eius ab anno accessionis (die 14 mensis quarti) usque ad annum regni eius 43 (diem 27 mensis quarti); vide Inschriften von Nabuchodonosor, König von Babylon, Leipzig 1889, duo fasciculi.

Idem in alio fasciculo (Die babylonischen Inschriften im Museum zu Liverpool nebst anderen aus der Zeit von Nebukadnezzar bis Darius — tiré du vol. II des travaux de la 6e session du Congrès international des Orientalistes à Leyde — Leyde, 1885) inscriptiones edidit ab anno accessionis Evilmerodach (die 21 mensis septimi) usque ad annum regni eius secundum (die 4 mensis quinti). Ex tempore Neriglissor in eodem fasciculo edidit inscriptiones quindecim ab anno accessionis (die 9 mensis

12 intercalaris) usque ad eius annum tertium (die 5 mensis undecimi).
Idem in quattuor fasciculis edidit : Inschriften von Nabonidus, König von Babylon (555-538 a. Ch.), Leipzig 1887-1889; in quibus continentur 1134 inscriptiones ab anno accessionis Nabonidi (die 18 mensis tertii) usque ad annum regni eius decimum septimum, mensem nonum; ex qua ultima inscriptione elucet etiam post ingressum Cyri contractibus nomen Nabonidi esse impositum.

Sub Dario Medo, de quo vide ad 5,31, Daniel insidiis invidorum petitus est, qui cum in nulla re alia invenirent quod accusarent regi persuaserunt, ut decretum faceret, ut quicumque intra 30 dies preces funderet ad alium deum, nisi ad regem, in lacum leonum mitteretur. Uti socii Danielis sub Nabuchodonosor eius auream statuam non adoraverunt et a Deo mire servati sunt, ita Daniel quoque usitata pietatis officia minime intermisit et ad regem delatus de crimine spreti decreti in lacum leonum coniicitur, sed incolumis servatur. Ea re commotus rex Dei Iudaeorum maiestatem ac potentiam agnovit et ut olim Nabuchodonosor publico edicto nationibus annuntiavit.

Tale edictum ferri quo rex prohibeat ne alius deus colatur, sed ipse rex solus, res est utique quam maxime absurda, sed eam incredibilem esse immerito ii iactant qui librum Danielis impugnant. Quod ut demonstretur apte monuit *Delattre*. Les deux derniers chapitres de Daniel (extrait des Études religieuses) Lyon, 1878, p. 57, narrationis illius memoriam esse revocandam quam tradit Charlevoix, Histoire du Japon (Paris, 1736) III, p. 401 : « Nobunanga, empereur du Japon, se fit construire un temple magnifique. Il ordonna qu'on y apportât toutes les plus belles idoles qu'on pourrait trouver dans le Japon et l'on plaça, par son ordre, dans le lieu le plus apparent du temple, une pierre où ses armes étaient gravées avec une quantité de devises. Il parut après cela un édit, qui suspendait tout culte religieux dans l'empire et ordonnait sous de très graves peines à quiconque de venir adorer le Xantai (c'était le nom de la pierre) et de lui demander tous ses besoins, avec promesse de les obtenir : on se moqua de ses promesses, mais on craignait ses menaces. Le concours fut si extraordinaire, que dans la ville et toute la campagne on ne pouvait se tourner. Le fils aîné de Nobunanga fut son premier adorateur et tout l'empire suivit son exemple, si on en excepte les chrétiens, dont aucun ne parut à cette fête ». Et concludit *Delattre :* « Voilà un fait rapporté par les missionnaires qui en furent témoins, et qu'on ne peut raisonnablement nier. Pourquoi donc l'édit de Darius le Mède, qui ressemble en tout point à celui de Nobunanga, serait-il une pure invention »? Alia quae de huius narrationis veritate dici possunt, vide infra in explicatione.

Ex cap. 10 docemur Danielem anno tertio Cyri regis ultima sua visione et revelatione esse donatum et ex modo quo Theodotio histo-

riam Bel et draconis introducit etiam discimus Danielem apud Cyrum in magno honore et auctoritate fuisse; idem exprimitur apud Syrum et in nostra quoque *Vulg.* 13,65 oportet trahi ad cap. 14, ita ut rex ille sit Cyrus. Uti regi Nabuchodonosor et regi Baltassar et regi Dario Medo, ita Cyro quoque potentia et maiestas Dei Iudaeorum insigni documento ostenditur. Cum enim rex, ut indignationem et seditionem Babyloniorum sedaret qui propter cultum suum spretum et sacerdotes occisos maxime irritati erant, auctorem et suasorem eius offensionis, Danielem, in lacum leonum misisset, Daniel denuo incolumis post septem dies e medio leonum evasit, ita ut rex palam profiteretur: magnus es, Domine, Deus Danielis et non est alius praeter te (secundum Theodotionem et LXX).

De vita Danielis nihil aliud certo scitur nisi quod ex ipso libro colligitur. Id autem sufficit ut perspiciamus quale fuerit eius munus ad quod a Deo erat assumptus et electus. Uti temporibus antecedentibus Deus non omisit maiestatem suam et potentiam etiam gentibus demonstrare, cuius rei plurima exstant exempla et documenta in rebus gestis ab Abraham, Moyse, tempore Iudicum, in vitis et oraculis prophetarum, in Ionae ad Ninivitas missione, immo in ipsa populi Dei ad regiones alienigenarum dispersione et eiectione, ita divinae providentiae tempore exsilii placuit excellentissimo quodam modo non semel sed iterum iterumque suam maiestatem et potentiam insignibus documentis gentibus cognoscendam exhibere. Atque cur eo tempore id fieri quam maxime decuerit, facile suspicari licet. Quae enim erat gentium de diis patriis opinio, ex populi alicuius vel gloria et victoriis vel cladibus et ignominia dei patrii vel potentiam vel debilitatem metiri solebant; qua de re quam plurima exstant documenta in inscriptionibus Assyriorum et Babyloniorum, quibus victoriae diis auctoribus et adiutoribus adscribuntur (vide quae dixi ad Is. 10,10. Ier. 46,25. Amos 1,15. Mich. 7,10. Nah. 1,14. Hab. 1,16. Zach. 2,8); eiusdem opinionis in ipsis s. litteris non pauca reperiuntur testimonia. Iam regnum Iudaeorum iacuit prostratum; ipse populus Dei victus inter alienigenas captivusque degebat; unde pro gentibus maxime pronum erat concludere Deum Iudaeorum esse impotentem et a diis gentium devictum ac superatum. Quare quemadmodum Deus Iudaeis per prophetas continuo annuntiavit causam cladis exsiliique in eorum peccatis esse collocandam, ita aliis eximiisque rationibus etiam gentibus demonstrare oportuit Deum Iudaeorum nequaquam esse devictum; propter me, propter me faciam, ut non blasphemer et gloriam meam alteri non dabo (Is. 48,11).

Unde quod pro exsilii tempore iam Isaias repetito praedixerat fore

ut Deus se gentibus gloriosum manifestaret et idola nihil esse ostenderet (41,24; 43,9 seq. 44,6 seq. 45,6. 16; 46, 8; 47,4 etc.), id ratione praeclara per Danielem praestitit. Is enim constitutus in aula regni magnificentissimi ope Dei ea edidit documenta quibus et Nabuchodonosor et Baltassar et Darius Medus et Cyrus Dei Iudaeorum potentiam agnoscere et praedicare cogebantur. Et ille quidem in magis deprehendit impotentiam idolorum, in Daniele omniscientiam Dei (cap. 2), in tribus iuvenibus didicit eius potentiam et praesens auxilium (3,93-96), ita ut gravissimis poenis propositis omnem in Deum Iudaeorum blasphemiam severe interdiceret; tertio eandem in seipso expertus est Dei vindicis manum cap. 4; unde iterum laudes Dei Iudaeorum publice praedicat et gentibus subiectis annuntiat. Eiusdem Dei omniscientia iterum agnoscitur vel quasi ab oblivione vindicatur in aula Baltassar regis cap. 5; eiusdem Dei potentia magnis laudibus praedicatur et omnibus cum reverentia suspicienda proponitur a Dario Medo qui insigni documento in Daniele exhibito de ea est edoctus cap. 6. Quae fraudes essent idololatriae et quid Deus Iudaeorum valeret efficere, opera Danielis et in ipso expertus est Cyrus quoque cap. 14, qui cum reditum in Palaestinam Iudaeis concederet, Dei Iudaeorum dominium egregie professus est traducens vocem in omni regno suo etiam per scripturam (Esdr. 1,1).

Ex hisce quid muneris suis contribulibus praestiterit Daniel iam magnam partem consequitur. Si enim Deus Iudaeorum a regibus praedicatur gloriosus et contumelia eius severe prohibetur, necesse est ut etiam ipse eius populus huius Dei cultum et religionem avidius amplectatur et maiore studio retineat et ut apud nationes ipsi quoque maior concilietur existimatio, dignitas, honor. Porro Daniel magna pollens auctoritate in aula regia donatus erat praefectura in provincia Babel atque in eius muneris administratione a sociis suis tribus adiuvabatur 2,48. 49; inde autem commoda plurima exsulibus obvenisse, eos a multis inimicorum vexationibus esse defensos atque in acquisitione ac possessione bonorum pacifica esse protectos quis est qui non videat? Etiam maius emolumentum in eos derivabatur ex praeclaro illo religionis ac pietatis exemplo quod Daniel et eo auctore atque hortatore (1,8) eius socii quoque edebant in aula regis medias inter aulae delicias et lascivias. Atque quam illustris fuerit Danielis sanctitatis fama apud omnes ex praeclara illa laude colligitur qua simul cum Noe et Iob, duobus illis iustitiae luminibus quorum integritas morum aliis quoque saluti fuit, apud Ezechielem nominatur (14,14. 20). Haec autem iuvenis probitas et observantia legum non potuit non promovere apud contribules verum pietatis ac religionis studium; unde quae

Ezechiel docuit et quae Ieremias epistolis missis monuit, hisce Daniel exemplo suo pondus addidit et incitamentum. Neque sine speciali providentia factum esse putandum erit, ut prima abductione Babylonem transferretur. Ita enim moribus suis atque sua sapientia regi se commendabat et, ut fieri solet apud homines, suae probitatis ac intelligentiae laude cui adiuncta erat insignis magistratus auctoritas, id sane effecisse censendus erit, ut exsules illi qui in altera et tertia et quarta transportatione in regionem babylonicam abducebantur (cf. Ier. 52,28-30) iam benignius haberentur et sui protectorem atque adiutorem in Daniele eiusque apud regem gratia et auctoritate invenirent (cf. *Cornely,* Introd. II 2 p. 472).

Neque hisce muneris eius ratio ac dignitas concluditur. Immo magis etiam eius celebratur memoria propter insignia oracula quae Deo auctore accepit et scripto consignavit. In plerisque vaticiniis a patriarchis et prophetis divinitus acceptis adverti potest Deum in communicandis suis consiliis usum esse particularibus temporum rerumque gestarum conditionibus quibus promissa quasi adnecteret vel secundum quas illa efferret simili quadam forma, altiore tamen et sublimiore, expressa et declarata. Idem quoque apud Danielem observare licet. Erat ille in aula regis potentissimi, omnem quasi coram se expansum cernebat splendorem ac fastum regni mundani, dum eodem tempore regnum Dei in populo Dei misere prostratum iacebat et conculcatum. Quid ergo? Utique videt regni mundani gloriam et superbiam, videt post regnum babylonicum alia regna potentia, bellis, victoriis, ferocitate insignia; sed etiam cernit ea collabentia et destructa, regnum autem Dei ex parvis conspicit initiis oriturum, orbem terrarum impleturum, omnium hostium conatus superaturum et demum cives suos gloria et beatitate coronaturum. Praeter hoc rerum futurarum simulacrum quasi generale adumbrationes quoque ei ostenduntur quaedam singulares et propriae. Ita edocetur de sorte populi post exsilium solutum futura, de magna quadam per regem impium infestatione, de ope divina piis ferenda, de angelorum protectione atque tutela, et demum de resurrectione mortuorum in fine temporum. Uti persecutorem Iudaeorum, Antiochum Epiphanem, depingit, ita ultimum quoque hostem eumque maxime terribilem regni Dei, antichristum, designat; verum simul ad doctrinam et consolationem populi Dei utriusque conatus fore irritos et regnum et gloriam datum iri fidelibus eximie praedicat.

Utut hisce oraculis pro Dei favore Daniel optime meritus est et de populo suo et de cunctis temporibus futuris, tamen vaticinio illo celeberrimo de tempore adventus Messiae et de bonis messianis cap. 9

palmam tulisse videtur. Eo enim oraculo id effecisse merito censetur, ut tempore Christi tanta exsisteret apud omnes Iudaeorum ordines et apud Samaritanos Messiae advenientis exspectatio, quanta et in evangeliis nobis exhibetur et apud ipsos etiam scriptores profanos, Iosephum, Tacitum, Suetonium testata consignatur. Eodem oraculo bona exhibet messiana, indolem regni messiani spiritualem declarat, Messiam occisum iri totidem verbis clare praedicit et ita id quod offensioni esse posset iam in antecessum removet, veteris foederis caerimoniarumque abolitionem annuntiat et dum destructionem ac vastitatem perpetuam urbis templique haud ambigue litteris consignat, omnem temporalis regni exspectationem ac spem funditus tollit. Simul precatione illa ad Deum fusa, post quam insigni hac revelatione donatus est, praeclare docet quomodo oporteat animos praeparare ac praeparatos servare ad regnum Dei suscipiendum et retinendum.

II. — De argumento libri.

Si dixeris totum libri argumentum versari in *dominio Dei* describendo, haud a vero aberraveris. Praemissa enim introductione historica cap. 1 de educatione Danielis in aula regia et de eius religiosa legum Dei observantia iam cap. 2-6 et cap. 14 ea continentur quibus Dei maiestas et dominium regibus et gentibus eius temporis innotescat; in cap. 7-12 autem ea proponuntur quae Dei dominium in rerum futurarum administratione, in regnorum mundanorum successione et ruina, in regno Dei stabiliendo ac perficiendo manifestant.

Cernitur itaque in cap. 1 prooemium quoddam ad totum librum quod pertinet, quo ostenditur quomodo Daniel in aula regia constitutus famam sapientiae acquisierit et quo simul in eius pietate praeparatio quaedam cernitur ad Dei favores accipiendos. Unde eo initio proponuntur quae necessario ad subsequentia intelligenda requiruntur. Statim enim cap. 2 explicari debet cur Daniel sit inter magos et sapientes in aula regia; peculiaris ei fit a Deo gratia in somnii revelatione; hisce autem nisi caput 1 praemiseris, tota narratio est plane abrupta et hiulca. Uti rebus cap. 1 et praesertim cap. 2 narratis Daniel notus fit in aula regia et ideo aptus evadit, per quem Deus suam potentiam regibus et gentibus manifestet, ita cap. 13 narratione de Susanna notus fit et illustris apud contribules suos et suis de dominio Dei edendis in futuro tempore oraculis iam nunc fidem conciliat, cum tamquam iuvenis Domini spiritu imbutus ab iis agnoscatur. Quare illa narratio sicuti temporis ratione habita post primum vel alterum caput collocanda est, ita spectato munere Danielis duplice (pro gen-

tibus et pro contribulibus) alterum est quasi prooemium quo vaticinia eius et quae suo egit exemplo pro populo suo apte adornantur. Ratione itaque habita duplicis eius muneris omnino consentaneum est, ut Daniel insigni aliqua re etiam inter suos antea innotescat; unde hac de causa iam narratio illa aptissime congruere dicenda est et ad librum pertinere.

Capite 2 prima narratur manifestatio maiestatis ac dominii Dei Israel. Nabuchodonosor somnio perterrefactus ut exploraret possentne magi vere occulta pandere postulat a magis, ut et somnium sibi indicent et eius significationem pandant, poena mortis proposita nisi somnium indicare valuerint. Ei negotio magi sunt impares. Daniel cum suis sociis ad opem divinam implorandam confugit et Danieli somnium regis et quid portendat revelatur. Laudibus et gratiis Deo persolutis Daniel regi somnium indicat quod viderat de statua, cuius caput ex auro, pectus et brachia ex argento, venter et femora ex aere, tibiae ferreae erant et quam demum lapis de monte abscissus comminuit, lapis autem factus est mons magnus et implevit universam terram. Interpretationem a Deo sibi revelatam exponit : agi scil. de quattuor regnis quae inter se succedent et de regno quod Deus coeli suscitabit et quod in aeternum stabit. Rex stupefactus procidit in faciem, Dei Danielis eminentiam ac scientiam agnoscit eum profitens *Deum deorum et Dominum regum* et Danieli dat summum magistratum in provincia Babel. Hic itaque regi ad oculum demonstratur Deum Iudaeorum abdita cordium penetrare et rerum futurarum habere scientiam et dominium, unde eum etiam *Dominum regum* praedicat.

In altero eventu magis manifestatur potestas Dei et dominium in res creatas, in elementa. Cum enim rex statuam erexisset dei sui eiusque adorationem poena ignis proposita ab omnibus postulasset, tres iuvenes, socii Danielis, ad sonum musices non se prosternunt neque idolum venerantur. Quare in fornacem ignis ardentis mittuntur quam rex iusserat succendi septuplum quam succendi consueverat. Flammis erumpentibus occiduntur ministri regis qui iuvenes in maxima illa incendia iniiciunt, iuvenes autem ipsi angelo descendente incolumes servantur. Quod rex attonitus mox advertit et coram satrapis et magistratibus et iudicibus et potentibus regni Deum potentissimum praedicat et decretum edit prohibens ne quis loquatur blasphemiam in Deum Israel gravissima poena delinquentibus intentata. Haec manifestatio iam est priore illustrior. Neque enim fit solum in aula regia et coram aulicis et magis, sed fit coram immensa multitudine ex variis gentibus collecta et coram nobilibus regni; neque solus rex Dei laudes profitetur, verum potestas eius omnibus populis, tri-

bubus et linguis regni sollemni decreto regio annuntiatur, ut omnes sciant non esse alium Deum qui possit ita salvare; ita loquitur ille qui antea superbia tumidus clamaverat : et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea?

Idem Dei dominium, qui rex regum a regibus iustitiam et misericordiam exerceri vult et ultor exsistit scelerum, Nabuchodonosor in seipso experitur. Monetur enim somnio de morbo insaniae zoanthropicae qui Daniele interprete ei imminet in poenam scelerum ac superbiae, nisi iustitiae et misericordiae operibus iram Dei placaverit. Atque revera post annum superbe gloriatus de magnificentia urbis Babylonis quam sibi aedificaverat morbo illo divinitus prosternitur. In illis demum miseriis oculos levat ad Deum eiusque potestatem sempiternam adorat. Quare sanitati et regno restituitur. Ipsum eventum et magnificas Dei potestatis ac dominii laudes decreto sollemni omnibus populis et gentibus regni sui annuntiat. Hoc itaque eventu Deus maxime innotescit tamquam dominator qui tyrannidem ac superbiam regum abominatur, qui iustitiam et misericordiam ab iis exerceri vult, qui eiusmodi operibus placatur et iram avertit, at qui si monita servi sui et internuntii spernuntur, in regem potentissimum graviter animadvertit eumque turpis insaniae tenebris et furoribus committit. Qua poena simul summum eius in hominis animum dominium exhibetur. Hoc dominium sempiternum quo in coelis et in terra iuxta suam voluntatem cuncta disponit, effertur magno verborum pondere in decreto Nabuchodonosor regis et potissimum describitur tamquam sanctitate praeditum et morum integritatem animique demissionem exigens (cf. 4,34).

Uti Deus se manifestavit primo regi, ita in ultimum quoque regni babylonici moderatorem suum ostendit dominium (cap. 5). Ille enim cum haec omnia sciret, tamen non humiliavit cor suum, sed adversus *Dominatorem* coeli elevatus est, ita quidem ut vasa templi Domini afferri iuberet in convivio, ex quibus bibebant ipse et optimates eius et uxores et concubinae laudantes idola, Dominum autem contumeliis insequentes. Quare Dominus sui honoris contempti vindex exsistit. Apparent in pariete contra regem articuli manus scribentis; rex terrore ingenti corripitur, ita ut compages renum solvantur et genua eius ad se invicem collidantur (5,6). Scripturam quam nemo magorum legere et interpretari potest Daniel legit et interpretatur, regi in memoriam revocat Dei dominium et a Deo Dominatore ultionem instare declarat quippe qui regnum ab indigno et scelesto auferat idque Medis Persisque tradat. Id quod eventu mox completum est.

Babylone per Cyrum occupata Darius Medus simul cum Cyro vel

eius nomine et auctoritate regno praeerat; is regni provinciis tres praefecit principes, de quibus unus Daniel erat. Qui cum sapientia divinitus data reliquos longe superaret, eorum in se concitavit invidiam. Unde eum perdere conantur. A rege qui nihil eiusmodi suspicatur decretum obtinent quo aulicis per dies 30 interdicitur ne a quocumque deo nisi a rege rem aliquam petant. Daniel, uti solebat, Dominum ter in die adorare non desistebat; quare deprehensus in lacum leonum mittitur rege frustra contranitente. At sequenti die reperitur incolumis. Hoc divinae potentiae documento edoctus rex decretum scribit, quo omnes iubentur Deum Danielis tremiscere et pavere; eius enim *regnum ac potestatem* fore in perpetuum (6,26). Uti Dario Medo, ita Cyro quoque innotescit Dei dominium. Hoc enim loco et propter tempus et propter rei argumentum collocanda est narratio de Bel et dracone cap. 14 consignata. Eventus ille initio regni Cyri attribui debebit, quia Cyrus prudentiae esse censet cedere irae Babyloniorum qui de contumeliis ab alienigena diis suis ac sacerdotibus illatis indignati seditionem movent. Danielem iam aetate satis provectum iterum in lacum leonum coniiciunt. At post sex dies a rege reperitur incolumis. Quare Cyrus quoque maiestatem Dei Danielis profitetur.

Hisce itaque prior libri pars absolvitur. Ad unum consilium singula convergunt et inter se ordine temporis quo gesta sunt enarrantur. In altera libri parte oracula continentur de dominio Dei in quantum cernitur successione et ruina regnorum mundi et regni Dei conditione. Quae pars arcte cohaeret cum priore. Nam de istis regnis iam sermo erat brevis quidem sed multa complectens in cap. 2 in explicatione somnii Nabuchodonosor regis. Quae ibi lineamenta posita sunt, cap. 7 accuratius describuntur. In quattuor animalibus e mari ascendentibus cernuntur simulacra quaedam et adumbrationes quattuor regnorum quae Nabuchodonosor in statua viderat expressa; regnum quartum explicatius describitur, ex quo tandem decem regna exsistant; tria ex illis ab alio quod exoritur deiiciuntur; eo autem designatur rex quidam maxime impius et blasphemus et persecutor regni Dei, qui tandem simul cum omni potestate Deo inimica divino iudicio prosternetur; regnum autem aeternum dabitur ei qui quasi filius hominis veniet in nubibus coeli.

Quo oraculo primo cap. 7 totum tempus terrestre usque ad saeculorum consummationem comprehenditur. Unde altera haec pars eadem orditur magnificentia, qua prior, si prooemium quo integro libro praeluditur omiseris; in utroque loco cap. 2 et 7 statim totum Dei dominium nobis ob oculos ponitur, at modo pro indole et natura

utriusque partis diverso. Ibi eo res concluditur, ut rex agnoscat et profiteatur scientiam, potentiam, eminentiam Dei; hic populus Dei nosque omnes de regnorum cursu et de victoria regni Dei edocemur, ut aspicientes in rerum exitum temporalibus infestationibus animis ne cadamus. In secundo autem oraculo cap. 8 cum iam appropinquet tempus quo primum regnum i. e. babylonicum concidet, vati explicantur ea quae ad regnum secundum et tertium pertinent et ita quidem ut appareat, quemadmodum post regnum quartum oriturus est persecutor maxime impius et superbus, ita quoque fore ut ex tertio regno proveniat is qui in eius quasi figuram et typum populum Dei vexabit et ipsi Deo eiusque cultui bellum inferet. Unde efficitur oraculum hoc secundum esse aliquam explicationem qua primi oraculi pars quaedam magis determinetur ac describatur.

Tertium oraculum cap. 9 ei offertur, cum expletis annis 70 a Ieremia praedictis Daniel apud Deum pro templo et urbe sancta intercedit. Eo autem declaratur quando bona messiana sint adventura, praedicitur occisio Messiae, foederis veteris abolitio, templi urbisque destructio. Proinde, ut in cap. 8 pluribus regnum tertium describebatur, ita nunc quaedam revelantur de initiis regni Dei aeterni, de illo lapide qui de monte sine manibus abscissus statuam, regna mundi, percutiet et comminuet (2,34); in cap. 7 Messias nobis exhibebatur in ultimo suo triumpho, veniens in nubibus coeli et regnum aeternum a Deo accipiens; in cap. 9 nobis proponitur qua via et ratione ius illius regni sibi acquirat, quando et quomodo regni illius prima fundamenta iaciat. Unde hoc quoque caput arcte cum antecedentibus cohaeret scil. partim ea explicans partim iis conditiones quasdam supplens.

Ultimo vaticinio 10-12 cap. ex ipsa temporis conditione fit regressus ad regnum tertium et regem persecutorem, de quo cap. 8. Facultate scil. redeundi in patriam per Cyrum concessa reduces variis premebantur difficultatibus. Unde Daniel de iis sollicitus ieiunio et precibus Domino supplicat. Ad suam populique consolationem edocetur de potenti angelorum auxilio; dein quae sint in divinis consiliis constituta de tempore antequam 70 hebdomadae annorum compleantur ei aperiuntur. Unde brevissime agitur de regno secundo (11,2), ut qua ratione sibi interitum adsciscat innuatur; longiore autem vaticinio varia describuntur quae inter regnum austri et regnum aquilonis (Aegypti regnum et Syriae) intercedent certamina et praeprimis ea quae rex persecutor, qui iam cap. 8 erat adumbratus, ad populum Dei vexandum perpetrabit. Hisce itaque sortes delineantur Iudaeorum post exsilium. At simul persecutoris interitu Dominus suum as-

serit dominium, quod quo clarius illustriusque efferatur, statim fit transitus ad supremam populi Dei victoriam, ad mortuorum scil. resurrectionem, qua fideles aeternam nanciscuntur beatitudinem, opprobrium sempiternum inimici Dei. Hac itaque spe exsules se consolentur; Deus suae providentiae dispositionem vati aperuit et qua ratione dominium suum esset stabiliturus ostendit.

Uti narrationes partis prioris, ita haec quoque alterius partis vaticinia secundum temporis seriem inter se subsequuntur. Primum enim oraculum cap. 7 ad annum primum Baltassar refertur, cui a Nabonido magna pars rerum administrandarum et praeprimis res militaris demandata erat; annus colligitur haud improbabiliter 12 Nabonidi i. e. 542 a. Ch.; alterum oraculum cap. 8 sequitur anno tertio eiusdem regis Baltassar; cap. 9 anno primo Darii Medi i. e. anno 538 vel 537 a.Ch. et demum ultimum oraculum adscribitur anno Cyri tertio i. e. 535 a. Ch.

Ex libri argumento etiam consequitur omnino librum Danielis ita dividendum esse, ut pars prior constituatur (post prooemium cap. 1) cap. 2-6; altera autem cap. 7-12. Eo modo librum iam bene partiti sunt *Theodoretus* qui ad cap. 7 adnotat prioribus capitibus magis historico modo prophetiam esse conscriptam, ab hoc autem loco Danielem incipere eas praedictiones exponere quas per revelationem acceperit; a cap. 7 secundam incipere partem statuit *Albertus* Magnus quoque et similiter *Maldonatus, Sanctius, Pererius, Cornelius a Lapide, Calmetus* (qui eius partitionis rationem reddunt ad cap. 7) et ex recentioribus *Loch, Palmer, Vigouroux, Rohling, Trochon, Kaulen, Zschokke, Neteler, Cornely,* et ex protestantibus *Haevernick, Hitzig, Zündel, Zoeckler, Meinhold* aliique. Sunt tamen alii qui cap. 7 priori parti attribuant; ita *Auberlen, Keil, Kranichfeld, Kliefoth.* Monent quippe cap. 7 idem exhiberi argumentum quod in cap. 2 sit propositum; dein cap. 2-7 ipsa lingua aramaica inter se esse copulata et coniuncta; quare ea capita non esse separanda; agi enim in illis de potentia mundana eiusque veluti progressu et de conditione quae inter eam et regnum Dei intercedat; in altera parte autem exponi regnum Dei eiusque progressum et delineari rationem illam quae exsistat inter regnum Dei et potentiam mundanam. At si somnium Nabuchodonosor exceperis nihil habes in cap. 2-6 quod ad monarchiam mundanam eiusque progressum referatur; nam cap. 3 et 4 Nabuchodonosor Dei potentiam experitur; eandem experitur cap. 5 Baltassar et cap. 6 Darius Medus. Neque lingua aramaica qua cap. 7 conscriptum est ratio esse potest sufficiens, ut illud cap. ad priorem partem trahamus. Insuper alius plane modus cernitur in quattuor regnis

describendis in cap. 2 et 7; ibi cuncta eo consilio describuntur, ut rex Dei dominium et scientiam agnoscat; hic vero ipse rerum cursus, regnorum sortes et exitus, iudicium Dei et regnum Messiae per se et propter se proponuntur. Quare prior divisio sola libri argumento congruit et eo quoque commendatur quod in utraque parte ita distincta successio temporis accurate servatur, quae interturbatur si cap. 7 ad priorem adiunxeris.

III. — De unitate libri.

Ex argumento libri sequitur eius unitas. Una enim in toto libro cernitur notio expressa ad quam eventus singuli et oracula referuntur. Pars utraque eodem ordine temporis disponitur. Hisce iam probatur certo aliquo consilio librum esse compositum neque fortuito ex variis fragmentis coagmentatum. Praeterea libri partes etiam inter se cohaerent, inter se explicant. Quae cap. 1 narrantur omnino necessaria sunt ad reliqua in libro intelligenda; ita explicatur, cur in subsequentibus Daniel in aula regia inveniatur; 1,6 socii eius nominantur; ea re autem praeparatur id quod 2,17. 49 et 3,12 seq. narratur. Mentio fit religionis eorum et observantiae legis; inde autem ex indole legis veteris statim concludimus fore ut Deus singulari ratione iis faveat; unde quae cap. 2. 3 narrantur, iterum aliquo modo praeparantur, cum explicetur Dei in eos liberalitas; et qui a cibis immundis abstinuerunt, eos potius mortem velle subire quam idolum adorare, iam unicuique maxime verisimile videbitur. Ii igitur iuvenum mores cap. 1 describuntur qui postmodum cernuntur pro re nata magis explicati. Et si 1,17 in Daniele visionum et somniorum intelligentia laudatur, iam habetur prolusio quaedam ad ea quae cap. 2. 4 evenisse refertur. Eodem modo non sine certo consilio 1,2 scribitur vasa domus Dei esse ablata; nam cap. 5 vasis istis utitur rex ad contumeliam Deo inferendam et ad idola laudanda ad quae honoranda illa in templo deorum collocata erant.

Quae cap. 2 de statua et quattuor regnis dicuntur, omnium interpretum consensu in cap. 7 latius accuratiusque explicantur; item quae 2,44 de regno Dei affirmantur, fere totidem verbis et eadem sententia non semel in altera parte proposita leguntur; cf. 7,14. 27; 12,2. 3. Item negari nequit in cap. 8 quaedam ex cap. 7 deprompta explicatius per singula tractari et quae cap. 8 dicta sunt de rege persecutore, latius describi cap. 11; quae cap. 7 de iudicio divino indicantur, iterum 12,1-3 tanguntur et complentur. Praeterea quam arcte inter se cohaereant 7,25 et 12,7; 8,14 et 12,11 non eget explicatione, sed solum

admonitione. Insuper modus quo Daniel de se loquitur, minime alium et alium indicat scriptorem. In priore quidem de se loquitur in tertia persona, quia narrationem instituit; ita in altera parte quoque 7,1 et 10,1, in qua tamen cum oracula et visiones referat, etiam prima persona utitur 7,2; 8,1; 9,2; 10,2; 12,5. Quae varietas eo minus offensioni esse potest, cum alii quoque, ut Isaias, modo prima, modo tertia persona utantur de se narrantes; cf. Is. 6,1. 5 etc.; 7,3 seq. 8,1; 37,6 etc.

Neque contra unitatem inde aliquid efficitur, quod a 2,4-7,28 lingua adhibetur aramaica, reliqua autem hebraice conscripta sunt. Idem enim transitus ab una dialecto ad aliam etiam cernitur apud Esdram 4,7. Deinde, sicut modo dictum est, caput 1 hebraice scriptum ita arcte cum sequentibus aramaice conscriptis cohaeret, ut necessario supponatur; eodem modo caput 7 aramaice scriptum intime connexum est cum sequentibus, quae hebraice leguntur. Quare haec varietas dialecti nullo modo valere potest ad unitatem libri destruendam. Erat lingua aramaica usitata in commercio Assyriorum et Babyloniorum cum populis ad mare mediterraneum incolentibus; vide quae dixi ad Is. 36,11; unde hominem Iudaeum apud Chaldaeos degentem ea uti dialecto non est cur negetur. Cur autem eam adhibuerit varietatem, haud facile dixeris. Eam ex solo beneplacito (stat pro ratione voluntas) explicare non placet. Valde quoque dubito num aliquid explicent qui dicunt referri 2,4 seq. sermonem magorum aramaice loquentium et vatem deinde in incepta lingua pergere. At profecto, magi non aramaice cum rege locuti sunt, sed babylonice, ea lingua quam in inscriptionibus et contractibus babylonicis expressam videmus; insuper non declaratur, cur usque ad caput 7 ea utatur dialecto et non prius destiterit vel ultra perrexerit. Unde si qua ratio est exquirenda, alia proponi debet. Ex 1,21 patet caput hoc anno primo Cyri esse conscriptum. Vix autem probabile est usque ad illum annum Daniel nihil scripto consignasse. E contra valde videtur verisimile eum eventus illos cap. 2. 3 etc. statim litteris consignasse et quia Babyloniorum aeque ac Iudaeorum intererat eos nosse usum esse ea dialecto quae certe multis ex utraque natione familiaris erat. Cum autem postmodum revelationes illas et oracula quae solos spectabant Iudaeos litteris mandaret, more aliorum prophetarum adhibuit linguam hebraicam. Hac pariter usus est cum ea quae vario tempore conscripserat in unum redigeret volumen, cui necessario praemisit 1,1 seq.; in hoc autem volumen ea quae antea aramaice erant vulgata et iam nota, aramaice quoque retulit. Similiter rem haud improbabiliter enodant Kranichfeld, Zoeckler.

Unitatem libri et proinde unum quoque esse auctorem eius hodie communiter omnes assumunt etiam ii qui Danieli librum non attribuunt. Olim autem Bertholdt et Augusti non minus quam novem postularunt scriptores ex variis temporibus, qui tamen sedulo imitati sint singuli aliorum dicendi genus; itaque ipsi fatentur in dicendi genere maximam cerni in toto libro aequalitatem. Ad novem illos scriptores deprehendendos invenerunt in libro varias contradictiones; ita 1,21 et 10,1; 1,1. 5 et 2,1; 2,48. 49 et 5, 11-14. Eichhorn decem vel saltem quinque varias partes aliis et aliis temporibus conscriptas detexit. Alii duos requirendos esse auctores existimabant. Partem enim alteram cap. 7-12 esse ad Danielem referendam; quae autem cap. 1-6 praemittantur de Danielis vita et illis eventibus, haec ab alio quodam posteriore esse addita qui forte illa composuerit adhibitis quibusdam rerum commentariis ab ipso Daniele relictis. Ita *Herbst* (Einleitung, ed. Welte II 2 p. 104 seq.), *Speil* (Tübinger Quartalschrift, 1863, p. 194), *Reusch* (Einleitung, p. 110), *von Haneberg* (Geschichte der göttl. Offenbarung, p. 410); cf. *Cornely*, l. c. p. 475, *Zoeckler*, der Prophet Daniel, p. 17. Rationes quas *Herbst* affert sunt : a) Danielem non potuisse scribere 1,21; b) Danielem 1,19. 20; 6,4 ita laudibus efferri, ut alius eas laudes conscripsisse censendus sit; c) 1,1 errorem contineri temporis. Sed has rationes leves esse ne dicam futiles, ex explicatione patebit. Et si aliquid iis probaretur, in uno alterove loco interpolationem exstare ostenderetur; nihil aliud. Nullo modo in 1,1 error deprehenditur, dummodo בָּא eo sensu accipiatur quo in hoc libro saepius deprehenditur. — Etiam aliorum opiniones exponit et refutat *Fabre d'Envieu*, Le livre du prophète Daniel I Introduction, Paris, 1888, p. 170.

Cum unitas libri magni sit momenti etiam pro aliis quaestionibus, iuvat afferre ipsa verba aliquorum ex recentissimis criticis; *Kuenen* ita loquitur : « gardons-nous cependant de conclure de cette diversité de langue que nous ayons affaire ici à deux auteurs différents; la connexion étroite qui existe entre le vs. 4 a et le vs. 4 b (passage où commence l'emploi de l'araméen) exclut d'avance toute conclusion de ce genre. L'unité du livre repose, d'ailleurs, sur les arguments les plus solides. Partout règne le même esprit; partout, bien que sous des formes diverses, nous retrouvons les mêmes idées sur l'avenir. On a donc eu raison de repousser d'un accord unanime les hypothèses de Bertholdt et autres... Dans la partie historique (I-VI), il est toujours question de Daniel à la troisième personne; en revanche, dans la seconde partie, il parle de lui-même à la première personne (7,2. 28; 8,2. 15. 27; 9,2; 10,2 etc.). Cette circonstance ne peut en aucune manière indiquer que la partie historique et la partie prophétique ne soient pas du même auteur » (Hist. crit. II, p. 519). Et *Reuss :* « malgré la différence de forme que nous venons de signaler, le livre ne saurait être ainsi divisé et scindé. Tout s'y tient. Les prédictions de la seconde partie sont d'avance ébauchées dans le songe de Nebou-Kadneçar, et la figure de Daniel, dans ce que celui-ci raconte sur son propre compte, se dessine,

partout où les textes se prêtent à une comparaison, de la même façon dans les deux parties, dont l'une, à cet égard, est le calque de l'autre » (apud *d'Envieu*, p. 177-178).

IV. — Qua aetate liber sit compositus.

Iam ex unitate libri quam hodie consensu adeo communi profitentur validum conficitur argumentum, ipsum Danielem librum hunc composuisse. Nam satis est evidens alteram libri partem repetitis modis ad ipsum referri Danielem; quia igitur fatentibus hodie omnibus unus est liber et eius unus auctor, necesse est totum librum a Daniele esse conscriptum.

Ita 7,1 clare asseritur Danielem *scripsisse* somnium et rei summam narrasse; v. 2 « Daniel dixit : videbam in visione » etc. v. 6 post haec aspiciebam... item v. 7.8. 9. 11. 13. 15 horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum; v. 16. 19. 21. 28 ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar. Idem cernitur cap. 8; v. 1 visio apparuit mihi, ego Daniel vidi in visione mea, v. 3. 4. 5. 13. 15. 16. 18 cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram; v. 19. 20. 26. 27 et ego Daniel langui. Idem habetur cap. 9; v. 2 ego Daniel intellexi in libris; v. 3. 4. 20. 21. 22 et docuit me et locutus est mihi; idem in cap. 10; v. 1 Daniel addito nomen Baltassar apertissime idem Daniel declaratur de quo cap. 1; pergitur v. 2 in diebus illis ego Daniel lugebam etc. v. 3. 4. 5. 7. 8. 9-21; idem notatur in cap. 11 et 12. Igitur affirmatur Danielem *scripsisse;* dein modus scribendi is effertur qui Danielem scriptorem prorsus arguat, idque continuo et pari ratione per omnia capita. Neque excipi potest similem deprehendi modum loquendi in libro Sapientiae 7,1 seq. : sum quidem et ego mortalis homo... et ego natus accepi... venerunt autem mihi etc.; nam in libro Sapientiae Salomonem loquentem induci ab auctore libri facile videtur; scribit enim auctor graece, scribit longo post Salomonem tempore, Salomonem iis fere sententiis loquentem facit quibus eum usum esse ipsis s. litteris constat. Verum plane aliter res se habet in libro Danielis. Singulis enim visionibus suum assignatur tempus; anno primo Baltassar regis Daniel somnium vidit 7,1; anno tertio regis Baltassar visio apparuit mihi 8,1; anno primo Darii ego Daniel intellexi 9,1 etc. etc. Porro dicitur Danielem scripsisse; dein angeli loquuntur ad Danielem; ei praecipiunt, ut visionem acceptam consignet utque conservet 8,26; 12,4; eum de rebus visis edocent, collapsum in terra erigunt etc. Neque Daniel aliunde notus erat vel oraculis datis vel rebus gestis, uti Salomon notus erat; proinde cur Salomon fiat laudans sapientiam ex re

ipsa et libris eius patet; idem vero neutiquam de Daniele valet, de quo praeter nomen apud Ezechielem commemoratum et hunc librum suum nihil memoriae est traditum. Quare etiam nulla ratione fingi potest cur quis eius nomine voluerit librum componere; qui enim libros edebant pseudepigraphos, non seligebant nomina obscura et incognita, sed nota et illustria, uti Adam, Moyses, Salomon, Isaias, etc.; vide de libris pseudepigraphis et apocryphis *Cornely*, Introd. I p. 200 seq. Porro libri isti pseudepigraphi ineptae sunt aliorum librorum imitationes; nemo autem dicere potest librum Danielis ea ratione esse ortum.

Proinde standum est ipsius libri de se testimonio quamdiu non rationibus vere convincentibus clare demonstratur aliis ex capitibus argumentisque fieri non posse, ut liber vel ad illud tempus vel ad illum referatur auctorem. Igitur inquirere oportet in ipsum librum, in conditionem temporis rerumque. Iam vero quae in libro describuntur, ad mores eius temporis et ad consuetudinem Babyloniorum ita sunt exacta, ut earum rerum intimam notitiam auctorem habuisse fatendum sit. Id in ipso commentario accuratius erit indicandum. Interea ut libri de se ipso testimonium fulciatur sufficiat referre quae *Lenormant* asserere non dubitavit : « plus je lis et je relis le livre de Daniel, en le comparant aux données des textes cunéiformes, plus je suis frappé de la vérité du tableau que les six premiers chapitres tracent de la cour de Babylone et des idées spéciales au temps de Nabuchodonosor; plus je suis pénétré de la conviction qu'ils ont été écrits à Babylone même, et dans un temps encore rapproché des événements; plus je rencontre enfin d'impossibilités à en faire descendre la rédaction première jusqu'à l'époque d'Antiochus Épiphane »; idemque asserit se solum propter eiusmodi rationes sententia mutata iam antiquae traditioni de libri origine consentire; « ce sont des raisons uniquement et exclusivement scientifiques qui m'ont amené à changer d'opinion sur le livre de Daniel et à en revenir aux données de la tradition » (La divination chez les Chaldéens, p. 188. 171). Neque aliud est iudicium quod tulit *Ménant* : « le livre de Daniel... rapporte des traits de la civilisation chaldéenne au temps de Nabuchodonosor avec une exactitude à laquelle une rédaction apocryphe n'aurait pu atteindre » (Babylon et la Chaldée, p. 240; cf. *Cornely*, Introd. II 2 p. 491; *d'Envieu*, p. 286). Praeter hos narrationes et visiones Danielis diligenter cum monumentis babylonicis comparat easque iis consonare ostendit *Vigouroux* in opere satis iam noto : La Bible et les découvertes modernes IV p. 392-508 in 3 ed. et in alio opere : Les livres saints et la critique rationaliste tom. IV 2 ed. Paris, 1890, p. 313-355.

De eadem re utiliter quoque scripsit *Hebbelynck*, De auctoritate historica libri Danielis, Lovanii 1887, p. 69-207. Varia etiam continentur passim in opere a *Brunengo* edito : L'impero di Babilonia e di Ninive, Prato 1885, neque omittenda est disputatio a *Delattre* conscripta, De l'authenticité du livre de Daniel, Revue catholique de Louvain, 1875.

Sicut liber accurata rerum babyloniarum descriptione testimonium quod de se ipso dat valide corroborat, ita quoque investigatione in linguam facta tempus Danielis omnino commendatur. Nam lingua hebraea quae habetur cap. 1. 8-12, magnam prae se fert cognationem cum ea dictione qua utitur Ezechiel, quam cognationem agnoscunt Gesenius, Hengstenberg, Lengerke, Haevernick, Zündel, Delitzsch, Zoeckler, Keil, Aug. Scholz, Kaulen etc.; alios eiusdem sententiae propugnatores in medium profert d'Envieu p. 77 seq. v. g. Pusey, Stuart, Lenormant qui censet linguam hebraeam istis in capitibus omnino similem esse ei qua usi sint prophetae ultimi et quae cernatur in libris proxime captivitatem subsequentibus cum aliquo colore aramaico. Lingua vero aramaica affinis est maxime ei quae etiam in aliquibus locis libri Esdrae deprehenditur et differt ab ea quae in targumim adhibetur. De qua re accurate tractant Hengstenberg, Die Authentie des Daniel, p. 303 seq., Pusey, Lectures on Daniel p. 33-59. 575-623; Keil, Einleitung § 133; Kaulen, Einleitung p. 338. Haec cognatio linguae aramaicae Danielis cum Esdra et eius a posteriore distinctio etiam probatur iis quae tamquam chaldaismo biblico propria affert Baer in adumbratione chaldaismi biblici quam editioni textus librorum Danielis Ezrae et Nehemiae (Lipsiae 1882) praemisit. Rem aliquibus exemplis illustrare satis erit pro hac disputatione. Ita apud Danielem et Esdram haud raro in terminatione feminina more hebraico ponitur ה, ubi tempore posteriore in targumim א ponitur; pariter apud eos forma legitur hiphil pro aphel; item hithpeel pro ithpeel; item verba לה pro לא; status qui dicitur emphaticus formatur aliquoties in ה pro א; adhibetur hophal pro ittaphal; infinitivus saepius terminatur in ה pro א; Danieli et Esdrae propria est forma verbi passiva perfecti derivata a participio peil (cf. *Winer*, Grammatik des bibl. und targ. Chald. 2 ed. p. 42); forma characteristica ה in aphel etiam in participio et futuro retinetur; verba פא retinent א in futuro, dum tempore posteriore eius loco fere semper י ponitur; verbum ידע formatur ac si esset verbum פן; participium verborum לא terminatur in peal in ה vel א, sed tempore posteriore eius loco י cernitur; simile advertitur in infinitivo; apud solum Danielem et Esdram legitur forma לְהֵיא, לְהֹון etc. Quare merito dicit I. D. Michaelis, gramm. chald. p. 25 : « ex his similibusque Danielis et Ezrae hebraismis qui his li-

bris peculiares sunt intelliges utrumque librum eo tempore scriptum fuisse quo recens adhuc vernacula sua admiscentibus Hebraeis lingua chaldaica (i. e. aramaica), non seriore tempore confictum; in targumim enim etiam antiquissimis plerumque frustra hos hebraismos quaesieris in Daniele et Ezra ubique obvios ».

Immo lingua aramaica apud Danielem formas quasdam praebet quae antiquiores censendae sunt tempore Esdrae, si quae alibi valent normae etiam hic vim obtinere dicuntur; cuius rei exempla profert Kaulen l. c. p. 338. Est itaque lingua Danielis hebraica affinis et cognata ei qua utitur Ezechiel; aramaica autem ei quae cernitur apud Esdram, in aliquibus ea antiquior; distat vero a dialecto illa quae in targumim posterioribus deprehenditur. Quid igitur ex hisce concludes? Profecto necessario concludendum est etiam ipsa lingua demonstrari librum ad tale tempus esse referendum quale indicatur in ipso libri de se testimonio et in accurata rerum babyloniarum notitia et descriptione, i. e. librum revera ortum esse tempore Danielis et proinde, uti in altera libri parte explicite affirmatur, ab ipso Daniele esse conscriptum. Haec tria igitur argumenta mira consensione inter se conspirant fulciuntque atque demonstrationem conficiunt quae in re historica plene sufficiat.

Praeclarum autem testimonium et certum libro Danielis redditur ab ipso Christo Domino: cum ergo videritis abominationem desolationis quae dicta est a Daniele propheta stantem in loco sacro — qui legit intelligat — Matth. 24,15. Quibus verbis Christus Danielem vocat prophetam i. e. virum qui a Deo edoctus et inspiratus locutus sit et oracula scripserit, affirmat apud Danielem reponi verum vaticinium quod mox sit implendum, monet ut eius vaticinii sensum bene intelligere studeant. Cum liber Danielis semper fuerit in canone Hebraeorum, insuper Christus ita loquatur ut oraculum illud de abominatione desolationis in loco sancto futura discipulis esse omnino notum ostendat, nullatenus dubium esse potest quin de Daniele nostro eiusque nominis libro loquatur. Proinde et Daniel declaratur propheta et eius liber propheticus appellatur et ut diligenter ad eum intelligendum incumbant monitum traditur a Christo; ergo liber iste et constans Iudaeorum de eo sententia approbatur et enuntiatur ab eo qui est Deus-homo qui se dicit veritatem et qui venit in mundum ut testimonium perhiberet de veritate. Si autem liber iste non esset Danielis, sed solum sub ficto nomine Danielis tempore machabaico conscriptus, manifestum est fieri non potuisse, ut Christus eo modo loqueretur, quo huic libro et sententiae Iudaeorum de eo summa attribuitur auctoritas.

Apud Marcum 13,14 nomen quidem Danielis non effertur, sed modo

loquendi etiam magis ostenditur de oraculo omnibus noto esse sermonem : cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat. Et cum hic quoque admonitio addatur, ut qui legit intelligat, etiam de oraculo in libro prophetico conscripto fieri mentionem patet. Est enim monitio haec omnino ad ipsum Christi sermonem referenda. Ita censent S. Chrysostomus, Euthymius et veteres fere omnes multique ex recentioribus et catholicis (Schegg, Schanz, Cornely) et protestantibus (Fritzsche, Hengstenberg, Ewald, Keil); idque merito; nam Matthaeus nunquam de suo quaedam sermoni Domini inserit, dum Christus saepius media in oratione similia monet : qui habet aures audiendi audiat, qui potest capere capiat; dein cum eadem verba quoque legantur apud Marcum, omnino probabile est ea esse a Domino prolata, valde autem improbabile Marcum ea ex Matthaeo transsumpsisse qui ea suo marte addidisset. Uti igitur angelus Danielem monet ut oraculum intelligere studeat 9,23. 25, ita Christus ad idem studium provocat.

Quin Christus oraculum intelligat 9,27, dubitari nequit. Loquitur enim, uti liquet, de vaticinio nondum impleto. Iam vero Iudaei, uti res se vere habet, abominationem desolationis 11,31 et proinde etiam 12,11 referebant ad tempus Antiochi Epiphanis. Cuius explicationis argumentum iam apparet in versione LXX 11,25. 30; ponunt enim ibi statim regem Aegypti, hic autem : et venient Romani; unde aperta fit allusio ad res tempore Antiochi Epiphanis gestas et proinde qua ratione oraculum illud sit intellectum apparet. Idem cernitur in primo libro Machabaeorum. Nam, uti Hengstenberg, Authentie des Daniel p. 264, adnotat, ibi in primo capite aliqua de Antiocho eodem modo iisdemque verbis narrantur quibus apud Danielem praedicta leguntur; ita LXX 11,25 ἐπὶ τὸν βασιλέα Αἰγύπτου ἐν ὄχλῳ πολλῷ et 1 Mach. 1,17 εἰςῆλθεν εἰς Αἴγυπτον ἐν ὄχλῳ βαρεῖ; LXX 11,26 καὶ πεσοῦνται τραυματίαι πολλοί et 1 Mach. 1,18 καὶ ἔπεσον τραυματίαι πολλοί; LXX 11,28 dicitur regem reversurum esse in terram cum spoliis multis, quae spolia 1 Mach. 1,19. 20 ut σκῦλα γῆς Αἰγύπτου designantur; in utroque loco idem verbum ἐπιστρέφειν legitur; LXX 11,36 dicitur regem insolenter contra Deum locuturum esse; idem 1 Mach. 1,24 narratur; in utroque loco verbum ποιεῖν et λαλεῖν adhibetur; LXX 11,31 μιανοῦσι τὸ ἅγιον... βδέλυγμα ἐρημώσεως et 1 Mach. 1,46 καὶ μιᾶναι ἁγίασμα v. 54 βδέλυγμα ἐρημώσεως. Porro idem oraculum a Iudaeis de Antiocho esse intellectum testis est quoque Iosephus, qui postquam facinora illo tempore admissa enarravit, subdit desolationem templi factam esse secundum Danielis prophetiam (Antiq. 12,7. 6) et etiam clarius dicit l. c. 10,11. 7 : « et factum est ut haec ipsa sub Antiocho Epiphane gens nostra pateretur, prout viderat Daniel et multis ante annis scripsit ».

Cum igitur βδέλυγμα ἐρημώσεως 11,31 et 12,11 iam esset impletum, Chri-

stus non potuit alludere nisi ad abominationem desolationis, quae 9,27 praedicitur. Atque revera hoc oraculum spectabat tempus futurum et de futura destructione illud esse tempore Christi explicatum, testis est iterum Iosephus, qui scribit Danielem de Romanorum quoque imperio scripsisse et gentem suam ab iis vastatum iri καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἐρημωθήσεται l. c. 10,11. 7. Iam vero nullus reperitur apud Danielem locus ex quo id Iosephus colligere poterat nisi 9,26. 27. Idem confirmatur iis quae narrat in opere de bello iudaico 4,6. 3, a zelotis omne ius humanum esse conculcatum, divina quoque derisa et prophetarum oracula contempta eosque effecisse ut prophetia adversus patriam facta exitum sortiretur, « vetus enim virorum sermo erat tum urbem captum iri et loca sancta conflagratura iure belli, ubi seditio invaserit et indigenarum manus polluerint sacratum Deo locum; quibus licet fidem non detraherent zelotae, ipsi tamen se earum rerum ministros praebuerunt ». Hisce autem tangi oraculum 9,26. 27 manifestum est et simul opinionem eam fuisse communem declaratur. Quare ad quem locum verba Christi spectent, non potest esse dubium; pariter certum est de quo discipuli ea debuerint intelligere.

Testimonium Christi grave et sollemne rationalistae effugere conantur; modo enim dicunt Christum nec potuisse nec voluisse nos de re critica cum auctoritate docere, modo errorem illum de libro Danieli adscripto fuisse innocuum, modo verba fortasse ad solos evangelistas auctores esse referenda. Ita de Wette-Schrader, Davidson, Kuenen etc. (cf. *d'Envieu* p. 805; *Cornely* l. c. p. 494). Sed asserere Christum errorem popularem non potuisse ut errorem cognoscere, blasphemum est; regulas utique artis criticae non tradidit; at falsarium qui tempore machabaico, ut rationalistae volunt, librum compositum falso adscripserit Danieli, vocare prophetam et eius fraudem sancire, non est error innocuus, sed turpis ac perniciosus et quis cogitare potest Christum tale proferre et sancire mendacium? Vanum quoque est effugium, si in dubium vocatur sintne verba Christi. Sed hoc ipsum effugium nobis ostendit eos bene sentire vim ac pondus argumenti ex verbis Christi deprompti. Etsi evangelistarum essent verba, haberetur tamen argumentum ex communi Iudaeorum persuasione et pro homine fideli ex auctoritate scriptorum inspiratorum.

Praeterea alias quoque Christus libro huic nomine Danielis insignito reddit testimonium. Frequentissime enim Christus se vocat filium hominis et cur se ita vocet nobis declaratur ipsius verbis : et potestatem dedit ei (Pater) iudicium facere *quia* filius hominis est (Ioan. 5,27). Nam quae est consecutio inter iudicium et filium hominis? consecutio declaratur Dan. 7,13. 14 ex quo loco et appellatio haec et iudicandi potestas filio hominis data explicatur. Igitur Christus asserit se esse

illum filium hominis de quo in oraculo sermo fit et sibi propter oraculum illud iudicium omne competere. Modus quoque loquendi visionem eam Danielis notam esse supponit; alias enim nullum esset argumentum dicere : potestatem habeo iudicandi quia sum filius hominis, est vero argumentum clarissimum, si cui scena illic descripta obversatur. Et eandem scenam Christus etiam Caiphae et synedrio in mentem revocat. Interrogatus enim per sollemnem adiurationem sitne Christus filius Dei, respondet : videbitis filium hominis venientem in nubibus coeli (Matth. 26,64). Et quid ea sibi vellet responsio, optime intellexit pontifex, scindit enim vestimenta sua clamans : blasphemavit, intellexerunt reliqui respondentes : reus est mortis. Neque hoc solum loco ad eam scenam provocat Christus; quotiescumque enim filium hominis venientem in regno suo, in nubibus, cum angelis, in virtute multa et maiestate exhibet (cf. Matth. 16,27. 28; 19,28; 24,30), visionem Danieli factam agnoscit et vaticinium de se factum esse docet. Porro frequentissime in sermonibus Domini et in evangeliis mentio fit regni Dei, regni coelorum; iam vero ubi nova theocratia, theocratia messiana eo nomine regni, regni Dei et Deus ipse Deus coeli adeo frequenter et explicite nominatur, nisi apud Danielem? nonne doctrina de resurrectione Ioan. 5,29 eo modo a Domino proponitur qui proxime accedit ad Dan. 12,2 et gloria et splendor beatorum Matth. 13, 43 sicuti Dan. 12,3?

Uti Christus, ita apostoli quoque suum dant libro Danielis testimonium. Qua in re primarium sibi vindicat locum S. Ioannes in apocalypsi. Quod cum ab omnibus concedatur, satis erit aliqua innuere; praesertim ea quae cap. 7 habentur, crebro in apocalypsi proferuntur; cf. Apoc. 4,2-5; 5,11; 11,7. 15; 12,14; 13,1; 14,14; 17,12; 19,20; 20,4. 11; praeterea vide Dan. 2,44 et Apoc. 11,15; Dan. 8,26 et Apoc. 22,10; Dan. 10,6 et Apoc. 1,14; etc. etc. S. Paulus antichristum ita describit 2 Thess. 2,3. 4 prout Dan. 7,8. 20 seq. exhibetur et aliqua quoque ab eius typo (Dan. 8,25 et 11,36) mutuatur. In serie eorum qui in s. Scriptura egregium fidei documentum edidisse referuntur, eos commemorat, qui « obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii » (Hebr. 11,33. 34), quibus verbis res quoque tangit cap. 6. 14. 3 narratas et ex cap. 2 quomodo Daniel et socii eius mortis periculum effugerint. Deinde si Corinthiis scribit : an nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt (1 Cor. 6,2)? verba et doctrinam profert ex Dan. 7,22 : donec venit antiquus dierum et iudicium dedit sanctis Excelsi. Simili ratione si S. Petrus nobis loquitur de prophetis qui scrutati sint in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi (1 Petr. 1,11), nonne praeprimis de Daniele

cogitasse censendus est? Daniel quippe unus est qui quaerit : usquequo finis horum mirabilium? ei quoque explicite revelatur quia non sibimetipsi, nobis autem ministrabat ea (1 Petr. 1,12) : tu autem vade ad praefinitum et requiesces Dan. 12,6. 13 et : vade Daniel quia clausi sunt signatique sermones v. 9. Quare quemadmodum numerus librorum sacrorum a synagoga receptus et agnitus certissime approbatur et commendatur a Christo, quoniam triplicem illam apud Iudaeos receptam divisionem approbat dicens : necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me (Luc. 24,44), ita speciali quadam et eximia ratione liber Danielis ut liber a propheta Daniel conscriptus approbatur et commendatur, praeterquam quod generali illa approbatione etiam iam eius approbatio continetur.

Librum Danielis non tempore machabaico, verum multo ante illud ortum esse, etiam necessario ex eo sequitur quod in numerum librorum sacrorum apud Iudaeos erat receptus. Quae enim apud Iudaeos viguerit atque valuerit sententia et traditio eaque aequo severior, nobis tradit Iosephus contra Ap. 1,8 videlicet libros viginti duos sacros a Moyse usque ad Artaxerxen res gestas et oracula complecti; quae autem post Artaxerxen conscripta sint non eiusdem esse auctoritatis. Vide eius locum quoque apud *Cornely*, Introd. I p. 42. Iam vero res est exploratissima et a nullo negata librum Danielis in canone esse Iudaeorum; proinde libri origo ad tempus referatur oportet ante Artaxerxen. Atque eam esse Iudaeorum traditionem constantem certissimum est. Uti in antecedentibus iam notatum est, Iosephus Danielem unum vocat de maximis prophetis (Antiq. 10,11.7) et ostendit quomodo sub Antiocho Epiphane acciderint, quae multis ante annis fore viderat et conscripserat Daniel, cum esset Susis (cap. 8) et alio loco 12,7. 6 monet templi desolationem ab Antiocho factam esse secundum id quod Daniel ante quadringentos et octo annos praedixisset; qui quidem numerus iusto maior est, quia Daniel vaticinium illud non sub Nabuchodonosor anno 578 accepit, sed anno tertio Baltassar, ergo sub Nabonido postquam filium suum in regni consortium vel in partem administrationis admisit; sed pro quaestione quam hic tractamus nihil refert.

Antiqua libri origo etiam supponitur in narratione apud Iosephum, Antiq. 11,8. 5, Alexandro regi cum urbe Gaza expugnata in Ierusalem ascenderet obviam ivisse pontificem cum sacerdotibus in sacro ornatu, eos benigne a rege esse acceptos, regi autem ex libro Danielis esse ostensum oraculum quo fore significaretur, ut rex quidam Graecorum imperium Persarum aboleret; regem ea re delectatum postulasse, ut pontifex quaecumque vellet dona a se peteret et ponti-

fice petente ut liceret patriis uti legibus et septimo quovis anno tributis essent immunes, regem omnia concessisse etc. Hanc quidem narrationem rident rationalistae tamquam fabulam; at eam in rebus praecipuis egregie vindicarunt Hengstenberg l. c. p. 277-288 et d'Envieu p. 812-819 ostendentes eam rem et indoli regis esse consentaneam neque aliis indiciis certis posse in dubium vocari. Praeterea perpendere oportet Iosephum minime id agere ut probet librum Danielis esse antiquae originis neque eum propterea narrationem in medium afferre, sed cum instituisset aliqua de Alexandro narrare, uti aliarum rerum ita eius quoque mentionem facere.

Narrationem autem Iosephi non esse confictam hisce comprobatur : varia quae eo loco Iosephus refert etiam aliorum testimoniis constant; ita Iudaeam non armorum vi esse expugnatam sed ultro se Iudaeos regi subiecisse teste Arriano (de expedit. Alex. 2,25[1]) confirmatur; Alexandrum in Iudaea fuisse Plinius quoque narrat (Hist. nat. 12,26), Iudaeos in exercitu Alexandri militasse praeter Iosephum l. c. etiam Hecataeus refert qui pariter narrat Iudaeos peculiari favore regem esse prosecutum (cf. Iosephus, c. Ap. 2,4); similiter certum est Alexandrum Iudaeis Alexandriam migrantibus paria cum Macedonibus iura concessisse. Cur autem adeo faverit Iudaeis, ex narratione Iosephi illa explicatur; ea autem negata iam non ulla cernitur ratio. Narrat Iosephus pontificem sacris vestibus indutum et cidarim in capite habentem obviam regi processisse; cui narrationi optime congruit quod apud Iustinum legitur histor. 11,10 : « tunc (Alexander) in Syriam proficiscitur, ubi obvios cum infulis multos orientis reges habuit; ex his pro meritis singulorum alios in societatem recepit, aliis regnum ademit ».

Porro reliqua indoli Alexandri regis sunt omnino consentanea. Ea enim in rerum conditione eius magnopere intererat quam celerrime Iudaeos sibi devincire. Nam multas et magnas molestias in obsidione et expugnatione urbis Gazae subierat (cf. Curtius, histor. Alex. 4,6); vires Persarum nondum erant fractae; regi in Aegyptum expeditionem statim molienti (cf. Curtius 4,7) omnino curae esse debebat, ne gens iudaica sibi inimica a tergo insisteret. Modus vero quo pontifex cum sacerdotibus ei obviam processit regi prorsus aptus videbatur quo se militibus tamquam a diis electum exhiberet; similiter postmodum sedulo providit ut oraculo Iovis Ammonis eo quo voluit modo salutaretur. Teste Arriano rex Babylone eo modo sacra peragebat et Bel idolo sacrificia offerebat quo Chaldaei eum docebant; unde nullo modo improbabile est quod Iosephus narrat : « in urbem venit et in templum ascendit ac Deo ad sacerdotis praescriptum sacrificavit ». Ea

1. Verba eius sunt haec : καὶ ἦν αὐτῷ τὰ μὲν ἄλλα τῆς Παλαιστίνης καλουμένης Συρίας προσκεχωρηκότα ἤδη.

occasione sacerdos ex libro Danielis docet praedictum esse regem Graeciae imperium Persarum aboliturum; cf. Dan. 8,21. Alexandrum avide oraculum accepisse et in suum vertisse commodum atque Iudaeis, ut talia de se spargerent, favores concessisse, facile explicatur eo quia generatim oraculis et ominibus multum tribuebat, quippe quibus animi hominum permultum regerentur; quare multum vates consuluit; Aristander vates socius eius fuit individuus (cf. Curtius 4,2. 6. 13. 15; 5,4; 7,7), unde Plutarchus quoque eum appellat συμφιλοτιμούμενον ἀεὶ τοῖς μαντεύμασι (cf. Hengstenberg l. c. p. 285). Alios autem rerum scriptores brevis huius in urbem Ierusalem discessus mentionem non facere nemo iure obiiciet — in Iudaea fuisse Plinius inter Latinos, Makrizi inter Arabes refert; — tot enim ac tanta de eius rebus gestis erant narranda, ut eius itineris omissio vel negligentia facillime explicetur. Iosepho autem praesto fuisse documenta vetera ex quibus hauserit narrationem certum est; quam diligenter enim rerum gestarum memoria ac documenta servata sint apud Iudaeos, ex primo libro Machabaeorum perspicere licet, immo exstitisse annales pontificum haud improbabiliter concludi potest ex 1 Mach. 16,23. 24 : « et cetera sermonum Ioannis et bellorum eius et bonarum virtutum quibus fortiter gessit et aedificii murorum quos exstruxit et rerum gestarum eius, ecce haec scripta sunt in libro dierum sacerdotii eius ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum ». Ceterum de quaestione quibus usus sit fontibus Iosephus cf. Bloch, Die Quellen des Flavius Iosephus 1879; Destinon, Die Quellen des Fl. Ios. 1882. Ex hellenistis exstiterunt scriptores rerum iudaicarum Demetrius (c. 220 a. Ch.), Eupolemus (c. 158 a. Ch.), Artapanus, Aristeas, Kleodemus qui et Malchus appellabatur, qui quamvis veterem historiam sacram potissimum excoluisse dicendi sint ex fragmentis servatis, tamen argumento sunt res gestas Iudaeorum esse litterarum monumentis tractatas atque valde probabile est etiam eventus recentiores non esse plane neglectos, in opere enim Iasonis Cyrenaei qui quinque libris res sui temporis comprehendit quasi in exemplo quodam cernitur hellenistas etiam de temporibus recentioribus scripsisse.

Egregium testimonium de origine libri Danielis ante tempora machabaica nobis praebetur verbis quibus Mathathias iamiam moriturus filios alloquitur; praeclara enim patrum opera, fidem eorum ac legis Dei observandae studium iis in memoriam revocat allegatis sacrorum librorum exemplis iisque ex pentateucho, ex libris Iosue, regum, Danielis petitis : Ananias et Azarias et Misael credentes liberati sunt de flamma, Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum (1 Mach. 2,59. 60). Igitur ob oculos habet Dan. cap. 3. 6. 14. Exempla esse ex libro deprompta et non ex traditione orali, plerique ultro concedunt et concedi debet quia reliqua omnia ex libris sacris afferuntur; verum aliqui (Bleek, Noeldeke, Kuenen) contendunt nobis non verba referri Mathathiae, sed sermonem ab auctore libri libere

compositum. Sed hoc effugium gratuito excogitatur, immo prorsus futile est. Nam auctor eius libri tantam affert copiam rerum particularium, singulos eventus tam accurate et determinate narrat, ut ipsi rationalistae fateri cogantur eum esse omnino fide dignum et librum eius unum esse ex fontibus praestantissimis historiae rerum iudaicarum (cf. Schürer, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter J. Chr. II 1886, p. 580). Etiamsi oratio Mathathiae a scriptore esset composita, tamen validum contineretur argumentum. Omnino enim scriptor sibi persuasisset Mathathiam ita loqui potuisse; ergo ipse qui probabilissime c. annum 130 a. Ch. scripsit (cf. *Cornely,* Introd. II 1 p. 454; *Kaulen,* Einleitung p. 241; *Vigouroux,* Manuel biblique II p. 172; *d'Envieu* l. c. p. 797), librum Danielis iam diu ante tempora machabaica librum sacrum esse existimatum scivit et professus est. Adde quod etiam in verbis Mathathiae v. 49 et 62 allusio cernitur ad oracula Danielis : nunc confortata est superbia etc.; a verbis viri peccatoris ne timueritis; cf. Dan. 8,25; 11,20. 36.

Antiquae origini libri etiam testimonium fertur oraculis quae dicuntur sibyllinis, quae in tertio libro oraculorum sibyllinorum continentur v. 396-400. Iam in hoc tertio libro oracula contineri antiqua critici omnes consentiunt. Et quidem Bleek censet v. 97-807 scripsisse Iudaeum alexandrinum tempore Machabaeorum (170-160 a. Ch.); ei consentiunt Gfrörer, Lücke, Friedlieb. Partem eam Hilgenfeld scriptam censet c. annum 140, eique consentiunt ex parte Zündel et Schürer (vide *Zündel*, Kritische Untersuchungen, p. 140 seq.; *Schürer*, l. c. p. 794). Aperta autem allusio cernitur hisce quibus sermo est de Antiocho Epiphane eique interitus praedicitur :

ῥίζαν ἴαν γε διδοὺς, ἣν καὶ κόψει βροτολοιγός
ἐκ δέκα δὴ κεράτων, παρὰ δὲ φυτὸν ἄλλο φυτεύσει
καὶ τότε δὴ παραφυόμενον κέρας ἄρξει.

Vide Dan. 7,7. 8. 20. Unde secundum priorem sententiam iam anno 160, secundum alteram anno 140 a. Ch. liber Danielis imitatione exprimebatur a Iudaeo quodam alexandrino. Eodem modo in v. 608-617, quae pars de Antiocho Ephiphane agit et eius tempore orta est, uti Bleek, Zündel aliique censent, imitatione exprimitur oraculum Daniel 7,23; in v. 653-663 vero Dan. 7, 10. 11. 13. 14; cf. *Zündel* l. c. 159-163. Iam vero manifestum est, si Danielis oracula imitatione effinguntur iis in partibus quae sub Antiocho Epiphane conscriptae sunt, iam diu sacra auctoritate et dignitate praedita opus esse ea innotuisse. Quod ne Bleek concedere cogatur confugit ad opinionem quae merito ab aliis irridetur, vid. et auctorem libri Danielis et scriptorem carminum sibyllinorum ex uno quodam fonte communi sententias, notiones, imagines transsumpsisse. Sed merito opposuit Hilgenfeld:

quis id credet? vide *Zündel*, p. 142; neque sufficit provocare ad Is. 45,1, ut explicetur oraculum sibyllinum v. 224 seq. et v. 653 et Dan. 7,13.

Librum non esse ortum tempore machabaico, sed revera a Daniele originem ducere hactenus demonstratum est; at cum rationalistae omni conatu contendant librum tempore machabaico esse compositum, haec sententia et rationes quibus eam fulciunt examinandae sunt. Putant enim adeo evidenti modo de illa sententia constare, ut v. g. Droysen dicere non veritus sit fatuae illi ac stolidae sententiae de antiquitate libri Danielis neminem qui sit ratione praeditus posse consentire (Geschichte der Hellen. II 346; cf. *Hitzig*, Das Buch Daniel p. IX); similiter Bunsen triumphum cernit unum ex maximis quem ars critica reportaverit eo quod librum Danielis tempore Antiochi Epiphanis compositum esse probaverit (Gott in der Gesch. I 802; cf. *Zündel* l. c. p. 1). Eandem persuasionem plerique ex interpretibus protestantibus recentioribus prae se ferunt : Hitzig, Stähelin, Hilgenfeld, de Wette-Schrader, Bleek, Kuenen, Reuss, Schürer etc., multo plures affert v. g. *Zoeckler*, Der Prophet Daniel p. 20. Libri originem danielicam propugnant interpretes catholici quos v. g. enumerat *Cornely*, Introd. II 2 p. 487 et ex protestantibus : Hengstenberg, Haevernick, Keil, Auberlen, Zündel, Kranichfeld, Pusey, Fuller, Zoeckler.

De Porphyrio scribit S. Hieronymus in prologo ad commentarium in Danielem (*M*. 25,491) : « contra prophetam Danielem duodecimum librum scripsit Porphyrius nolens eum ab ipso cuius inscriptus est nomine esse compositum, sed a quodam qui temporibus Antiochi qui appellatus est Epiphanes fuerit in Iudaea et non tam Danielem ventura dixisse quam illum narrasse praeterita; denique quidquid usque ad Antiochum dixerit, veram historiam continere; si quid autem ultra opinatus sit, quia futura nescierit esse mentitum. Cui sollertissime responderunt Eusebius caesariensis episcopus tribus voluminibus... Apollinarius quoque uno grandi libro et ante hoc ex parte Methodius ». Ex Origene contra Celsum 7,7 (*M*. 11,1432) sequitur Celsum quoque librum Danielis oppugnasse, id quod mirabitur nemo. Utrumque autem in librum invectum esse quia vaticinia vera negabant pariter manifestum est. Atque haec est etiam hodie una ex causis praecipuis, vel potius praecipua, cur rationalistae librum ad tempus Antiochi referant. Cum enim vaticinia usque ad Antiochum Epiphanem determinata sint et explicita, ultra eius tempus autem vaga, non relinquitur dubium quin liber ipso Epiphanis tempore sit compositus; ita de Wette-Schrader (Lehrbuch der hist. krit. Einleitung p. 507). Et eodem modo alii loquuntur.

Si quaeritur non solum de tempore Antiochi Epiphanis generatim,

sed de ipso anno, utrum scil. ante bellum a Machabaeis motum an illo iam incepto, utrum ante profanationem templi an post eam, utrum ante mortem Antiochi an post eam liber prodierit, « critici » non consentiunt. Eum esse scriptum ab anno 170 usque ad ver 164 a. Ch. Hitzig docet, id quod Lücke ambabus manibus amplectitur tamquam rem arte critica exploratam. Alii assignant annum 167, id quod Colani splendide inventum dicit ingenio acuto eruditorum nostri temporis; alii, ut de Wette-Schrader, statuunt annum 167-164. Sed annum 167 repudiat Kuenen, cum liber non apparuerit initio belli Machabaeorum, sed brevi ante cultum instauratum i. e. anno 165; Réville autem vult post cultus instaurationem librum prodiisse. Alii librum editum volunt post mortem Antiochi, quia eius ruina et mors indicetur, ergo anno 163; demum neque defuit qui Dan. 9,27 foedus iniri vidit inter Iudam Machabaeum et Romanos et proinde librum anno 160 esse absolutum censuit; ita Carre (L'ancien Orient; cf. *d'Envieu*, p. 233 seq.).

At facile est videre quantis incommodis unaquaeque ex istis sententiis prematur. Nam si liber prodiit ante bellum machabaicum et ante cultus restaurationem, vel etiam statim post bellum iam inceptum, quomodo fit ut nulla in eo habeatur adhortatio ad arma fortiter capienda et ad strenue pugnandum? Quod dicitur 11,34 de auxilio parvulo ante bellum minime erat aptum ad animos confortandos, bello exorto autem potius ignominiosum erat et ad animos a bello deterrendos factum. Numeri dierum qui leguntur 8,14 et 12,11. 12, item dictio illa « usque ad tempus, duo tempora et dimidium temporis » 7,25 quam interpretantur de tribus annis semis, ab illis referuntur ad tempus quo durabit abominatio in templo vel etiam ad tempus per quod Antiochus maxime grassabitur quo elapso ipse sit interiturus. Audiamus v. g. quomodo Stähelin de istis numeris disputet (vide Zeitschrift der deutschen morgenl. Gesellschaft XI p. 140) : dies 1290 tres sunt anni semis vel 43 menses si unumquemque mensem 30 diebus constare statuimus; finiuntur dies isti consecratione templi a qua oblatio sacrificiorum denuo fit quam Iosephus quoque (bell. iud. I,1. 1) per tres menses semis ab Antiocho impeditam esse dicit. Dies autem 45 qui supersunt ex numero 1335 (12,12) fluunt usque ad mortem Antiochi. Quod autem 8,14 dicitur, explicari debet de diebus 1150; ex quibus 1110 dies i. e. menses 37 accurate tempus designant per quod abominanda sacrificia in loco sacro fiebant, uti patet ex 1 Mach. 1,57 et 4,52 et ex Iosepho, Antiq. 12,7. 6. Hisce addendi sunt dies 40 ut numerus 1150 compleatur; unde docemur mortem Antiochi contigisse quadragesimo die post ablationem sacrificiorum pollutorum. Ne-

que id priori numero 45 dierum contradicit; nam 5 dies iure ex eo numero deducemus quippe qui sunt dies intercalares ad annum dimidium pertinentes.

Modo simili alii quoque numeros computant; in quibus consentiant et in quibus differant, nihil interest. Iam vero ea explicatione rationalistae se ipsi ad incitas redigunt. Nam haec in libro scripta prodierunt aut ante eventum aut post; si ante, ergo habetur verum vaticinium vel explicent nobis quomodo ille scriptor tam accurate noverit, quamdiu abominatio sit duratura et quo die Antiochus sit moriturus. Si autem post eventum, res exsistebat absurda et ridicula; prodibat scil. statim post eventum liber quem nemo ante vidit et quo ea quae modo evenerant tamquam oracula ab angelo tradita proponebantur. Quis non ingenti risu talem librum propheticum salutasset? Quid igitur dicent qui librum anno 170 vel anno 167, vel 165 vel 160 prodiisse docent? Neque meliore in conditione versatur Reuss qui librum paulatim et per seriem eventuum esse compositum vult, ita ut singula fere oracula cum singulis eventibus temporis Antiochi coincidant et nos (ut ipse vult) considerantes eventus inter se succedentes determinare possimus quando singula sint conscripta, immo fere quo die (Geschichte der h. Schriften A. T. 1881 p. 577). Quis enim sibi finget scriptorem adeo stupidum, ut simul cum eventu vel quando successus exitusque rei iam clare tutoque coniici potest eiusdem rei vaticinium tamquam antiquo tempore ortum aequalibus offerat? Simili difficultate etiam ii premuntur qui numeros illos rebus et tempori non aptari affirmant; nam sibi dicere debent: si illos edidit ante eventum, mox deprehensus est vates falsus; quomodo itaque liber tantam sibi vindicare poterat auctoritatem? si edidit post eventum, rem stupidam egit condens vaticinium ex eventu falsum. En ad hoc tandem recidit ars illa critica!

Itaque oraculis consideratis sententia de aetate machabaica consistere nequit. Eodem modo consistere nequit ex iis ipsis quae eius sententiae patroni statuunt ac postulant. Statuunt enim in libro Danielis adumbrari et exprimi rerum conditiones temporis Antiochi; narrationes et oracula ita conformari, ut animi piorum erigantur et mediis in persecutionibus ad fidelem legis Dei observantiam confortentur et inflammentur; in regibus autem Nabuchodonosor, Baltassar, Dario Medo adumbrari indolem Antiochi et ostendi regi impio exempla iustitiae divinae simulque eum moneri ut resipiscat. Quae omnia ut scriptor libri maiore efficacia praestaret electum ab eo esse Danielem et narrationes illas et oracula eius nomine et auctoritate conficta et populo afflicto proposita.

Nemo negabit exempla pietatis quae edidit Daniel in aula, exempla trium iuvenum qui non adorabant idolum, apta esse quibus animi piorum ad cultum Dei et legis observantiam incitentur; eodem modo Dei favorem in Daniele, in tribus iuvenibus cerni eximia ratione et inde disci Deum etiam miraculis succurrere servis suis neque unquam pios ope Dei destitui; proinde narrationes illas plenas esse doctrinis ac documentis. Sed haec non est quaestio quae hic agitatur. Quaestio est sintne narrationes tales quae *peculiarem* indolem temporis Antiochi prodant et conditiones ei *proprias* prae se ferant, ita ut ipsae originem suam ex eius tempore manifestent. Id enim illi affirmant; id igitur inquiratur oportet. Videamus itaque singula. Daniel cum sociis vivit in aula regia, addiscunt linguam et litteras Chaldaeorum, sibi sinunt imponi nomina gentilia, honores et munera accipiunt a rege gentili. Sed tempore Machabaeorum filii iniqui ex Israel se gentibus adiungunt; pii ab eorum societate maxime abhorrent. Daniel et socii sine ulla vexatione possunt abstinere a cibis immundis; pii autem tempore Machabaeorum poenis gravissimis coguntur non tantum ad cibos immundos comedendos, sed ad totum Dei cultum deserendum. Tres iuvenes plane committunt Deo, utrum velit se eripere necne et miraculo insigni eripiuntur; tempore machabaico maximus est piorum ardor ad pugnandum, ad vim vi repellendam; ad arma vocantur, ad bellum strenue gerendum admonentur; se ipsos debent defendere; plurimi pii iugulantur, succumbunt neque tamen Deus miraculo eos eripit. Si itaque eo exemplo voluit scriptor consulere temporibus machabaicis, id consulit ut sinant se vexari, ut non se defendant, ut miraculum Dei exspectent; ergo plane contraria consuluit vel descripsit iis quae revera evenerunt. Idem cernis in Daniele cap. 6; non se defendit, non ius suum causamque propugnat; quiete et pacate sinit se abiici in lacum leonum et Dei miraculo servatur incolumis. Quid igitur, si haec scripta sunt unice pro tempore machabaico, ut agendi modus vel consulatur vel qui sit describatur? Suadetur itaque ut sese arbitrio persecutorum committant, Deum enim miraculo esse occursurum; aut exprimitur ita pios se gessisse. Quam ineptum utrumque sit quis est quin videat? Ergo quo iure statuunt eas narrationes utpote plane accommodatas indoli machabaicae necessario eo tempore esse[1] conscriptas?

Sed fortasse in regibus cernitur indoles et exemplum Antiochi Epi-

1. Reuss v. g. ita: was ihm seine Blätter eingegeben hat das war die Lage seiner Glaubensgenossen wie er sie vor Augen hatte (Geschichte der h. Schr. A. T. p. 580) i. e. ea aequalium conditione quam oculis cernebat ad haec conscribenda incitatus est.

phanis et ad vivum exprimitur! Est enim id alterum quod asseritur. At non est difficile videre in tribus istis regibus non depingi indolem persecutoris qui cultum Domini omni conatu exstirpare et Dei cultores morte dirissima interimere studet. Nam Nabuchodonosor ne verbulo quidem reprehenditur quod vasa templi asportavit (1,2; 5,2); ne mentio quidem fit eum destruxisse urbem et templum, populum abduxisse, occidisse filios regis et principes. Sed e contra hisce tacitis narratur Danielem ab eo summo honore esse affectum, socios Danielis provinciae Babylonis esse praefectos. Neque cap. 3 persequitur religionem Iudaeorum; neque enim postulat ut Deo patrio legibusque eius renuntient, sed ut etiam suum deum venerentur semel; id quod rex pro opinione gentilium fieri posse censet sine iniuria alterius dei; nullo autem modo iis cultum proprium interdicere vel eripere studet. Igitur ea re iam ingens cernitur discrimen inter eum et Antiochum. Immo tantum abest, ut cultum Dei exstirpare velit, ut et ipse Deum Danielis summis laudibus prosequatur (2,47) et bis decreto publico Dei praeconia annuntiet omnemque in eum blasphemiam poenis gravissimis propositis interdicat (3,96; 4,34). Exhibetur quidem punitus a Deo cap. 4; at minime propter iniurias cultoribus Dei illatas, sed quia de Babylon urbe superba gloriatione effertur (4,27). Quae iam similitudo cum Antiocho? Animo tibi finge scriptorem qui tempore machabaico persecutiones ab Antiocho illatas novit et eius persecutoris typum et figuram in Nabuchodonosor exprimere vult; num a te impetrare poteris ut existimes eum tali modo imaginem regis expressisse? nonne debuit aequalibus ostendere regem talem, qualis erat in destructione urbis et templi et in caedibus principum etc.? cf. 4 Reg. 25,6. 21. Ier. 52,6 seq.

Num Baltassar typum Antiochi regis persecutoris prae se fert? At neminem ex Iudaeis persequitur; gravem reprehensionem a Daniele sibi factam animo accipit demisso et Danielem summo honore afficit. Punitur quidem a Deo quia vasa Dei sacra profanavit et idola sua Domino posthabito laudavit. Verum neque in scelere admisso neque in poena inflicta ea exsistit cum Antiocho similitudo quae postulanda esset, si Baltassar indolem vel sortem Antiochi adumbrare diceretur. Antiochus enim intrans in templum cum arrogantia abstulit vasa et comminuit ea et rapuit thesauros, quia pecuniarum cupidissimus erat; nihil autem Baltassar ex domo Dei abstulit. Baltassar occiditur; regnum transit ad aliam gentem, a Chaldaeis ad Medos Persasque; Antiochus autem neque interficitur neque eius regnum statim ad alios transit, sed sub Philippo tutore et mox sub Lysia tutore eius filius Antiochus Eupator nomen gessit regium per annos duos. Quis igitur in

Baltassar typum et imaginem depingi Antiochi sibi persuadere poterit? Vide 1 Mach. 1,23. 24; 6,14 seq. 2 Mach. 5,15; 9,5. Etiam minus aptus est Darius Medus cap. 6 qui aequalibus exhibeat indolem Antiochi. Nam dolo et astutia aliorum qui Danieli invidebant circumventus et nihil mali pro Daniele suspicans decretum ponit aulicis, ut per 30 dies non a deo aliquo sed a rege petant. Cum illi sententiam in Danielem ferri iuberent, rex satis contristatus est, posuit cor suum ut liberaret Danielem et usque ad vesperam laborabat ut erueret eum. Invitus cedit; optat ut Deus eum eripiat; prae moerore nec cibum capit nec dormire potest; summo mane festinat ad lacum leonum; exsultat cum Danielem incolumem invenit; accusatores Danielis punit; Deum Danielis ab omnibus timeri et suspici iubet eiusque mirabilia universis populis, tribubus, linguis annuntiat. Sane praeclaram Antiochi persecutoris Iudaeorum et cultus Domini eversoris imaginem ac descriptionem!

Quae igitur similitudo inter Danielem amicum regum gentilium, in aula eorum commorantem, honoribus ab eis affectum et Machabaeos omnem cum gentibus societatem abominantes, armis fortiter pugnantes contra regem gentilem? Quae similitudo inter reges Danielis Iudaeos promoventes honoribus, Dominum laudantes eiusque reverentiam praecipientes et Antiochum persecutorem qui omni conatu et crudelitate cultum Dei delere conatur? Profecto nulla. Mirum, si qui tempore machabaico Antiochum voluit depingere non alia selegisset exempla. Daniel reges honorat; aliter, plane aliter loquuntur aequales Machabaeorum: tu inventor omnis malitiae, sceleste, omnium hominum flagitiosissime (2 Mach. 7,31. 33); tempora plane mutata sunt; qui gentilibus favent apostatae censentur. Proinde si ex indole temporis et sententia communi iudicandum est, fieri non potuit ullo modo, ut tempore machabaico Danielis res gestae fingerentur. Eo tempore alius plane Daniel, alii prorsus reges gentiles descripti essent et piis propositi.

Id sensisse videtur *Meinhold* (Das Buch Daniel p. 262 in opere: Die geschichtlichen Hagiographen, 1889). Nam cap. 2-6 orta esse vult circa annum 300 a. Ch. ut iis narrationibus ex antiqua traditione haustis ostendatur, quomodo Israel sub dominio gentilium fideli cultu religionis cognitionem Dei spargere debeat. Tempore autem machabaico alium scriptorem nomine Daniel assumpto oracula illa cap. 7-12 ad confortandos animos composuisse eaque ad cap. 2-6 adiunxisse et prooemium 1,1-2,4 addidisse. Unde argumentum pro tempore machabaico ex oraculis cap. 7-12 petitur, ex quibus reliqui quoque rationalistae tempus probant machabaicum. Contendunt enim omnia oracula spectare ad illud tempus et ad Antiochum Epiphanem, finiri

ibi ac desinere, esse adeo determinata et rebus particularibus accurata, ut vaticinia ex eventu concocta demonstrentur. Haec itaque nobis examinanda sunt.

Et primo quidem falsum est omnia oracula spectare Antiochum et tempus machabaicum. Nam plane aliud spectant oracula 2,40-45 et 7,7-28 et 9,24-27, uti in commentario demonstrabitur. Neque verum est cuncta finiri tempore Antiochi et post illud *statim* exspectari gloriam regni Dei et sanctorum eius. Nam Antiochus significatur cornu modico quod oritur ex regno tertio 8,9; regnum quartum est imperium romanum, de quo 2,40 seq.; quae 7,7-28 dicuntur nequaquam ad tempus Antiochi pertinent, uti postmodum probabitur. Ea de re utiliter quoque consulitur *Düsterwald,* Die Weltreiche und das Gottesreich, 1890 p. 107 seq. Porro maximae quoque offensioni sunt vaticinia adeo accurata quae cap. 11 leguntur. Volunt enim ea plane recedere a more aliorum prophetarum, ita ut *Zoeckler* qui ceteroquin librum Danieli attribuit tamen censeat in cap. 11 multas assumi debere interpolationes quibus accurata rerum descriptio textui sit inserta (Der Prophet Daniel p. 215. 230). At ipse fatetur in v. 5-39 etiam vera ac sincera oracula contineri neque posse deletis interpolationibus textum primitivum restitui. Ergo supponendum esset aliquem impletione facta ausum esse textu originali fere remoto oracula illa confingere et ad eventum conformare et eam sedulitatem male feriatam mox omnia occupasse exemplaria (cernitur enim in omnibus versionibus) et textum Danielis sincerum intercidisse. Id autem summe improbabile est. Neminine occurrit fraude ea Danieli et angelo loquenti et Deo summam inferri iniuriam? numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos (Iob 13,7)? Dein in eo ipso oraculo sat multa sunt obscura, immo vaga, incerta, dubia, ita ut quomodo impleta sint saepius dictu sit difficile. Iam vero si quis post eventum oracula illa ad laudem Danielis prophetae confinxisset (ein begeisterter Leser, ut Zoeckler ait), eximium vaticinandi eius donum sententiis plane claris et ne latum quidem unguem ab eventu recedentibus commendasset. Id agere solere eiusmodi falsarios libris apocryphis et pseudepigraphis ad nauseam usque demonstratur.

Quid dicemus de offensione illa rationalistarum ex oraculis adeo determinatis concepta? Primum monendi sunt se ipsos aliqua oracula admittere ut vera et asserere, auctoritatem qua prophetae praediti erant non posse explicari, nisi saepius eventus rerum praedictioni correspondissent; dein eos etiam admittere quaedam oracula *determinata* esse edita; ita Ez. cap. 12. 24,25 seq. 33,21 seq. Iam quod Deus rerum omnium etiam futurarum conscius aliquoties fecit, etiam fa-

cere poterat tempore Danielis i. e. suam scientiam et sua consilia cum aliquo vate communicare. Homo quivis alteri loqui potest, cur non potius Deus? Ceterum vaticinia posse fieri non opus est hic demonstrare; ipsi rationalistae id quandoque fatentur. Praeterea non desunt alia quoque oracula valde determinata; cf. Num. 24,24. Ps. 21,17-19. Is. 7,8; 45,1; 53,4-12. Ier. 25,11. 12; 28,14-16; 37,6; 38,17; 43,10 etc. etc. Proinde ut fiat probabile etiam Danieli talia esse a Deo communicata, requiritur, ut ex re ipsa ostendatur graves exstitisse rationes quibus Deus ad ea danda inducebatur; has exstitisse vide ad cap. 10. Dein ut res fiat certa, testimonia alia historica exploranda sunt. Hisce autem librum Danielis omnino probari iam expositum est.

V. — Quae ferantur indicia iunioris originis.

Pro iuniore origine arguunt aliqui ex vocibus graecis quae in libro Danielis inveniantur. Ita de Wette-Schrader ait prorsus esse inauditum inveniri verbum graecum ante tempus graecum in libro hebraeo et Reuss quoque graviter monet, *immo* verba graeca reperiri; magis caute loquitur Meinhold ex nominibus graecis instrumentorum musicorum non posse fieri certam conclusionem. Iam quot nomina graeca reperiuntur? Olim contenderat Bertholdt inveniri decem. Id iam nemo asserit. Quattuor affert de Wette-Schrader (l. c. p. 500) nomina scil. instrumentorum musicorum quae 3,5 etc. enumerantur. Iam vero ex quattuor illis duo sunt statim removenda; nam κίθαρις et σαμβύκη non sunt originis graecae; et illa quidem vox a Strabone originis dicitur asiaticae (10,3. 17), haec autem ab Athenaeo originis dicitur syriacae, barbarae a Strabone (cfr. *Gesenius,* Thesaurus ling. hebr. p. 935). Vocem συμφωνία esse apud Graecos nomen instrumenti musici nequaquam certum est; nam uno Polybii loco qui pro ea notione adducitur ea significatio nequaquam certa est, cum notio concentus musici sensui omnino congruat. Quare potius opinari licet nomen siponja (ita kethib 3,10) populari etymologia ad συμφωνίαν esse relatum. Restat igitur pesantrin in qua voce ψαλτήριον agnoscitur. Id prorsus concedi potest. Immo nihil obstat quominus concedatur quattuor illa nomina a Graecis simul cum instrumentis ad Babylonios migrasse. Constat enim Graecos musices fuisse peritos; constat commercium inter Graecos et Assyrios Babyloniosque antiquo tempore exstitisse.

Per Phoenices enim servi graeci iam antiquitus vendebantur etiam in regiones babylonias (cf. *Movers,* Phoenizier II 3 p. 80. 236 seq.); cum servis autem etiam instrumenta musica eorumque nomina eodem migrasse omnino probabile est, nam servi artium periti magnopere

requirebantur, Babylonios autem musices fuisse amantes monumentis imaginibusque servatis constat; vide *Layard*, Discoveries in the ruins of Niniveh and Babylon p. 454. 455; *Rawlinson*, The five great Monarchies, 2 ed. III p. 20; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. IV p. 419; *Tiele*, Babylonisch-assyr. Gesch. p. 599. Cum rebus autem ipsa quoque nomina transferri res est notissima, quae etiam in nominibus mercium 1 Reg. 10,22 deprehenditur. In inscriptione quadam Sennacherib regis testibus Rawlinson et Norris legitur regem habitantes Ciliciam subegisse armis (cf. *Schenkel*, Bibellexicon V p. 177), id quod testimonio quoque ex Polyhistore servato confirmatur: « cum ille fama accepisset Graecos in Ciliciam belli movendi causa pervenisse, ad eos contendit » etc. ita in Eusebii Chronic. vide *Richter*, Berossi quae supersunt p. 62. 88; *Zündel* l. c. p. 6. Praeterea Curtius 4,12 memorat gentem euboicam i. e. Graecos ex Euboea insula oriundos, qui olim Medos secuti erant. Teste Strabone (13,2. 3) in exercitu Nabuchodonosor stipendia merebatur frater Alcaei poetae graeci, Antemenidas; immo iam in inscriptione quadam Sargon regis (722-705 a. Ch.) legitur de clade quam hominibus terrae Iavan i. e. Graeciae inflixerit; vide *Schrader*, Keilinschriften und A. T. 2 ed. p. 81. Quare de commercio inter Assyrios Babyloniosque et Graecos satis constat; unde nomina quaedam instrumentorum musicorum tempore Danielis facile explicantur neque opus est cum d'Envieu originem graecam unius alteriusve nominis negare.

Eius commercii antiquissimi inter Graecos et alios populos documentum est etiam vox hebr. פִּלֶגֶשׁ quae est apud Semitas vox peregrina et simul cum puellis graecis per Phoenices venditis in alias regiones migravit; est enim haec vox omnino graeca πάλλαξ, παλλακίς, παλλακή, uti *Stade* quoque docet (Geschichte des Volkes Israel, 1887 I p. 380); quare satis ridiculum est in altero eiusdem operis volumine p. 326 statui ab Oscar Holtzmann usum alicuius vocis graecae originis apud Hebraeos concipi non posse nisi tempore hellenico. Num etiam haec vox pillegesch solum tempore illo adhibetur? Inde quoque patet quid censendum sit, si de Wette-Schrader contendit usum vocis graecae ante tempus dominationis graecae esse inauditum[1]. Idem quoque obiicit nomen instrumenti graeci nullibi in inscriptionibus inventum esse. Id verum est; sed quid oportet necessario addi? Narrat Strassmaier in musaeo britannico plus quam 50 000 inscriptionum nunc asservari (Astronomisches aus Babylon, 1889, p. 5). Ex hisce paucae

1. *Payne Smith*, Daniel, London. 1886, immo provocat ut probet commercium cum Graecis fuisse antiquissimum ad Gen. 49,5, ubi nomen graecum μάχαιρα receptum legatur.

sunt transscriptae, pauciores explicatae. Num eo numero omnia continentur quae cuneiformibus scripta sunt? minime gentium! Multa alibi asservantur; sane multa adhuc latent; quis negabit multa quoque periisse? Demum num omnia vocabula in usu posita etiam documentis publicis privatisque inscribi debent et si ibi non occurrunt, num statim dicenda sunt non exstitisse? Quis adeo praecipite modo sententiam statuet? Ergo ridendus est qui ex paucis inscriptionibus iam circumscribere vult ac definire usum vocabulorum. Frustra quoque obiicit idem de Wette-Schrader, eiusmodi nomina graeca non adhiberi apud ullum scriptorem hebraeum neque apud auctorem Chronicon, verum ubique legi vocabula hebraica: nebel, kinnor etc.; miram obiectionem! Daniel nomina refert qualia apud Babylonios adhibebantur scribens scil. de re Babylone acta; reliqui auctores de rebus hebraeis narrantes nomina apud Hebraeos usitata adhibent. Quid ea in re novum aut a consuetudine alienum? Vide de hac tota obiectione *Rohling,* Das Buch des Propheten Daniel p. 103-108 et *Hebbelynck*, De auctoritate historica l. Dan. p. 112-123.

Gravius videri potest quod ex usu vocum quarundam originis persicae vel aricae obiiciunt; vide in comment. ad 1,3. 5; 3,2. 16; 4,14; 6,8. Quomodo enim in aula Nabuchodonosor regis nomina dignitatum persica adhibentur, uti 3,2 etc.? Fortasse dixerit quis Danielem scripsisse sub regno Cyri; unde explicari posse cur nominibus tempore Cyri usitatis etiam in narratione de tempore priore usus sit. Dubito tamen sitne hoc satis probabile. Neque puto esse necessarium ita respondere. Nam regno et dominatione Nabuchodonosor continebantur gentes variae. Decreta publica inscribuntur et destinantur omnibus populis, gentibus et linguis (cf. 3,96. 98). Iam vero ad dedicationem statuae convocaverat praefectos ac praesides ex omni regione. Recensentur itaque iis nominibus quibus apud varias gentes designabantur. Si itaque tribus quaedam persicae vel gentes quaedam ex magna familia arica sub regis ditione erant, eiusmodi nominibus praesides et magistratus earum appellari res est obvia ac plana[1]. Iam vero dubitari nequit quin eiusmodi tribus obedierint Nabuchodonosor regi. Susiana enim ad eius ditionem pertinebat (cf. *Rawlinson* l. c. III p. 46); dein regnum babylonicum ortum est ex assyriaco; reges autem assyriaci tribus Medorum sibi non semel subiecerant (cf. *Tiele*

---

1. Apte monet d'Envieu : « c'est ainsi que l'on pourrait convoquer à Paris des beys (de Tunis), des huyens (préfets et des phu-loc (du Tonkin), des damels (du Sénégal), des marabouts, des cadhis, des préfets, des généraux etc.. et y joindre des spahis, des zouaves etc. » (p. 125).

l. c. p. 193. 241-242. 263); principes Medorum haud pauci se addixerunt regibus Sargon, Sennacherib; Asarhaddon quoque magnam partem terrae Medorum occupavit (l. c. p. 289. 336); etiam a regibus babyloniis haud raro illis bellum inferebatur (p. 407). Quandoque etiam tribus istae foedus inierunt cum Babyloniis contra Assyrios; ita tempore Sennacherib cernuntur foedere iunctae gentes Babel, Elam, Parsuas, Susiana, Ellipi contra Assyrios. Etiam ex Esdr. 4,9 i. e. ex gentibus quas Asarhaddon in Samariam misit satis elucet nomina ex linguis aricis petita apud Assyrios non potuisse esse incognita. Nabuchodonosor filiam regis Medorum in matrimonium duxerat; unde principes aulicosque Medos et Persas in regia eius commoratos esse certum videtur. Igitur cum et Assyrii et Babylonii frequenter eiusmodi tribus oppugnarent, subiicerent, tributa ab iis exigerent, in militiam eas reciperent, fieri non potuit quin etiam nomina quaedam et vocabula alienae originis in linguam assyriacam et babylonicam admitterentur. Id enim usu constanti ubique fieri in simili conditione videmus. Quare explicatur cur Daniel de rebus Babylone actis scribens ea adhibeat nomina quibus eaedem res apud Babylonios designabantur. Sperare licet, si multa millia illa inscriptionum aliquando explicata erunt, etiam eiusmodi vocabula ex tempore Danielis inventum iri. Quod in Baltassar rege evenit, quem exstitisse negabant donec inventum est nomen eius et dignitas in monumentis cuneiformibus, idem accidere poterit de istis vocabulis. Saepius enim iam similia comperimus; vide de rege Sargon quae dixi ad Is. 20,1, de Salmana ad Os. 10,14, de expugnatione No-Amon ad Nah. 3,8, de explicatione variorum vocabulorum ad Ier. 43,10; 51,27. Am. 7,7; 8,1. Ion. 3,7 etc. Ceteroquin si certum esset ea vocabula esse temporis posterioris, idem relinqueretur quod aliquoties etiam alibi assumendum est, videlicet quandoque per scribas vocabula antiqua vel obsoleta vel obscura esse explicata positis recentioribus.

Tamquam indicium temporis iunioris magnopere quoque efferunt librum Danielis in canone Hebraeorum non collocari cum prophetis, sed in serie tertia inter librum Estheris et librum Esdrae; ita post priores quosdam, ut Eichhorn, Bertholdt, Kirms, Bleek etiam recentiores; v. g. de Wette-Schrader, qui affirmat id explicari nullatenus posse, si liber tempore exsilii esset conscriptus (Einleitung § 317 p. 501) et similiter Reuss p. 577 quaerit quomodo fieri potuerit ut tantus ac talis propheta prorsus negligeretur neque cum prophetis connumeraretur. Duo advertenda sunt; prius, posse in dubium vocari sitne ordo ille revera primus et antiquus; nam apud LXX alius cernitur ordo, Daniel connumeratur prophetis; hodie autem conceditur LXX saepius

textum praebere meliorem et antiquiorem massorethico. Ordo iste etiam commendatur a Iosepho; nam Danielem vocat prophetam unum ex maximis, uti supra iam dictum est; deinde seriem secundam et tertiam librorum sacrorum ita describit, ut Danielem secundae annumerasse censendus sit. Ait enim a Moyse usque ad Artaxerxen prophetas res sua aetate gestas complexos esse; quattuor vero libros reliquos i. e. tertiam seriem exhibere hymnos in Dei laudem et praecepta vitae utilissima (c. Ap. 1,8). Iam ex hac descriptione Daniel non ad tertiam, sed ad secundam seriem pertinet; proinde ordo apud LXX olim etiam apud Hebraeos exstitit, uti testimonio Iosephi discimus. — Alterum est, non deesse rationes cur liber Daniel eo ordine sit collocatus apud talmudistas. In tertia enim serie eos ponebant libros praeter psalmos et sapientiales, qui res gestas et prophetias de temporibus recentioribus continebant (cf. *Fürst,* Der Kanon des A. Test. p. 60); porro Danielem talmudistae non nominabant prophetam, sed *videntem,* quia visiones proponat, ideoque eum cum prophetis non recensebant et eius oracula volumen visionum (megillot chesjonot) appellabant (l. c. p. 101). Et profecto Daniel munere prophetico pro suo populo non est functus ea ratione qua ceteri; erat propheta gentium qui gentibus maiestatem Dei Israel rebus gestis demonstraret. Porro quia pars libri lingua conscripta erat aramaica, haec pro indole talmudistarum etiam ratio esse poterat cur eum ponerent cum libro Esdrae qui pariter partes habet aramaicas. Demum adverte ordinem temporis in ista collocatione non servari; in secunda serie enim Isaiam ponunt post Ieremiam et Ezechielem; in tertia serie ponunt psalmos, librum proverbiorum, Iob; qui libri sane antiquiores sunt quam aliqui secundae seriei. Danielem adiungunt Lamentationibus quoque (l. c. p. 59); ibi si vis indicium temporis servatum consideraveris. Confer de hac collocatione *Cornely,* Introd. I p. 29.

Dein aliqui (Bleek, Reuss, de Wette-Schrader, Meinhold) gravem rationem detexisse sibi videntur eo quod Daniel non nominatur inter viros praeclaros Eccli. cap. 49. Verum auctori Eccli. minime erat propositum enumerare omnes; ita tres solum reges pios agnoscit 49,5 : praeter David et Ezechiam et Iosiam omnes peccatum commiserunt; et tamen Asa rex fecit rectum ante conspectum Domini sicut David pater eius (3 Reg. 15,11), Iosaphat quoque laudatur quia ambulavit in viis David 2 Par. 17,3 seq.; neque Mardochaeus laudatur et Esdras quoque omittitur. Quid ergo ex eius silentio concludi potest? Si eo aliquid probaretur, conficeretur Danielem omnino non exstitisse, cum tamen apud Ez. magnis viris Noe et Iob accenseatur. Debet enim adverti in libro Eccli. recenseri viros gloriosos, non solum eos qui scripserint.

Alia indicia temporis iunioris apparere volunt in doctrina de angelis, de resurrectione mortuorum et iudicio, in abstinentia a quibusdam cibis, in consuetudine ter in die orandi (de Wette-Schrader § 315). At perperam. Nam angelos curam gerere hominum, quandoque mortalibus se praebere conspiciendos, de rebus humanis esse sollicitos, iam docetur in prioribus libris sacris variisque exhibetur exemplis, vide Gen. 18,2; 19,1 seq. 24,7 ipse mittet angelum suum coram te; 24,40; 28,12 vidit angelos Dei ascendentes et descendentes; 32,1; 48,16 angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis; praeterea Gen. 16,7. 9; 21,17 22,11; 31,11. Angelum totius populi tutorem cernimus Ex. 14,19; 23,20 etc. de eoque saepius est mentio in libro Num. et Iudicum. Quae cum ita sint qua specie probabili poterit quis asserere angelos eo modo quo in libro Danielis cernantur non posse concipi nisi tempore machabaico? In libro Iob et apud Zachariam exhibentur curam agere totius terrae et populorum variorum; mitto plura quae in libris Regum, in Psalmis, apud Isaiam de angelis commemorantur, nam satis patet eam obiectionem frustra esse excogitatam. Porro quam immerito reiiciatur notio resurrectionis mortuorum ad tempus machabaicum, facili negotio colligitur ex Iob 19,25. Is. 26,19. Os. 13,14. Ez. 37,3-14 (vide quae dixi in comment. Ez. p. 379). Neque abstinentiam a cibis illicitis ad tempus posterius pertinere, praeter alia discere poteris ex Ez. 4,14 qui de se profitetur inter alia : non est ingressa in os meum caro immunda; immo iam Osee minatus erat : in Assyriis pollutum comedit 9,3. Consuetudo saepius per diem orandi certe non primo inventa est tempore machabaico; iam Ps. 54,18 legitur : vespere et mane et meridie narrabo (meditabor) et annuntiabo (gemam) et exaudiet vocem meam, qui psalmus Davidi inscribitur, a multis autem v. g. Hitzig Ieremiae attribuitur.

Obiiciunt miracula omnem mensuram excedentia; somnium Nabuchodonosor regis esse confictum ad similitudinem somnii Pharaonis et in Daniel exprimi imaginem Ioseph in Aegypto. Utique miracula grandia sunt; sed id agitur ut Dei maiestas quae in populo Dei afflicto ipsa quoque prostrata iacere videbatur, insigni modo genti victrici manifestetur. Sicut igitur olim in Aegypto Dei potentia maximis miraculis innotuit, sicut tempore Iosue Deus non semel stupendis modis suam sublimitatem gentibus ostendit, ita tempore quoque captivitatis, si unquam, necesse fuit dominium Dei Israel excellentissime declarare. Unde considerare oportet ad quid et coram quibus fiant. Nonne etiam in initiis rei christianae miracula patrata sunt et numero et admiratione insignia? Et si Deus semel statuit maiestatem suam

palam manifestare, nonne decet id fieri modo quodam praeclaro? Similitudo autem quae intercedit inter Ioseph et Daniel est exigua valde: uterque somnium interpretatur, uterque a rege honoratur sed alio et alio modo; en tota similitudo! sed in quot rebus nulla exsistit similitudo? Si obvia quaedam et valde exigua similitudo iam sufficit, ut res gestae narrataeque negentur, actum est de historia. Qui autem contendunt tali exaggeratione et imitatione dignosci librum apocryphum et pseudepigraphum, praeter alia obliviscuntur falsarios illos nunquam sibi selegisse nomen viri ignoti — et talis est Daniel si eius librum negaveris — sed figmenta sua adscripsisse viris insignibus omnibusque notissimis, uti Henoch, Moysi, Salomoni, Isaiae etc.

Argumentum quoque et formam oraculorum deprehendunt omnino recedere ab illo modo qui proprius sit aliis prophetis; fieri quippe oracula de regnis mundanis inter se succedentibus eorumque pugnis et fere cuncta visionibus exhiberi. At nonne reliqui quoque prophetae de externis gentibus vaticinantur? Immo videri possent oracula Danielis magis cohaerere cum regno Dei quod sit hisce in terris stabiliendum quam multae aliorum prophetarum de variis gentibus praedictiones. Perperam quoque revelationem asserunt fieri Nabuchodonosor regi plane inutilem; quam immerito hoc dicatur ex iis quae iam exposita sunt colligitur; rex discit scientiam et potentiam Dei cuius populi se esse victorem gloriabatur. Daniel eiusque aequales edocentur non statim secuturum esse regnum messianum post exsilium solutum vel post ruinam regni babylonici, verum alia regna fore ut exsistant; proinde ea quae Isaias, Ieremias, Ezechiel, Osee, Michaeas de instaurationis tempore obscure dicebant, clarius proponuntur, et quod illi quandoque innuere videri poterant, scil. statim reditu concesso orituram esse regnum messianum, oraculis Danielis ad veri rectique normam redigitur. Quare nullatenus, ut Meinhold affirmat, Daniel prioribus prophetis contradicit, sed, prout progressus revelationis exigit, eorum vaticinia addita temporis determinatione explicat ostendens reditum et instaurationem longiore intervallo inter se separari. Neque forma visionum ita exsulat ab aliis vatibus, ut ea in re plane singularis sit Daniel. Ecquid si esset? nonne Deus promiserat se in visione appariturum prophetis i. e. in visione se cum illis sua consilia communicaturum (Num. 12,6)? Etiam priores prophetae varia didicerunt visione; vide Am. cap. 7-9. Is. 6. Ier. 1. 24. Ez. 1. 8-11. 37. 40-48; etiam iis varia rerum symbola exhibebantur. Neque ante Danielem inauditum erat regna et reges symbolo animalium designari; cf. Gen. 40,9. Num. 23,22. Is. 5,29; 46,11. Ier. 4,7. Ez. 17,3. 7; 19,2-9. Si id apud Danielem frequentius fit et magis per singula explicatur et

illustratur accuratius, tamen nimiae est exaggerationis dicere modum vaticinandi apud eum plane alium esse. Pertinet enim iste modus ad symbolicam rationem, qua ii quoque vates utuntur qui actiones symbolicas et rerum futurarum significationem exprimentes peragunt, uti Os. cap. 1. 3. Is. cap. 20. Ier. 27,2; 28,10. Ez. 12,3 seq. Uti istis actionibus sensus hominum magis percelluntur quam verbis, ita oraculum visione symbolica exhibitum altius inhaeret animis et vatum et eorum quos de visione reddit certiores. Quis autem negare poterit tempore Danielis magis quam antea opportunum fuisse, ut Deus modo uteretur acriore ac vehementiore? ut pignora quoque daret fidelitatis suae in promissis suo tempore adimplendis illustriora?

Demum obiiciunt laudes quae in libro tribuuntur Danieli et quas non ipse de se scribere potuerit. Afferunt 1,17. 19 seq.; 5,11 seq.; 6,4; 9,23; 10,11. Sed 1,17 Daniel narrat quae dona sibi et sociis sint a Deo concessa; ergo non se, sed Deum omnium donorum auctorem praedicat; ceterum nemini vitio verti potest, si vere dicit : fecit mihi magna qui potens est! Et 1,19 narrat quo successu apud regem tentamen subierint scientiae. Si in eo tentamine eminuerunt, nemo potest postulare ut dicat sibi sociisque rem male cessisse. Non quid ipse dicat, sed quid dixerit regina 5,11 seq. affertur; iam vero planum est, si regina regi voluerit persuadere ut Danielem adhiberet interpretem, postquam magi omnes nihil potuerint efficere, eam debuisse praestantiam Danielis prae reliquis omnibus clare efferre. Rex parum sciebat quid rei esset cum Daniele; igitur ut eum advocaret, quamvis magi omnes nihil explicare valuissent, opus erat gravibus rationibus. In 6,4 statuit Daniel se non potuisse accusari alicuius delicti vel criminis vel fraudis in munere suo quod apud regem gerebat. Eam laudem, puto, etiam omnes hodierni oppugnatores Danielis sibi ipsi attribuent. Demum 9,23 et 10,11 Daniel ab angelo vocatur dilectus, dilectus a Deo; Daniel id narrat. Num debuit contrarium narrare? Nos omnes dicimur in sacris libris a Deo dilecti. Et profecto in tali dilectione licet gloriari. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Daniel si quid gloriatus est, in Domino gloriatus est, ut Deus iam per Ieremiam gloriandum esse dixit (9,24).

VI. — De versione LXX.

Interpretatio graeca quae LXX fertur libri Danielis ab Ecclesia est reiecta et in eius locum assumpta versio a Theodotione facta[1]. Id sac-

1. Hanc in commentario voco graecam (gr.).

pius quoque monet S. Hieronymus; « illud quoque lectorem admoneo Danielem non iuxta LXX interpretes, sed iuxta Theodotionem ecclesias legere, qui utique post adventum Domini incredulus fuit » (Prolog. ad Dan. *M.* 25,493) et ad Dan. 4,6 etiam eius rei aliquam reddit rationem : « exceptis LXX translatoribus qui haec omnia nescio qua ratione praeterierunt tres reliqui *collegam* interpretati sunt; unde iudicio magistrorum Ecclesiae editio eorum in hoc volumine repudiata est et Theodotionis vulgo legitur quae et hebraeo et ceteris translatoribus congruit. Unde et Origenes in nono Stromatum volumine asserit se quae sequuntur ab hoc loco in propheta Daniele non iuxta LXX interpretes qui multum ab hebraica veritate discordant, sed iuxta Theodotionis editionem disserere » (*M.* 25,514). Cum igitur haec versio ab usu ecclesiastico esset remota, etiam eius exempla interciderunt neque alia exempla transsumebantur et diu omnino incognita erat et plane habebatur tamquam deperdita LXX versio. At tandem in uno codice chisiano superstes reperta est et primum edita a Simone de Magistris, congreg. orat., hoc titulo : Daniel secundum LXX ex tetraplis Origenis nunc primum editus e singulari chisiano codice annorum supra DCCC. Romae 1772. Eam editionem in Germania imprimendam curarunt I. D. Michaelis 1773 et 1774 et in Hollandia Segaar 1775. Mox in bibliotheca ambrosiana Mediolani reperit Caius Bugatus syriacam versionem textus alexandrini quam syriace edidit, latine vertit, praefatione notisque criticis egregiis instruxit 1788[1]. Ex hisce subsidiis ortae sunt editiones versionis LXX quas hodie pro libro Danielis habemus, quarum prior adornata fuit a H. A. Hahn, Lipsiae 1845; altera a Tischendorf in opere « Vetus testamentum graece iuxta LXX interpretes »; codicem chisianum cum textu tischendorfiano contulit et lectiones variantes adnotavit Nestle : Veteris Testamenti graeci codices vaticanus et sinaiticus cum textu recepto collati, Lipsiae 1880 p. 186, 187.

Versionem hanc merito ab Ecclesia esse relictam manifestum est. Si enim comparatio instituitur cum textu hebr. quem etiam in vulgata nostra fideliter expressum habemus, deprehenditur versio LXX modo aucta additis et verbis et sententiis, modo variis omissionibus brevior, modo alium dicendi colorem aliumque sensum prae se ferens. Eiusmodi exempla habes 1,2 et tradidit *eam* Dominus in manus eius *et* Ioakim; 1,3 ex filiis *principum* Israel; 1,6 et fuerunt *ex genere* filiorum *Israel* τῶν ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας; 1,10 vultus vestros macilentiores *et infirmos* prae

1. Codicem eum integrum edidit *Ceriani*, Codex syro-hexaplaris ambrosianus photolithographice editus, Mediol. 1874; tom. VII Monum. sacr. et profan.

ceteris adolescentibus... *alienigenarum*, καὶ κινδυνεύσω τῷ ἰδίῳ τραχήλῳ; v. 13 conformatur ad v. 10; v. 17 et Danieli dedit intelligentiam *in omni verbo et* visione et somniis *et in omni sapientia;* additur ad v. 20 : et honoravit eos rex et constituit eos principes et ostendit eos sapientes prae omnibus qui apud ipsum erant in muneribus in omni terra eius et in omni regno eius; 2,1 accidit ut in visiones et somnia rex incideret et perturbaretur in somnio suo; 2,2 maleficos *Chaldaeorum* (ubi itaque Chaldaeorum nomen hic non proprium ordinem sapientum vel magorum constituit); 2,5 (iis poena annuntiatur παραδειγματισθήσεσθε et eorum bona regio fisco iri attributum); 2,8 additur : sicut igitur constitui, sic esto! 2,9 si somnium non annuntiaveritis mihi *in veritate et eius interpretationem manifestaveritis, morte occumbetis...* nunc vero si rem dicitis mihi *quam nocte vidi,* cognoscam... 2,11 non dii nominantur, sed angelus; et additur : quare fieri non potest sicut tu opinaris; 2,18 Daniel sociis indicit *ieiunium et orationem et poenitentiam*, ut quaerant a Domino de re illa abscondita; 2,28. 29 omittuntur sententiae duae : somnium tuum et visiones capitis tui — futurum post haec; 2,38 etiam *pisces maris* adduntur; 2,40 sicut ferrum *omnem arborem* (אילין!) exscindit; 2,43 commiscebuntur ad generationem hominum, neque tamen erunt consentientes neque benevoli inter se; 2,44 et hoc regnum aliam gentem οὐ μὴ ἐάσῃ (?); 2,47 et revelans mysteria *abscondita solus;* 3,1 *anno* 18 Nab. rex *gubernans urbes et regiones et omnes habitantes in terra ab regione indica usque ad Aethiopiam* fecit statuam auream; non campus Dura dicitur sed ἐν πεδίῳ τοῦ περιβόλου; 3,2 et Nab. rex *regum et dominans toti terrae* misit congregare *omnes gentes, tribus et linguas;* 3,4 vobis annuntiatur, gentes *et regiones,* populi et linguae; 3,12 et idolum tuum non adorant; 3,14 quare... deos meos non adoratis? 3,17 *est enim* Deus *in coelis unus Dominus* noster *quem timemus qui* potest nos eripere... et ex manibus tuis, rex, *eripiet nos* 3,18 et tunc manifestum tibi erit (igitur certo praedicunt se iri servatum! modestius et melius in textu hebr.); 3,23 et viros quidem qui colligabant socios Azariae flamma e camino egressa combussit et interfecit; ipsi autem servabantur; 3,24 ita igitur orabat Ananias et Azarias et Misael et cantabant Domino, cum rex eos mitti iussisset in fornacem; 3,25 et aperiens os suum *confitebatur Domino cum sociis suis* in medio igne *camini a Chaldaeis vehementer accensi* et dixit (v. 24. 25 cum versione Theodotionis comparantur) 3,92 et species quarti similis *angelo* (hebr. filio) Dei; 3,93 vocavit *eos ex nomine;* 3,95 tradiderunt corpora sua *ad combustionem;* 3,97 sic igitur rex potestatem dans Sidrach, Misach et Abdenago super omnem regionem eos constituit principes.

Etiam eventus cap. 4 adscribitur anno 18 regni Nab.; in quo capite maior varietas deprehenditur. Statim enim post v. 2 « somnium vidi et timui et timor in me cecidit » narratur somnium : in strato meo dormiebam et ecce arbor magna etc. quae descriptio et longior est et sententias aliquas alio ordine exhibet neque exaggerationibus caret; ita rami erant longitudine quasi stadiorum 30; truncus eius usque ad nubes implens ea quae sub coelo sunt; sol et luna erat, in ipso habitabant et illuminabant omnem terram. — Non est sermo de vigile, sed solum de angelo, neque de sententia vigilum neque de sermone et petitione sanctorum fit mentio neque de corde ferae. Simul autem vidit Nab. in somnio ea fieri quae angelus iusserat : coram me excidebatur in una die et corruptio eius in una hora diei, et rami eius proiiciebantur in omnem ventum et volvebatur et abiiciebatur et herbam terrae comedit et in custodiam dabatur et in vinculis et manicis aheneis vinciebatur. Magnopere obstupui super his et somnus recessit ab oculis meis. Et surgens mane ex lecto meo vocavi Danielem principem sapientum et ducem eorum qui omnia diiudicant et narravi ipsi somnium et ostendit mihi omnem significationem eius. — Non dicitur, uti in hebr. v. 3-4 alios quoque vocatos esse qui nequiverint somnium interpretari. In seq. v. 16 stupor et admiratio Danielis uberius describitur. Interpretatio fit ita, ut singulis somnii partibus statim addatur explicatio : arbor... tu es; et omnes volucres coeli... virtus terrae et gentium et linguarum omnium usque ad fines terrae et omnes regiones tibi serviunt; quod autem arbor elevabatur et appropinquabat coelo... tu rex exaltatus es super omnes homines qui sunt super faciem universae terrae, exaltatum quoque est cor tuum superbia et potentia contra ea quae pertinent ad sanctum Dei et angelos eius; facinora tua videbantur quomodo domum Dei vivi vastaveris propter peccata populi ei consecrati. Et visio quam vidisti, quia angelus in virtute missus est a Deo... iudicium Dei magni veniet super te et altissimus et angeli eius in te impetum facient, in custodiam abducent te et in locum solitarium emittent te; et radix arboris relicta... locus throni tui tibi servabitur in tempus et horam. Ecce contra te parantur; et flagellabunt te et adducent quae contra te decreta sunt. Dominus vivit in coelo et potestas eius in universa terra; ipsum precare de peccatis tuis et omnes iniustitias tuas eleemosynis redime, ut indulgentia detur tibi et fias longaevus in throno regni tui et ut non perdat te. Hos sermones amplectere; accuratus est enim sermo meus et plenum tempus tuum. — Etiam in subseq. v. 26-34 magna deprehenditur varietas et amplificatio eo fere modo quo in paraphrasi chaldaica, in targumim, haud raro textus hebraeus exprimitur variis additamentis et magna verbositate.

In cap. 5 non fit mentio uxorum et concubinarum mensae accumbentium; aliqui versus exprimuntur verbosius v. 6. 7. 23; alii brevius v. 1. 2. 3. 10. 11. 13. 16; omittuntur alii, ut v. 12. 14. 15. 18-22; alii mutato sensu redduntur v. g. v. 9 vocavit rex reginam de signo illo etc.; v. 10. 17. 27. 28. 30. 31; etiam sententia transfertur in alium locum; ita v. 25 ad v. 17 sensus habita ratione. Simile deprehenditur cap. 6; v. 1 regnum in 127 provincias dividitur; varia additamenta leguntur in v. 4. 5 .14. 17-20; breviore tamen modo exhibentur v. 3. 6. 7. 10. 15; omittitur v. 8; sensus autem varius cernitur in v. 13.18. 22 .23. 27. 28.

In altera libri parte qua visiones continentur multo maior conformitas inter textum hebr. et versionem LXX deprehenditur; immo in multis textus hebr. satis accurate exprimitur; at non desunt varietates. Ita v. g. in cap. 7 redditur brevius v. 6; at aliqua adduntur ad v. 2. 7. 8; alius sensus reperitur in v. 13. In cap. 8 v. 9 cornu egressum est *forte,* robustum; sensus cernitur alius in v. 11. 12. 25; varia adduntur ad v. 16. 19. In cap. 9 iam v. 10 mentio fit Moysis; magnum autem discrimen cernitur in oraculo v. 24-27 quod interpres ad tempora Antiochi Epiphanis referebat; de quo discrimine in comment. agetur; vide quoque librum praeclarum a Fraidl conscriptum : Die Exegese der 70 Wochen Daniels, Graz, 1883 p. 4-11. Visio cap. 10 adscribitur anno *primo* Cyri, non anno tertio; propter 1,21 haec mutatio ab interprete facta videtur; in descriptione angeli apparentis quaedam male reddita sunt: ex medio eius ignis, et os eius tamquam mare (תַּרְשִׁישׁ!); v. 9 et *non* audivi vocem; in v. 10 nihil de articulis *manuum,* sed quod est magis ad rem ἐπὶ τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν μου; v. 13 et eum (Michael) ibi reliqui cum duce regis Persarum; v. 16 similitudo *manus* hominis tetigit labia mea; v. 21 Michael vocatur solum *angelus,* non princeps vester. De anno primo *Cyri* mentio fit 11,1; rex et regio austri semper exprimitur rex et regio *Aegypti,* uti etiam in textu hebr. v. 11. 42 Aegyptus nominatur (quare suspicio glossae ab hisce locis non abest, qua regio austri de Aegypto explicetur). In v. 6 non filia regis austri veniet ad regem aquilonis, sed *rex Aegypti* intrabit in regnum aquilonis; v. 10 *filius* eius *et* provocabitur et congregabit; alius sensus cernitur in v. 14 quo fausta annuntiantur : aedificabit ruinas populi tui; alius quoque sensus exprimitur in v. 18. 20. 26. 33. 37. 38; in v. 21 statim ruina regis annuntiatur; in v. 41 terra gloriosa (decoris) explicatur terra *mea;* in v. 30 nominantur, uti in vulgata, ex impletione facta *Romani,* dum apud Theodotionem textus hebr. servatur (Κίτιοι). In 12,1 *adversus terram illam* consurget Michael; in v. 4 Daniel librum iubetur signare, donec ἀπομανῶσιν οἱ πολλοὶ et terra iniu-

stitia impleatur; breviore modo exprimuntur v. 9. 10; aliqua adduntur ad v. 6. 8. 13.

De oratione Azariae et hymno trium puerorum, item de Susanna et de Bel et dracone, cum textus hebr. non exsistat, agetur in comment. et instituetur comparatio cum versione Theodotionis. — Hisce exemplis apparet versionem LXX in hoc libro multo magis quam in aliis recedere a textu hebr.; in narrationibus facta esse videtur ad modum illum quo targumim quoque vel paraphrases chaldaicae confectae sunt, in quibus multa pro arbitrio adduntur ad textum explicandum, exornandum, ad res miras augendas etc. Accuratius redditur textus hebr. in visionibus — excipe tamen 9,24-27 — at ne hic quidem desunt quae discrepent, prout ex exemplis allatis patet. Hisce omnibus sequitur versionem LXX merito ab Ecclesia esse relictam in hoc libro.

VII. — De partibus deuterocanonicis.

Partes deuterocanonicae vocantur eae quae in textu hebr. iam tempore S. Hieronymi non reperiebantur, unde quandoque de earum auctoritate canonica ab aliquibus dubitatum est. Sunt autem ea quae in vulgata habentur 3,24-90; dein cap. 13 de Susanna, cap. 14 de Bel et dracone. Exstant quoque in utraque versione graeca, LXX et Theodotionis. Esse ea auctoritatis et dignitatis canonicae eiusdem cuius est reliquus liber, usu continuo et iudicio sollemni Ecclesiae constat; de quo vide quae uberrime disserit in historia canonis *Cornely,* Introd. I p. 59-142.

Hic solum nobis demonstrandum est partes eas olim hebraice quoque exstitisse et ad librum Danielis pertinere neque ullam rite afferri rationem cur Danielem earum esse auctorem negetur.

Exstitisse eas hebraice iam concludi oportet ex eo quod apud Theodotionem quoque inveniuntur; Theodotionem autem versionem suam ex hebraeo adornasse a nullo negatur; ergo gratuito asseritur eum has partes ex versione LXX in suam transsumpsisse. Id eo magis admitti nequit, quia si textus eius cum versione LXX comparatur, eadem deprehenduntur discrimina inter utramque versionem quae supra exposita sunt inter textum hebr. et LXX. Unde sequitur Theodotionem uti in reliquo libro ita etiam in his partibus presse secutum esse textum originalem, LXX autem maiore usos esse libertate. Praeterea certum est in codice chisiano et syro-hexaplari reperiri signa critica quibus Origenes uti solebat, ut in quibus rebus versio LXX a textu hebraeo recederet vel quae in ea deessent declararet (cf. *Field,* Origenis Hexa-

plorum quae supersunt II p. 915. 935). Insuper in codice syro-hexaplari ad historiam Susannae praeter Theodotionem etiam Symmachi nomen adscriptum cernitur, et in codice 87 tria sigla quibus Aquila, Symmachus, Theodotio designantur clare appicta exstant ad v. 1-5; quae sigla simul uni loco appicta indicant, uti *Field* passim in hexaplis se observasse asserit, versionem esse unius e tribus qui hic est Theodotionis, ceteros autem cum eo cuius verba posita sunt ad sensum dumtaxat conspirare. Hisce siglis appictis satis constat historiam Susannae non solum apud Theodotionem legi, sed etiam in versionibus Aquilae et Symmachi esse olim repertam. Hos autem ex hebraeo vertisse et vertisse eo consilio ut pro versione LXX Iudaeis aliam traderent plane ad textum hebraeum exactam, etiam constat; ergo assumi nullo pacto potest illos ea in suam accepisse versionem quae solum apud LXX reperirentur.

Praeterea ex ipsa indole linguae graecae concludi debet partes eas esse ex hebr. translatas. Et de hymno trium puerorum vide quae ad 3,32. 40. 43. 61. 69 exponuntur. Hunc hymnum hebraice, non aramaice, esse conscriptum, iam inde concludes quia ex 3,51 videtur esse formula precandi iuvenibus iam antea nota, dein quia in lingua patria et sancta eos orasse omnino probabile est; lingua hebraea usu nominum hebraeorum Ananiae, Azariae, Misael etiam innuitur. Neque desunt hebraismi in textu graeco historiae Susannae. Verum quidem est quod Fritzsche (Handbuch zu den Apocryphen des A. T. p. 116. 118) obiicit etiam Iudaeum hellenistam graece scribentem uti hebraismis et hebraismos esse quasi in usum et consuetudinem inductos versione graeca librorum sacrorum vulgata; attamen tales occurrunt hebraismi qui commode non explicantur nisi textum hebr. supposueris. Statim enim narratio incipit καὶ ἦν (ויהי); in v. 19 apodosis incipit particula καὶ; in tota narratione frequenter ponitur καὶ, καὶ ἐγένετο; v. 60 καὶ ἀνεβόησε πᾶσα ἡ συναγωγὴ... καὶ εὐλόγησαν (Theodotio) ponitur numerus pluralis, uti frequenter in hebr. post vocabulum populi, multitudinis etc.; in v. 15 καθὼς χθὲς καὶ τρίτης ἡμέρας (Theod.) versio est plane verbalis ex hebr. nequi dici potest eam dictionem esse ex versione graeca anteriore librorum sacrorum depromptam, quia eo modo expressa alibi non legitur (cf. Gen. 31,2. 5. Ex. 5,7. 14. Ios. 4,18); in v. 23 teste S. Hieronymo legitur αἱρετόν μοί ἐστιν... ἢ ἁμαρτεῖν melius est.. quam peccare; id quod plane hebraeum loquendi modum sapit. Cum eo loco apud LXX legatur κάλλιον, versio Theodotionis simul argumento est eum ex hebr. transtulisse. Lectio autem αἱρετόν retineatur oportet cum in codd. alex. vatic. (Nestle) marchal.

23. 26. al. (Fritzsche) feratur et alia lectio αἱρετώτερον statim ut emendatio deprehendatur. Praeterea cum textus Theodotionis ea in narratione permultum discrepet a LXX multaque habeat de quibus apud eos non est vestigium, fieri nequit ut ortus sit ex versione LXX. Alia quaedam vide apud *Welte* (Specielle Einleitung in die deuterocan. B. p. 248) et *Wiederholt* (Tübinger Quartalschrift 1869 p. 297). Nullo modo obstare paronomasias quae in textu graeco habentur v. 54-59, vide in commentario infra.

Etiam narrationem de Bel et dracone ex hebr. esse versam, inde quoque suadetur quod textus apud Theodotionem non potest a LXX derivari. Id iam initio narrationis quod adeo diversum est in utroque textu comprobatur. Apud Theodotionem habetur (ut in vulg.) : et rex Astyages appositus est ad patres suos et suscepit Cyrus Perses regnum eius; et erat Daniel conviva regis etc.; apud LXX habetur inscriptio : ex prophetia Ambacum (Habacuc) filii Iesu (Iosue) ex tribu Levi, et narratio incipit : vir erat sacerdos, cui nomen Daniel, filius Abal, conviva regis Babylonis. Cum versio alexandrina LXX in hoc libro aliis quoque locis et praesertim in narrationibus multum recedat ab hebraeo, Theodotio autem textum hebr. presse sequatur, etiam hoc loco idem contingere dicendum est. Accedit dictio hebraizans; saepe ponitur καὶ, ubi qui graece scriberet aliis uteretur particulis; in v. 14 apodosis incipit a καὶ quod plane sapit hebraeum; v. 5 locutio potestatis *omnis carnis* pariter sapit hebr.; item v. 14 signaverunt ἐν τῷ δακτυλίῳ; pariter v. 26 da mihi potestatem *et interficiam;* quod in v. 14 legitur κατέσεισαν ὅλον τὸν ναόν ex graeco explicari nequit, explicatur vero ex hebr. הניף cf. Ps. 68,10. Prov. 7,17, quo loco *conspergere* hebr. iungitur duplici accusativo (cf. *Welte* l. c. p. 257; *Wiederholt* l. c. 1872 p. 559).

Demum *Fürst* (Der Kanon des A. T. nach den Ueberlieferungen in Talmud und Midrasch p. 102. 140) advertit narrationes illas tres commemorari in talmud et midrasch, « unde cognoscitur eas exstitisse conscriptas tam in lingua hebraea quam in aramaica et graeca et plus quam dubium esse earum linguam primitivam reputare graecam »: porro asserit partes eas olim in hebraeo libro Danielis fuisse et quidem historiam Susannam post 1,20 et historiam de Bel et dracone in cap. 6, orationem Azariae et hymnum post 3,23; eas autem postmodum esse e libro amotas.

Alterum quod ostendi oportet est eas partes ad librum Danielis pertinere. Atque id quidem pro 3,24 ostenditur eo quod in textu hebr. lacuna facile animadvertitur. Nam postquam narratum est iuvenes colligatos in medium caminum ardentem esse iniectos, statim sequi-

tur: tunc Nabuchodonosor obstupuit etc. et dicit se videre quattuor viros etc.; sed nihil referebatur, cur rex obstupesceret, cur omni festinatione surgeret, cur admiratione plenus optimatibus loqueretur; quid sibi velit quod dicat quattuor a se videri, non intelligitur. Haec omnia autem optime declarantur in versionibus graecis et vulgata. Porro orationem et laudem illam omnino consentaneam esse rei et occasioni, in explicatione ostendetur. — Historiam Susannae bene libro aptari iam ex eo suadetur quia, uti Daniel sapientia sua notus factus est et illustris in aula regis, ita eo eventu etiam notus fit et celeber apud contribules. Iam utrumque apte libro praemittitur, quia Daniel et apud aulicos et apud suum populum auctoritate valere debet. Quid enim valuerit in aula, habes expositum cap. 2-6; eum etiam indiguisse auctoritate apud suos, ex altera parte consequitur; oracula enim eius maxime commendabantur quia ut vir spiritu Dei plenus iam innotuerat. Porro narrationem eam nihil continere quo suspicio moveri iure possit, vide in eius explicatione. — Maiestatem Dei egregie tuitus est Daniel coram regibus Nabuchodonosor, Baltassar, Dario Medo; cum per aliquos etiam annos sub Cyro vixerit, certe ad res cap. 2. seq. narratas omnino consequens est, ut sub Cyro quoque aliqua manifestatio divinae potentiae exhibeatur. Immo eo tempore quam maxime erat necessaria. Cyrus enim reditum concedere debuit. Nonne ad hoc Dei consilium exsequendum optime et efficaciter inducebatur tali manifestatione divina? Proinde historia de Bel et dracone non potest dici esse aliena a libro Danielis. Continet enim, uti reliqua capita, manifestationem Dei regi gentili factam et factam, prout in praeviis, regi de quo mentio fit in libro et eam quidem quae pro populo Iuda maximi erat momenti. Eam enim initio regni Cyri datam esse, haud obscure ex v. 27 seq. colligitur; vide comment. Narrationem ipsam nihil continere quod a veritate historica alienum sit, exponetur in commentario.

Notatu dignum est quomodo interpretes protestantes qui se dicunt orthodoxos et librum Danielis hebraicum sacris libris accensent, in hac quaestione se gerant. Has enim narrationes maximo contemptu repudiant, eas esse mythicas, portentosas, monstrosas, plane incredibiles, absurdas, unice confictas ad Danielem celebrandum. Nonne mirum est eo modo eos loqui qui librum hebr. sacrum reputant? Vide Zündel p. 184; Zoeckler p. 43; Keil, Einleitung § 251. Clamant quoque ingens exsistere discrimen inter has partes et reliquum librum et earum partium falsitate et exaggeratione commendari et verum ostendi librum hebraeum. Verum si has narrationes inter se contuleris, nescio utrum haec e re ipsa hausta sint an potius propterea affirmentur

quia nos catholici eas partes habemus cum tota Ecclesia Christi antiqua sacras et canonicas. Ubi enim est ingens illud discrimen? Historiam Susannae vocat Keil plane improbabilissimam et incredibilem. Sed si eam contuleris cum narratione de somnio Nabuchodonosor regis cap. 2, quid censebis? Senes duos libidine uri, dicere falsum testimonium, propter eorum reverentiam iis fidem adhiberi, et ideo omitti rei explorationem accuratiorem; Danielem autem quid veri subsit ex nota Susannae pietate et modestia aliisque indiciis senumque vita priore (13,57) colligere; proin postulare ut testium veracitas exploretur, et ita eorum deprehendi mendacium et falsum testimonium, quid in his omnibus ab hominum indole et natura, a verisimilitudine alienum? Sane qui cum Keil credit Danieli esse somnium regis a Deo communicatum et somnium fuisse propheticum et istam prophetiam Danielem Deo inspirante explicasse, ei minime licet affirmare illam narrationem esse incredibilem et ad Danielis sapientiam exornandam confictam. Nonne sapientia Danielis multo magis celebratur eo quod invenire valuerit quod ipsis sapientibus fatentibus nemo hominum enarrare possit? Si igitur narratio quaedam esset repudianda, quia sapientia Danielis commendatur, debuit Keil repudiare non Susannae historiam, sed cap. 2 de somnio regis et cap. 5 de scriptura quam iterum solus Daniel confusis sapientibus legere et explicare potuit.

Historia de Bel et dracone miraculum idem narrat quod in cap. 6 refertur : Deus leones coercet ne Danielem devorent. In cap. 6 coercentur per integram noctem, in cap. 14 per dies sex. En totum discrimen! At qui credit prius, alterum non potest vocare portentosum, monstrosum, rem quae fieri nequeat. Si Deus per unam noctem ora leonum concludere potest et concludit, idem ea etiam per longius tempus concludere poterit, et si ratio adest *eadem* vel etiam *gravior et gravissima,* iure inferimus eundem conclusurum esse. Vel certe, ei qui prius pia veneratione prosequitur, minime licet alterum acerbis facetiis absurdisque impetere. Pariter qui Gen. 5,24 et Hebr. 11,5; 3 Reg. 17,12 et 4 Reg. 2,11. 16; Matth. 4,5. 8 et Act. 8,39 religiose veneratur et pie credit, is non potest nisi simulate indignatione repleri eo quod Habacuc per angelum translatus est ad lacum leonum. Si priora non sunt absurda, immerito hoc in ludibrium vertitur. Ostenditur autem hic quoque eos qui libros deuterocanonicos spernunt ne protocanonicorum quidem auctoritatem et dignitatem posse tueri neque immerito rationalistas affirmare eadem quibus impugnentur deuterocanonicae partes etiam valere contra protocanonicos; quare hi pro sua parte magis sibi constant, qui librum quoque hebr. repu-

diant, quam qui miracula in cap. 2-6 amplectuntur, eadem autem in cap. 14 ludibrio habent.

Tertium quod suscepimus probandum erat merito assumi Danielem eas quoque partes scripsisse. Id autem suadetur eo quod partes istae hebraice (vel aramaice) erant conscriptae et simul optime ad librum et ad idem consilium quod in libro tractatum est conveniant. Ostendimus eas *pertinere* ad librum; iis enim ea libri unitas quam hodie omnes agnoscunt non modo neutiquam turbatur, verum potius augetur. Supplentur enim quae in textu hebr. deesse facile deprehenderis. Daniel qui in aula regia illustris erat, nonne debuit etiam iuvenis apud suos commendari, ut eius auctoritas prophetalis quasi praepararetur? En historia Susannae! Cum aliis regibus quibuscum versatus est innotuerit Dei potentia, cur non etiam, immo cur non potius Cyro, de quo iam Isaias vaticinatus erat (41,2 seq. 44,28-45,5)? En historia de Bel et dracone! Atque 3,23 textum esse hiulcum negari nequit. Quae cum ita sint, iure eundem statuimus esse auctorem; id quod inde quoque confirmatur quia in versione Theodotionis una eademque serie singula continentur; ergo in volumine quoque hebraico ex quo vertit liber integer ad unum auctorem ipsa illa continuatione non interrupta referebatur.

Cum Zschokke (Historia sacra antiqui testamenti § 76), Kaulen, Cornely, d'Envieu, partim etiam cum Welte, Scholz (Einleitung III p. 523) et cum plerisque veterum existimo propter rationes allatas affirmari tuto posse Danielem esse auctorem. At verum est id a pluribus catholicis quoque negari. Iam Iulius Africanus eam libri partem spuriam declaravit (μέρος κίβδηλον ὄν; epistola ad Origenem) et teste S. Hieronymo Eusebius et Apollinarius pari sententia responderunt Porphyrio : Susannae Belisque ac draconis fabulas partem esse prophetiae Abacuc filii Iesu de tribu Levi, sicut iuxta LXX interpretes in titulo eiusdem Belis fabulae ponitur (Comment. in Dan. prolog. *M.* 25,492). Etiam S. Hieronymus, cum aliquando de earum partium auctoritate canonica sinistre sentiret (cf. *Cornely*, Introd. I p. 106), certe auctorem Danielem non agnovit; attamen in Apologia contra Rufinum l. 2 cp. 33[1] asserit se illa sententia non explicasse quid ipse

---

1. « Quod autem refero quid adversum Susannae historiam et hymnum trium puerorum et Belis draconisque fabulas quae in volumine hebraeo non habentur Hebraei soleant dicere, qui me criminatur stultum se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant explicavi. Quorum opinioni si non respondi in Prologo brevitati studens, ne non praefationem sed librum viderer scribere, puto quod statim subiunxerim ; dixi enim : de quo non est huius temporis disserere; alioquin et ex eo quod asserui Porphyrium contra hunc prophetam multa dixisse vocavique huius rei testes Methodium, Euse-

sentiret, sed quid alii contra nos dicere solerent. Quae dubia postmodum quoque repetita sunt, ita Pererius (Comment. in Dan. 13, Romae 1587 p. 485; Lugduni 1588 p. 785) censet non abhorrere a fide has extremas historias ab alio quopiam linguae graecae perito esse scriptas eo tempore quo gens iudaica sub Graecorum imperio fuerit; vide apud *Cornely*, Introd. II 2 p. 508, ubi etiam Iahn, Introd. epit. p. 440, Ackermann, Introd. p. 342 eandem sententiam amplexos esse refertur. Etiam Cornelius a Lapide historiam Susannae et alteram quoque de Bel videri existimat conscriptam a quopiam Hebraeo qui paullo post captivitatem babylonicam scripserit chronica seu diaria regum Medorum et Persarum (ita ad Dan. 13,1).

Verum si eae partes ad Danielem auctorem pertinent, quomodo factum est, ut suo moverentur loco et ex textu hebraeo omnino denique exsularent? Cur et quomodo hoc acciderit, certo quidem statui nequit; at rationes probabiles id explicandi non desunt. Censet itaque d'Envieu l. c. p. 868 seq. librum tempore Machabaeorum sollerter esse lectum et ad legentium commodum in breviorem formam redactum; ita longam illam orationem cap. 3 et laudem esse omissam, quippe qua narratio nimis retardaretur; historiam Susannae esse omissam cum pro tempore machabaico nullum exhiberet documentum; in historia Bel potuisse eo tempore offensioni esse quod Daniel adeo familiariter ageret cum rege gentili. Hymnos in cap. 3 ab ipso Daniele esse omissos existimat Cornely, cum versus finem vitae librum suum ex variis narrationibus quas antea iam litteris consignaverat componeret; esse autem omissos quia ad magnitudinem Dei gentibus demonstrandam nihil conferrent quam unice exponere Daniel sibi in illis quinque narrationibus proposuerit. Historiam Susannae a Iudaeis esse ablatam propter vituperium quod contineat in senes eosque iudices libidinosos Origenes suspicatus est (ad Afric. 9); neque id videtur improbabile, cum et in textu massorethico et in versione graeca nullo modo in variis libris desint vestigia varia esse attentata ut quae offensioni essent vel mitigarentur vel removerentur. Longius

---

bium et Apollinarium qui multis versuum millibus illius vesaniae responderunt, me accusare poterit quare non in praefatiuncula contra libros Porphyrii scripserim » (*M.* 23,455). Neque quis iure offendi potest si fabulas vocat s. doctor; fabula est enim res passim vulgata sive vera sive falsa; ita S. Hieronymus etiam loquitur de Samsonis fabula; ita sermo fit de famosissima illa fabula Loth (cf. *M.* 83,169). Sed in versione sua S. Hieronymus fragmenta haec veru notaverat et qua mente id fecerit, satis declarat scribens in praefatione ad Danielem : « quas (fabulas) nos quia in toto orbe dispersae sunt veru anteposito *easque iugulante* subiecimus ». In eadem praefatione scribit de multis illis versuum millibus Methodii Eusebii et Apollinarii : « nescio an curioso lectori satisfecerint ».

quidem et audacius ea in re progreditur Geiger, Urschrift der Bibel und Uebersetzungen; at eiusmodi conatus esse factos exemplis satis ostendit. — Historiam Bel et draconis propter lacum leonum facile reputare poterat quis similem illi in cap. 6 ideoque omittendam vel a loco movendam, quia non perspexit indolem libri et Danielis consilium, ut scil. etiam Cyro, prout ceteris regibus, magnitudo Dei demonstraretur. Haec probabili ratione quae in ea re sufficere debet dici possunt.

Ex antiquis versionibus notari oportet veterem latinam, quae ante S. Hieronymum in usu erat et cuius fragmenta servata sunt apud Sabatier, Bibl. s. latinae versiones ant. II p. 860. 883. Praeter versionem syriacam communem quae aliquantulum liberior est et nonnulla addit exstat quoque in polyglottis bibliis a Walton adornatis versio philoxeniana quae dicitur quam Thomas episcopus Heracleae circa annum 616 retractavit. Eius quoque in historia Susannae quam ea versio fert rationem habui in comment.; sed satis recedit a textu communi omissis aliis aliisque adiectis. Tertiae quoque versionis syriacae pro eadem historia mentio fit, quae tamen parum nota est. Ceterum versio vulgata et versio arabica textum Theodotionis presse sequuntur et exprimunt.

VIII. — De praecipuis commentariis.

Ex Patrum aetate haud multa supersunt. *Origenes* quidem Danielem a se expositum esse dicit (in Matth. 24,15; *M.* 13,1658) et S. Hieronymus ad Dan. 13,1 profitetur se positurum esse breviter quae Origenes in decimo Stromatum suorum libro de Susannae et Belis fabulis dixerit (*M.* 25,580). Praeterea ad nos pervenit epistola ad Africanum, qua Origenes auctoritatem historiae Susannae defendit (*M.* 11,47-85). Ex commentario *S. Hippolyti* (*Hip.*) nobis fragmenta sat ampla servata sunt et scholia, praesertim in cap. 1-3. 7. 10. 12; praeterea eius solutiones Danielis et Nabuchodonosori visionum ambarum simul, ubi pariter de cap. 2. 7-11 agitur; historiam Susannae mystice plerumque explicat : in Susanna Ecclesiam praefigurari, in horto vocationem sanctorum, in duobus senibus duos populos qui Ecclesiae insidias struant, Iudaeos et gentiles, in duabus Susannae ancillis fidem et caritatem : etenim Ecclesia per fidem in Christum et per caritatem in Deum confessa recipit lavacrum etc.; cf. *M.* 10,637-700. De eius commentario et fragmentis superstitibus praeclare disputavit, locos explicavit, emendavit, ex variis fontibus supplevit ac diiudicavit Otto Bardenhewer, Des h. Hippolytus von Rom Commentar zum

Buche Daniel, Freiburg i. B. 1877 pp. 107. — *S. Ephraem* explanatio complectitur capita 1-12; est brevis, plerumque litteralis neque tamen integrum textum comprehendit; bis quaedam a Iacobo edesseno inserta sunt (S. Ephraem opera, tom. II syriace et latine, Romae 1740 p. 203-233). Fertur etiam inter opera *S. Chrysostomi* Interpretatio in Danielem (*M.* 56,193-246), satis brevis, plerumque solum notulis quibusdam ad aliquos versus constans. Sitne vere S. Chrysostomi dubitatur. Commentarium integrum in 12 capita habemus a *Theodoreto*, qui ex veteribus facile princeps est; Theodoretus enim sensum litteralem breviter, dilucide, saepe feliciter exponit (*M.* 81,1256-1549). De commentario *Ammonii* alexandrini pauca quaedam fragmenta ad cap. 1-4. 7-13 servata sunt (*M.* 85,1364-1381).

Inter Patres latinos feruntur S. Zenonis tractatus 69-76 brevissimi de tribus iuvenibus in camino ignis; in tractatu 77 solum commemoratur Daniel « inter frementium leonum rabidos rictus intrepidus, coelesti prandio satur »; laudes celebrantur martyrii trium iuvenum ad exhortationem Christianorum; sed rei exegeticae nihil accedit subsidii (*M.* 11,522-527). Uti semper valde utiles sunt commentarii *S. Hieronymi*, ita eius quoque in Danielem explicatio licet succincta et solito brevior non debet negligi. Inter alia multa nobis servavit de antiquorum interpretatione 70 hebdomadarum et de Porphyrio et rem historicam ad cap. 11 satis ubertim tractat; id quod in prologo iam indicat scribens : « ad intelligendas autem extremas partes Danielis multiplex Graecorum historia necessaria est : Sutorii vid. Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Posidonii, Claudii, Theonis et Andronici cognomento Alipii, quos et Porphyrius esse secutum se dicit, Iosephi quoque et eorum quos ponit Iosephus, praecipueque nostri Livii et Pompeii Trogi atque Iustini qui omnem extremae visionis narrant historiam ». Ad cap. 13 breviter ponit quid Origenes in 10 Stromatum libro dixerit. Cf. *M.* 25,491-584. Ex antiquitate latina unus mentione non plane indignus est praeterea, *Petrus* archidiaconus, cuius feruntur quaestiones in Danielem *M.* 96,1347-1362, in quibus notae quaedam utiles ad cap. 2. 5. 7 continentur.

In medio aevo cum laude nominandus est b. *Albertus* Magnus, qui narrationes et oracula logice in partes diligenter dividit, sensum litteralem satis sedulo prosequitur eumque aliis locis s. Scripturae prolatis elucidare studet; habetur eius commentarius in operum eius tom. 8 editionis Lugduni 1651 factae. Commentarius qui quandoque inter opera S. Thomae Aq. reperitur editus non est eius, sed Thomae Wallensis (anglici), qui, ut Cornely iudicat, interpres est non spernendus et in nostro libro Nicolao Lyrano qui eodem tempore suas

postillas edidit vix inferior. Nicolai Lyrani annotationes ex bibliis maximis de la Haye repetitae etiam reperiuntur in Cursu completo Scripturae sacrae a Migne edito, tom. 20 simul cum annotationibus Estii, Menochii, Tirini et varietate lectionum (versionum) ex LXX, arab. syr. Pagnino, Aria etc. collecta. Ex medio aevo etiam nominandi sunt Cardinalis Hugo et Dionysius carthusianus.

Ex saeculo 16 maximam laudem meretur Bened. *Pererius* (*Per.*), cuius commentarius Romae 1587 prodiit et saepius, in quo magnum acumen nec minor diligentia simul cum eximia historiarum peritia merito laudatur a Math. Polo (Synopsis criticorum, tom. III, Ultraiecti 1685 in praeloquio). Eiusdem saeculi sunt Hectoris *Pinti* commentarii in Danielem, Lamentationes Ieremiae et Nahum, vates divinos, Conimbrae 1582, Venetiis 1583, Colon. 1587 etc. et commentarii Ioannis *Maldonati*, qui etiam in Bibliis sacris cum selectissimis litteralibus commentariis Venetiis editis anno 1754 in tomo 21 leguntur. Maldonatum vocat Matth. Polus l. c. acutum et eruditum interpretem; morte praeventus anno 1583 operi ultimam manum admovere non potuit. Ut statim addam, in iisdem Bibliis etiam reperiuntur praeterea notationes *Lucae* brugensis, romanae correctiones, explicationes Emmanuelis *Sa*, *Estii*, *Marianae*, *Menochii*, *Tirini*, *Gordoni*, et pro partibus deuterocanonicis notae eruditae *Lansselii*, cum pro iis notae Marianae desint. Exstiterunt quidem eodem saeculo 16 alii quoque Danielis interpretes quos tamen enumerare non opus est, cum sine damno eorum operibus carere possimus; plures recensitos invenies apud Matth. Polum l. c., Rosenmüller, Scholia in vet. test. parte decima, Lipsiae 1832 p. 43. 44 et apud Cornely l. c. p. 515.

Ex saeculo 17 palmam tulit Gaspar *Sanctius*, qui non immerito a Calmet laudatur interpres « eruditus, sapiens, solidus, litterae inhaerens, et omnium quos noverim interpretum praestantissimus »; editus est eius commentarius Lugduni 1612. 1619 et saepius; ex eodem tempore cum laude nominandus est *Cornelius a Lapide* (*Lap.*); de utroque iam saepius in prolegomenis ad comment. Iob et prophetarum egi. Reliquos eiusdem saeculi interpretes minoris notae vide apud Cornely l. c. Prout supra iam monui, saeculo 18 nobis donatae sunt duae editiones versionis LXX quae versio a Patrum aetate usque ad illud tempus incognita latuit, scil. a Simone de Magistris 1772 et Caio Bugato 1788. Ex eodem saeculo mentione dignus est commentarius a *Calmet* adornatus, de cuius interpretandi ratione litterali, brevi, satisque perspicua inter omnes constat.

Ad Danielis librum illustrandum nostrum saeculum multa protulit. Praeter libros introductionis quos iam saepius laudavi ab Herbst-

Welte, Scholz, Zschokke, Vigouroux, Kaulen, Cornely, d'Envieu editos, in quibus quaestiones de argumento, de indole, de auctore etc. pertractantur et conditiones quoque historicae explicantur, ad rem exegeticam propius accedunt ex catholicis Palmer, Rohling, Trochon, Hebbelynck, Düsterwald et praeterea pro partibus deuterocanonicis Wiederholt. Et Guil. *Palmer* quidem edidit commentationem in librum Danielis prophetae sive de temporibus gentium, Romae 1874; quae commentatio non quidem ad modum iusti commentarii est exacta, at pro re et historica et typica utilia praebet; verum non solum antichristum, sed Mahumetum quoque a Daniele esse delineatum[1] censet. Ad Danielem proprie spectat prior libri pars p. 1-118; in altera parte agitur de fine mundi, de apostasia, antichristo et de variis capitibus Apocalypsis et iis partibus vel visionibus quae cum Danielis libro connecti videntur (p. 119-243). Commentarium laude dignum scripsit *Rohling,* Das Buch des Propheten Daniel, Mainz 1876; acriter insectatur rationalistarum cavillationes quibus auctoritatem libri destruere tentant; libri dignitatem strenue ac feliciter tuetur discussis ac solutis difficultatibus quae moveri solent; at quandoque digressionibus indulget. Commentarium gallice edidit *Trochon,* Daniel, Introduction critique, traduction française et commentaires, Paris 1882. Ea praecipue utilitas commentario vindicanda est quod brevi conspectu multorum quandoque interpretum antiquorum ac recentiorum, catholicorum et protestantium, Anglorum et Germanorum, explicationes et sententiae proponuntur; immo saepius videtur commentarius ad modum *catenae* quae dicitur conformatus.

Alii, uti *Hebbelynck* et *Düsterwald,* non commentarios condiderunt, sed instituta disputatione de quaestionibus ad Danielem pertinentibus erudite scripserunt. Atque ille quidem (*Heb.*) de auctoritate historica libri Danielis nec non de interpretatione vaticinii LXX hebdomadum, Lovanii 1887; analysi libri proposita agit de libri unitate, de textu et versionibus; demonstrationem auctoritatis historicae ita aggreditur, ut parte priore agat de eius notis externis, sive de veterum testimoniis, parte vero altera de notis internis, quae ex ipsis narrationibus et oraculis colliguntur. In qua disputatione subsidiis quoque recentioribus diligenter est usus neque pauca invenies quae valida subministrent arma ad libri auctoritatem defendendam et a calumniis vindicandam. Additur longior appendix de vaticinio 70 hebdomadum

---

1. De ea interpretandi ratione iam agit *Pererius* (Comment. in Dan. Lugduni 1588 p. 361 seq.): « primus, opinor, huiusmodi opinionem invexit Ioannes Annius viterbiensis » etc.; eam tamen explicationem Pererius neutiquam approbat.

p. 281-384. *Düsterwald* (*D.*) autem suam commentationem arctioribus limitibus circumscripsit solum disputans de regnis mundi et Dei regno, prout in libro Danielis describuntur : Die Weltreiche und das Gottesreich nach den Weissagungen des Propheten Daniel, Freiburg i. B. 1890. Quem librum nactus sum, cum meum commentarium iam manuscriptum ante me haberem; vidi laetus virum eruditum et doctoris laurea ornatum quattuor regna eo modo explicare qui mihi quoque semper unice verus et ex ipsis vaticinii visceribus necessario deprompttus videbatur. Sed satis mihi supererat otii doctam eam commentationem suis locis in commentario laudandi et de ea ferendi iudicium.

Cum liber introductionis in Danielem a I. Fabre *d'Envieu* conscriptus et mole et eruditione et rerum tractatarum copia et amplitudine emineat, hoc loco specialis eius mentio facienda est : Le livre du prophète Daniel; tom. I Introduction critique, Paris, Toulouse 1888; complectitur paginas XIV et 908. Liber totus in eo est, ut obiectiones rationalistarum et de rebus historicis et dogmaticis factae refutentur, ut eorum sententiam de origine machabaica libri nullo modo consistere posse ostendatur, ut divina libri totius auctoritas invicte demonstretur. Quem in finem non solum rationalistarum inter Germanos Gallosque sententiae accurate ac fuse referuntur, examinantur, diiudicantur, verum etiam eae quaestiones pertractantur pluribus, quas in Introductione non requisieris : fieri posse et fieri miracula, vaticinia; exstitisse inspirationem et cuius sit naturae. Demum p. 898-903 conspectus exhibetur commentariorum et disputationum in librum Daniel. Quid eo in opere laudandum sit, quid minus bene ac vere disputatum videatur, ex parte etiam indicavi in periodico : Stimmen aus Maria-Laach, Freiburg i. B. 1888, tom. 35 p. 536-539.

Partes deuterocanonicas praeclara commentatione et vindicavit et illustravit *Wiederholt* in periodico : Theologische Quartalschrift, Tübingen; et quidem de 3,24 seq. 1871 p. 373-408; de historia Susannae 1869 p. 290-321; p. 377-399; de Bel et dracone 1872 p. 554-596. De duobus ultimis capitibus bene et erudite scripsit quoque *Delattre,* Les deux derniers chapitres de Daniel, extrait des Études religieuses, Lyon 1878. Multa quae ad historiam moresque pertinent et ad Danielis librum defendendum et explicandum inserviunt, egregie exposita invenies apud *Vigouroux,* La Bible et les découvertes modernes IV tom.; de rebus historicis etiam agit *Brunengo,* L'Impero di Babilonia et di Ninive, vol. II Prato 1885. Vaticinia messiana speciatim explicarunt *Bade,* Christologie des Alten Testamentes, III parte 2; Münster 1852, p. 75-135; *Reinke,* Die messianischen Weissagungen IV, 1; Giessen 1862, p. 167-399; *G. K. Mayer,* Die messianischen

Prophezieen des Daniel, Wien 1866, p. 158. In ordinem libri inquisivit *Neteler,* Die Gliederung des Buches Daniel, Münster 1870.

Ex interpretibus protestantibus paucos solum afferam; qui maiorem eorum numerum desiderat adeat scholia in vet. test. part. 10 edita a Rosenmüller, adeat Zoeckler, Keil, Reinke, Trochon. Nominandi sunt inter alios *Hitzig,* Das Buch Daniel, Leipzig 1850; *Zoeckler,* Der Prophet Daniel (*Z.*), Bielefeld, Leipzig 1870; *Keil,* Biblischer Commentar über den Propheten Daniel, Leipzig 1869; *Meinhold,* Das Buch Daniel, Noerdlingen 1889. Inter Anglos laudandi sunt : *Pusey,* Daniel the Prophet, London 1864; *Fuller,* Daniel, in the Holy Bible, Cook, Speakers Bible, London 1876; *Payne Smith,* Daniel, London 1886. — Praeterea bene meriti sunt de libro Danielis *Hengstenberg,* Die Authentie des Daniel, Berlin 1831; *Zündel*, Kritische Untersuchungen über die Abfassungszeit des Buches Daniel, Basel 1861; *Auberlen,* Der Prophet Daniel und die Offenbarung Iohannis, Basel 1874.

Celeberrimum est vaticinium de 70 hebdomadis et a primis rei christianae temporibus usque ad nostra tempora saepissime tractatum et discussum. Multos S. Patrum locos diligenter recenset *Tailhan,* Kilber, Analysis biblica, Lutetiae Parisiorum 1856, I p. 468; plura eorum testimonia etiam in medium affert *Reinke* p. 390-399; variae rationes quibus Patres eas hebdomadas computarunt et explicarunt expositae sunt in periodico : Theologische Quartalschrift, Tübingen 1868 p. 535. Verum omnium diligentissime et accuratissime in historiam explicationis huius vaticinii inquisivit *Fraidl,* Die Exegese der siebzig Wochen Daniels in der alten und mittleren Zeit, Graz 1883. Incipit a versione alexandrina, investigat quae eius oraculi vestigia deprehendantur in libris apocryphis (liber Henoch, liber Iubilaeorum, Assumptio Moysis, 4 liber Esdrae) et apud Flavium Iosephum; dein recensitis versionibus syriaca simplice et graeca Theodotionis verba expendit Domini apud Matth. 24,15; dein enumerat quae in litterarum monumentis de hoc vaticinio reperiuntur usque ad annum 1470 et apud Christianos et apud Iudaeos. Recenset itaque 107 eius oraculi explanatores. Demum in fine libri p. 156-159 brevi conspectu exhibet qua quisque ratione computarit initium et finem hebdomadum 7, item hebdomadum 62, initium, medium, finem ultimae hebdomadae. Opus hoc eruditione est insigne; subacto ingenio explicat Fraidl, quid quisque in rationibus computandis recte statuerit, quid erraverit, quem ducem sit secutus.

Cum itaque vaticinium hoc tanti sit semper habitum, non pigebit

praecipuos indicare S. Patrum et scriptorum locos quibus de eo agitur : Clemens alexandrinus, Strom. 1,21 ; *M.* 8,853; Hippolytus, cuius fragmenta habentur *M.* 10,641 seq.; Africanus, cuius fragmenta ex Eusebio, Demonstr. evang. 8,2 (*M.* 22,596) deprompta etiam leguntur M. 10,80; aliam eius computandi rationem nobis ex Apollinario servavit S. Hieronymus in commentario *M.* 25,549; tertiam commemorat auctor Chronici paschalis *M.* 92,404. De Origene iam supra actum est. Eusebius caesariensis saepius tractat vaticinium; breviter eius mentionem facit in Historia eccles. 1,6 (*M.* 20,89); in Demonstr. evang. quattuor recenset computandi hebdomadas rationes 8,2; *M.* 22,596; praeterea Chronic. lib. 2 ad olympiadem 186; *M.* 19,523 et in Eclogis prophet. 3,45; *M.* 22, 1176. S. Athanasius, de Incarnatione n. 39; *M.* 25,164; pariter in opere eius nomine falso inscripto : Quaestiones ad Antiochum ducem, in qu. 127; *M.* 28,685. S. Cyrillus hierosolymitanus in Catechesi 12 et 15; *M.* 33,748. 879. S. Chrysostomus, orat. 5 contra Iudaeos; *M.* 48, 898; de commentario qui eius nomine fertur, iam supra dictum est. Isidorus pelusiota, Epist. 3,89; *M.* 78,793. Basilius seleuciensis, orat. 38 demonstratio contra Iudaeos de Salvatoris adventu; *M.* 85,401 ; de Theodoreto et Ammonio supra dictum est. Anastasius sinaita, Disputatio adversus Iudaeos, interrogatio 3; *M.* 89,1240. Iacobi edesseni scholion de hoc vaticinio in commentario S. Ephraem legitur impressum. Georgius hamartolos, Chronicon 3,110; *M.* 110,360. Euthymius Zigabenus, Panoplia dogmatica titul. 8; *M.* 130, 285 ; Ioannes Zonaras, Annalium lib. 3,9; *M.* 134,252.

Ex Patribus et scriptoribus latinis : Tertullianus, adversus Iudaeos cap. 8; *M.* 2,612; Pseudo-Cyprianus, Expositio bissexti (de Pascha computus) *M.* 4,958; S. Hilarius, in Matth. 25; *M.* 9,1054; Iulius Hilarianus, Chronologia sive libellus de mundi duratione; M. 13, 1097; Sulpicius Severus, Historia sacra 2,11 ; *M.* 20,135; quae opinati sunt Hesychius, episcopus salonitanus, et S. Augustinus, discimus ex utriusque epistolis; epist. 197-199; *M.* 33,899; de Civitate Dei 18,34 ; *M.* 41,912; Prosper aquitanus, Chronicon 1 parte; *M.* 51, 549; S. Isidorus hispalensis, De fide catholica contra Iudaeos 1,5. 44; 2,10. 12; *M.* 83, 461. 489. 516. 518. Iulianus toletanus, De comprobatione aetatis sextae 1,21 ; *M.* 96,554 ; Beda venerabilis, De temporum ratione 9; *M.* 90,333; Freculphus, episcopus lexoviensis, Chronicon tom. 1, lib. 7 cap. 13; *M.* 106,1100. Amulo lugdunensis, Liber contra Iudaeos 15; *M.* 116,150; Rabanus Maurus, Liber de computo 25; *M.* 107,681 ; de Universo 10,9; *M.* 111,297; S. Paschasius Radbertus, Expositio in Matth. lib. 11 cap. 24; *M.* 120,806; Ado, Chro-

nicon, aetas 5; *M.* 123,50. 72. Auctor quidam anonymus, Liber de computo 57; *M.* 129,1301. Fulbertus, episcopus carnotensis, Tractatus contra Iudaeos 2; *M.* 141,309; S. Petrus Damianus, Antilogus contra Iudaeos cap. 1 et 4; *M.* 145,46. 55. Bruno astensis, homilia 112; *M.* 165,832; Rupertus tuitiensis, De operibus sanctae Trinitatis, in Danielem; *M.* 167,1517; De victoria verbi Dei 7,21; *M.* 169,1371; Petrus venerabilis, abbas cluniacensis, Tractatus contra Iudaeos cap. 4; *M.* 189,563. Petrus Comestor, Historia scholastica, lib. Daniel cap. 10; *M.* 198,1459; Petrus blesensis, Contra perfidiam Iudaeorum cap. 13: *M.* 207,842; etc. etc.

Praeter interpretes alii sat multi de eo oraculo, praesertim de computandis hebdomadis, disputarunt; ita *Reinke* p. 211. 212 enumerat triginta qui de hisce hebdomadis scripserunt ab anno 1604 et deinceps; praeter hos nominandi sunt : Alphonsus Salmeron, Prolegomene non XLIII in operum eius tomo 1 p. 520-544; Coloniae agrippinae 1602; Alphonsus Pandulphus, Disputationes de fine mundi, Bononiae 1658 p. 311-325; Petavius, Doctrina temporum, lib. 12, cap. 29-33; Venetiis 1757; addita quoque est Harduini dissertatio de LXX hebdomadis; contra quam peculiari dissertatione agitur in opere : La sainte Bible en Latin et en François, Paris 1749; tom. 9 p. 471. Praeterea Petavius etiam de eo vaticinio agit in parte tertia Rationarii temporis lib. 4 p. 333; Paris. 1702. Natalis Alexander, Historia ecclesiastica tom. 2, in mundi sexta aetate, diss. 2 p. 327; Paris 1730. Calmet quoque peculiari dissertatione oraculum donavit in tomo altero dissertationum in vetus testamentum, Wirceburgi 1789 p. 467; cuius sententia simul cum sententia a Marsham et ab Hardouin proposita in dissertatione : La sainte Bible etc. p. 489 impugnatur.

Ex recentiore tempore : Stawars, Die Weissagung Daniels in Beziehung auf das Taufjahr Christi, Tübinger Quartalschrift 1868 p. 416. In eodem periodico, sed anno 1875 p. 133 scripsit Neteler, die Zeit der 70 Jahreswochen Daniels. Corluy, Spicilegium dogmatico-biblicum, Gandavi 1884 I p. 474-515. Palmieri, De veritate historica libri Iudith aliisque ss. Scripturarum locis, Galopiae 1886 p. 61-112.

LIBER DANIEL

Daniel in aula regis eruditus. Cap. 1.

Arg. — Narratur qua occasione Daniel Babylonem sit adductus. Seliguntur ex pueris Israel qui in aula regia litteras et linguam addiscerent Chaldaeorum; cibus regius iis assignatur; at Daniel cum tribus sociis cibo gentili repudiato leguminibus vescitur. Dei benedictione fit, ut et forma corporis et scientia evadant eximii.

Pugna ad Charcamis facta et Nechao rege Aegypti fugato Nabuchodonosor Iudaeam quoque invasit et Ierusalem urbem obsedit regemque Ioakim ad subiectionem adegit. Ab hoc eventu liber Daniel orditur v. 1 « *Anno tertio regni Ioakim regis Iuda venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem et obsedit eam* »; — Eliacim filius Iosiae regis a Nechao rege Aegypti rex erat institutus et Ioakim nomine mutato appellatus; eidem regi mulctam pecuniae solvere debuit (4 Reg. 23,33 seq.). Regnum igitur Iuda, postquam Ioachaz ab Aegyptiis devictus erat et in captivitatem aegyptiacam abductus (cf. Ier. 22,10 seq. Ez. 19,4), a nutu et arbitrio Nechao regis Aegypti pendebat. Porro ex Ieremia scimus anno quarto Ioakim regis regem Aegypti cum magno exercitu ad flumen Euphraten in Charcamis a Nabuchodonosor esse fusum fugatumque (Ier. 46,2); Flavius autem Iosephus ex Berosso refert Nabuchodonosor accepto nuntio de morte patris sui Nabopalassar celeriter esse Babylonem reversum, captivos autem Iudaeorum et Phoenicum et Syrorum et Aegyptiorum quibusdam ex suis amicis tradidisse qui eos Babyloniam adducerent (cf. *Richter*, Berosi Chaldaeorum historiae p. 65. 66). Ex Berossi narratione simul colligitur Nabuchodonosor post pugnam ad Charcamis usque ad Aegyptum esse progressum; at nuntio de morte patris accepto ab ulteriore expeditione et expugnatione Aegypti destitisse. Sed cum explicite mentio fiat captivorum Iudaeorum, eum Iudaeam quoque invasisse manifestum est. Neque aliter fieri potuit. Regnum enim Iuda a Nechao dependebat. Quare Nabuchodonosor etiam id aggressus est et exer-

citu aegyptiaco ad Charcamis fugato via ad Iudaeam erat aperta. Unde manifestum est obsessionem urbis, de qua in v. 1, non potuisse locum habere nisi post pugnam ad Charcamis; ante illam enim omnis regio ab Aegypto usque ad Euphraten Aegyptiis erat pervia.

At ex Ieremia certum est pugnam illam factam esse anno quarto Ioakim. Unde igitur h. l. sermo infertur de anno tertio? Daniel Babylone residens id tempus designasse videtur quo Nabuchodonosor Babylone *profectus* est ad illam expeditionem, in qua demum etiam urbs Ierusalem est obsessa. Dicit ergo : anno tertio Ioakim incepta est expeditio illa; quare temporis designationem refer ad prius solum verbum בָּא idque verte : *ivit* vel *profectus est*. Ea quoque notione verbum adhiberi certum est. Saepe enim dicitur de expeditione bellica, de itinere militari suscepto; ita iam Gen. 14,5 et in nostro libro 11,13. 17. 29 etc.; porro notio ea eundi, proficiscendi praeterea saepe subest, immo unice reperitur, cum quis ad iter instituendum ab altero admoneatur v. g. Gen. 45,17 *ite* in terram Chanaan; Ex. 6,11 ingredere et loquere ad Pharaonem; eodem modo 7,26; 9,1; 10,1. Num 32,6 : numquid fratres vestri *ibunt* ad pugnam et vos hic sedebitis? 2 Reg. 5,5 : *vade* et mittam litteras ad regem Israel etc.; alia exempla habes 1 Sam. 20,19 et Ion. 1,3 de nave *eunte* in Tharsis et « descendit in eam ut *iret* cum eis in Tharsis » in quibus locis verbum apertissime de initio profectionis usurpatur (cf. *Troch. Keil*). Quare nihil obstat quominus nostro loco eadem ratione accipiatur et ex temporis designatione docemur verbum ea notione concipi debere (vide *Cornely*, Introd. II 2 p. 467; *Palmer, Heb.* p. 75). De eadem in Iudaeam expeditione refertur 4 Reg. 24,1 et 2 Par. 36,6. Ier. 35,1. 11. Nabuchodonosor dicitur rex Babylonis vel quia ut aliquorum est opinio iam ab anno 607 a patre in regni consortium est assumptus, vel titulus ei inditur ex tempore posteriore; « nec alio in hodierno sermone loquendi modo uteretur qui diceret : Imperator Napoleo III aliquot iuventutis suae annos in Anglia transegit » (*Heb.* p. 72).

Duobus aliis modis tertium annum Ioakim explicare et tueri aliqui studebant. Et priore quidem, ut duplex statueretur modus numerandi annos Ioakim : Ioakim regnum suscepisse versus finem anni; unde Ieremiam computasse modo consueto, Danielem autem a die regni suscepti; vel ab uno annum illum mortis Iosiae in quo per tres menses regnaverit Ioachaz regno Ioakim esse additum, ab altero non esse additum. Sunt qui duplicem numerandi modum statim a limine reiiciant quippe qui nullo omnino exemplo suadeatur (*Keil*). Attamen id audacius dici videtur. Nam exemplum habes Ier. 52,29, quo loco idem eventus adscribitur anno 18 Nabuchodonosor qui antea in v. 12 assignatus est anno eiusdem regis 19. Quare nisi

alia explicatio magis esset obvia, liceret ad duplicem numerandi modum recurrere. Altero modo alii tertium annum Ioakim retinent assumentes urbem Ierusalem esse obsessam et expugnatam ante pugnam ad Charcamis. Quae tamen opinio et aliis rationibus demonstratur improbabilis et iis refutatur quae Ier. cap. 25 et 36 narrantur. Neque enim concipi potest, quomodo ante pugnam illam qua vires aegyptiacae fractae sunt exercitus babylonicus eam potuerit regionem invadere quae sub dominio erat Aegyptiorum et eo quidem tempore quo exercitus aegyptiacus ad debellandos Babylonios ad Euphraten progrediebatur. Demum clarissimum est Ieremiam anno quarto Ioakim annuntiare regem Babylonis venturum esse; unde non iam anno tertio venisse censendus est.

Quo successu obsederit urbem, narratur v. 2 « *et tradidit Dominus in manu eius Ioakim regem Iuda et partem vasorum domus Dei et asportavit ea in terram Sennaar in domum dei sui et vasa intulit in domum thesauri dei sui* » ; — LXX et *Syrus* habent plenius : et tradidit eam Dominus in manum eius et Ioakim regem. Quod traditus scribitur Ioakim, monet *S. Hier.*, monstrat non adversariorum fortitudinis fuisse victoriam, sed Domini voluntatis; vel ut *Theod.* ait, auctoris omnium rerum Dei permissu propter populi et regis scelera ingentemque impietatem tam urbem esse captam quam sacrorum vasorum partem in hostium potestatem concessisse. Ceterum *tradidit* re idem dicit quod 4 Reg. 24,1 : factus est ei Ioakim servus; regem urbe capta cum ignominia esse habitum discimus ex 2 Par. 31,6 : et vinxit eum catenis, ut duceret eum in Babel (hebr.). Adductus tamen non esse videtur, vel mox liberatus et remissus; sed cum alterius regis a Nabuchodonosor instituti nulla fiat mentio, Ioakim iram regis subiectione et promissis sedasse et regno restitutum esse merito dixeris. Cum in ultima sententia repetatur *et vasa intulit*, fuerunt qui וַיְבִיאֵם explicarent : et transtulit *eos* scil. captivos, qui etiam in templum dei ducti sint ut eos victor deo suo tamquam triumphum offerret (*Vat. Mald. Hitz. Z.*). At in ipso hoc versu nihil de captivis scribitur, neque legitur vox aliqua qua ea notio posset consequi (nam ex rege Iuda eam extundere summe audax est); quare versio αὐτά (LXX, gr.) ea (*S. Hier.*) erit retinenda. Ultimam sententiam additam esse explica maioris determinationis causa : et vasa quidem intulit non tam in templum quam in thesaurum dei sui. Captivos esse abductos demum ex v. 3 consequitur; qui cum satis abrupte inducatur, utique suspicio admitti potest sitne versus noster plane integer. Sennaar nomen est Babyloniae in s. Scriptura frequens; assyriologi שִׁנְעָר idem nomen esse censent cum Sumir, quo nomine Babylonia meridionalis in monumentis cuneatis designatur (vide ad Zach. 5,11. Proph. min. II p. 277). Hac asporta-

tione vasorum quae tamquam tropaea de Iahve reportata in thesaurum idoli victoris inferri censebantur Iudaei edocti sunt de eadem re quam in principio regni Ioakim Ieremias frustra monuerat, Deum scil. propter peccata etiam suum sanctuarium esse abiecturum (Ier. 26,6). In quadam inscriptione profitetur Nabuchodonosor sibi fuisse in animo, ut bellicis expeditionibus gloriam et potentiam Maruduk (Merodach) dei deorum propagaret et spoliis opimis urbem dei dilectam et eius sanctuaria ditaret (cf. *Tiele*, Babylonisch-assyrische Geschichte, Gotha 1886 p. 435. 442); quare hoc quoque loco Merodach deum intelligi eiusque templum existimandum erit. Merodach deus erat tutelaris Babylonis et ab ipso rex potestatem habere tamquam a patre suo coelesti censebatur (*Tiele* l. c. p. 530 seq.).

In illa contra Aegyptum expeditione captivos ex Iudaea esse abductos iam supra ex Berosso didicimus (vide quoque *Brunengo,* L'Impero di Babilonia e di Ninive II p. 243); inter eos fuisse iuvenes nobiles, immo sanguine regio ortos a Daniele docemur v. 3 « *et ait rex Asphenez praeposito eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel et de semine regio et tyrannorum* v. 4 *pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma et eruditos omni sapientia, cautos scientia et doctos disciplina et qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras et linguam Chaldaeorum* »; — usu receptum fuisse, ut pueri nobiles alienigenae in aula regia educarentur et eruditi variis praeficerentur muneribus, etiam ex monumento colligitur quod de Sennacherib servatum est in quo legitur: Belibui, filium sapientis, ex gente Babylonis qui tamquam adolescentulus in palatio meo educatus erat, in regnum Sumer et Accad collocavi[1], Persis quoque eum fuisse morem ut adolescentes per triennium disciplinas addiscerent antequam ad regium servitium admitterentur Xenophon Cyrop. 1,2 indicat (cf. *Heb.* p. 79). Ad id electos esse adolescentes praeclaris et corporis et animi dotibus praeditos, textu nostro non sine aliqua verborum pompa asseritur; praeter corporis elegantiam postulabatur ingenii ad res percipiendas celeritas et acumen; hebr. explica: intelligentes vel prudentes ad omnem sapientiam scil. addiscendam; ergo indole facili et ad omnem scientiam apta et expedita instructi seligebantur, ut edocti et eruditi munia obire possent i. e. stare, servire in aula regia. Ut autem sapientibus Chaldaeorum accenserentur necesse erat litteras discere et linguam Chaldaeorum i. e. ipsam illam scribendi rationem quam in cuneatis monumentis cernimus et cum ea etiam linguam illam vete-

1. Cf. *Delattre*, Les Chaldéens. Extrait de la Revue des questions historiques, Paris, 1877, p. 20; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. IV p. 394.

rem (accadicam, sumericam, plerumque vocant) ex qua scribendi signa Assyrii et Babylonii ad suam linguam adoptaverant. Quare optime dicitur : ut doceret eos *litteras*, signa illa cuneiformia quibus lingua babylonica semitica scribebatur; sed ut haec ipsa signa v. g. ideogrammata bene intelligerent, ut quae in antiquis tabulis erant asservata perspicerent, ipsa illa antiqua et peregrina lingua, satis a semitica diversa erat addiscenda, *et linguam Chaldaeorum*. Notum est inventas esse tabulas ad utramque linguam addiscendam dispositas in quibus substantivorum flexio, pronomina affixa etc. et assyriace et accadice proponuntur et voces accadicae explicantur adscriptis assyriacis. Chaldaeorum lingua igitur hic non ea intelligitur quam vulgo chaldaicam vocabant et qua usus est Daniel in aliis libri partibus (haec enim rectius appellatur aramaica), sed intelligitur lingua populi antiqui qui iam ante Semitas regiones illas incolebat et a quo isti hoc scribendi genus mutuati sunt. Aramaica autem lingua utebantur tribus aramaicae quae in parte septemtrionali inter Chaboram et Euphraten et in regione meridionali ad Euphraten et Tigridem incolebant; praeterea eorum lingua adhibebatur in commercio cum populis Asiae occidentalis (vide ad Is. 36,11; *Tiele,* Babylonisch-assyrische Geschichte, Gotha 1886, p. 59. 64 seq.).

Ea iuvenum Israel nobilium educatione in aula regia coeptum est impleri oraculum ab Isaia editum 39,7 : et de filiis tuis... tollent et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis; inde tamen non continuo sequitur eos factos fuisse veri nominis eunuchos, cum nomen hoc latiore quoque sensu de aulicis adhibeatur (vide quod notavi ad Is. 39,7; Comment. in Is. II p. 56). Tres iuvenum ordines distinguuntur : de filiis Israel et de prosapia regia et de principibus; quare censendum est Israelitarum iuvenes simul cum filiis concubinarum regis vel cum filiis aliorum regum a Nabuchodonosor devictorum et cum filiis primorum principum esse ad aulam adductos. Vox peregrina פַּרְתְּמִים (cf. Esth. 1,3; 6,9) quae alias de primoribus Persarum legitur et cum persica voce in inscriptionibus *fratama*[1] omnino congruere videtur, indicio est principes intelligi non Iudaeos genere, sed alienigenas, fortasse Persas, nisi assumere malueris Danielem vocem eam post expugnationem Babylonis a Persis factam didicisse eamque ad primores aliarum gentium designandos adhibuisse. Sed cum teste Ezechiele Phoenices milites Persas conduxerint (Ez. 27,10) et exercitus Nabucho-

1. *Spiegel,* die altpersischen Keilinschriften p. 209; cf. in lingua zendica *fratema*, in sanscrita *prathama*; inde quoque πρῶτος etc.; gr. retenta est h. l. vox φορθομμίν.

donosor regis ex plurimis gentibus compositos fuisse aliunde constet (cf. Ier. 25,9), certe non est improbabile Persas quoque sub Nabuchodonosor stipendia esse meritos et proinde nobiles etiam iuvenes Persarum in aula regia esse educatos. Regis uxor primaria erat filia regis Medorum, Medis autem tunc temporis obediebant Persae.

Laute et liberaliter iis providetur v. 5 « *et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis et de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis postea starent in conspectu regis* »; — etiam annona designatur voce persica פַּת־בַּג *patibaga* portio. Apud Persas, ut refert Plato (Alcib. I,37), pueri ab anno aetatis decimo quarto erudiebantur per paedagogos regios et referente Xenophonte (Cyrop. 1,2) ἔφηβοι anno aetatis septimo decimo munera in servitio regio obire incipiebant; idem in aula babylonica moris fuisse hic edocemur; *stare* ante regem idem est quod ei servire; servus enim ad nutum heri paratus stat et reverentiae causa hero praesente stat; v. 6 « *fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda Daniel, Ananias, Misael et Azarias;* v. 7 *et imposuit eis praepositus eunuchorum nomina : Danieli Baltassar, Ananiae Sidrach, Misaeli Misach et Azariae Abdenago* »; — mutatio nominis saepius fieri solebat in signum dominationis in eum cuius nomen mutatur; ita Nechao nomen Eliacim vertit in Ioakim; Nabuchodonosor cum Matthaniam constitueret regem, ei nomen imposuit Sedeciae (4 Reg. 23,34; 24,17; sim. *Theod. Tir. Calm. Troch.*); hoc loco inde profecta videtur nominum impositio, ut nomine babylonio assumpto quasi Babylonii esse viderentur, ne in aula regia et inter servos regis nomina audirentur alienigenarum; nolebant enim, ut *S. Hier.* dicit, eos in terra captivitatis vocabula habere Iudaeorum; dein novis nominibus admonebantur continuo, ut regionis patriae morumque obliti eius gentis cuius nomina iam gerebant vitae morumque rationes plane sequerentur; vel « ut hebraei pueri una cum nomine chaldaicum animum induerent nec hebraici nominis sui pronuntiatione patriae gentisque memoriam refricarent » (*Mald.* sim. *Mar. Lap.*). Daniel vocatur בֵּלְטְשַׁאצַּר quam vocem plerumque, explicant : balatsu-usur : vitam eius protege (cf. *Schrader,* Keilinschriften u A. T. ad h. l.)[1]; at si nomina illa propria consuluntur quae in indicibus inscriptionum leguntur a *Strassmaier* editarum, altera explicatio certa esse videtur :

1. Censet *Delitzsch* nomen balatsu-usur compendiose esse dictum pro Bel-balatsu-usur : Bel vitam eius protege; simul ostendit nomen hoc inter Babylonios usitatum fuisse (*Baer,* libri Danielis, Ezrae et Neh. text. mas. Lipsiae 1882 p. IX seq.). Utrocumque modo explicaveris, falso infert Meinhold ad 4,5 vocis explicatione ibi proposita ostendi tempus post ruinam regni babylonici scriptoremque linguae babylonicae ignarum. Id quidem minime; verum explanatio a Meinhold aliisque proposita est erronea.

Belit-sar-usur i. e. Belit regem protege ; neque obstat 4,5, cum אלה vel generatim de numine dici possit vel etiam ab homine gentili genere communi adhiberi possit. Ita censet *Strassmaier*. Belit vel Bilat nomen est uxoris Bel; sed aliae quoque deae eo nomine quandoque appellantur (cf. *Tiele,* l. c. p. 538). Abdenago probabilissime mendo scribarum legitur pro Abdenebo i. e. עבד נבו servus Nebo; id nomen revera exstitisse probatum est inscriptione aliqua assyriaca inventa (cf. *Schrader,* Keilinschriften u. d. A. T. ad h. l.). Idem nomen esse babylonium quoque nequit in dubium vocari; nam nomina cum *abad* composita apud Babylonios inventa sunt, Nebo autem vel Nabu unus erat ex praecipuis Babyloniorum diis, qui templum celeberrimum habuit Borsippae et quantopere in veneratione fuerit, multis illis ostenditur nominibus a Nabu incipientibus v. g. Nabopolassar, Nabuchodonosor, Nabuzardan etc. (cf. *Tiele,* l. c. 532. 636-637; vide quoque ad Is. 46, 1). Duo reliqua nomina nondum ita explicata sunt, ut animus in una ex compluribus explicationibus quae propositae sunt plane conquiescat; fortasse scribarum vitio nomina illa peregrina non rite ad nos pervenerunt. Quare non opus erit variis immorari coniecturis. Solum addo iudice *Lenormant* nomen praepositi eunuchorum Asphenez satis posse explicari; cum enim apud LXX legatur Ἀβιεσδρί censet in nomine apud Hebraeos servato deesse *r* finale, ita ut nomen proprie scribendum sit Aschpenazar vel Aschbenazar, quam censet esse transscriptionem hebraicam pro Assa-ibni-zir i. e. domina (i. e. Istar) formavit germen (*Lenormant,* la divination chez les Chaldéens, p. 182; cf. *Vigouroux,* la Bible et les déc. mod. 3 ed. IV p. 396). *Delitzsch* autem quid hoc nomen significet in medio relinquit (*Baer,* libri Danielis.. text. mas. p. IX).

In periodico : Zeitschrift für Assyriologie hanc proponit Kohler coniecturam : מרדך Marduk, ששך Scheschak. Sed cum nomen Scheschak eadem obscuritate laboret, parum iuvamur. In longa illa enumeratione nominum scribarum et testium quam exhibet *Strassmaier*, Inschriften von Nabonidus, Leipzig, 1889, p. 40-68, nomen Marduka saepius legitur; unde prior coniectura non caret probabilitate. Ceterum ex eo quod nomina haec duo explicari certo nondum possunt, nihil colligi potest contra rei narratae veritatem. Nam quot occurrunt inter nomina illa 271 scribarum et 848 testium quae a *Strassmaier* recensentur, quae num satis possint declarari omnino dubitare licet? Et quam varia efformata sint nomina hisce paucis accipe exemplis : Apla, Bazuza, Bullutu, Dummuqu, Ikisa, Kalba, Labasi, Muranu, Nadin, Niqudu, Rimut, Saduna, Sulumu, Ziria, Sadi, Sigua, Suzubu, etc., etc.; in nomine Siriktum similes deprehendes consonantes atque in Sidrach. Quae nomina si contuleris, certe non negabis Sidrach et

Misach esse posse nomina a Babyloniis efformata, sed forte transscriptione hebraica immutata.

At cum nomine babylonio minime induerunt animos babylonios; Daniele duce et suasore legum divinarum permanserunt observantissimi v. 8 « *proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis neque de vino potus eius et rogavit eunuchorum praepositum ne contaminaretur* » ; — i. e. ut sibi copia detur contaminationem illam lege patria prohibitam evitandi. Ex lege pentateuchica varia interdicebantur quae ab aliis gentibus comedebantur v. g. lepores, sues, anguillae (cf. Lev. 11,4-19. Deut. 14,7 seq.) adipes, sanguis (Lev. 3,17; 7,23 seq. 17,10-14); praeterea in modo cibos parandi, in vasis facile aliquid committi potuit quo immundities legalis oriretur (cf. Lev. 11,29-38); quare pro sua religione Iudaei eidem cum gentibus mensae accumbere verebantur, id quod ex Gal. 2,12 quoque illustratur. Praeterea, etsi non semper, at saepius tamen suspicio haberi poterat, ne cibi apponerentur ex sacrificiis oblatis vel ritibus idololatricis consecrati; demum generatim maxime consultum erat a mensa gentilium abstinere; nam, ut *Estius* advertit, « qui comedebant cum gentilibus vulgo censebantur iisdem uti cibis nec habere discrimen ciborum, etiamsi forte studiose ab iis abstinerent, quae lege vetita essent; ideo ad scandalum populi sui vitandum debebant Daniel et socii se subtrahere mensis gentilium, sicut fecerunt etiam Tobias et Iudith ». Neque ea religio ullo pacto indicium est temporis posterioris; nam idem timor contaminationis iam indicatur et eadem rei indignitas pro populo theocratico exprimitur in minis apud Osee : et in Assyriis pollutum comedit (9,3 seq.) et apud Amos : et tu in terra polluta morieris (7,17) et apud Ezechielem : non est ingressa in os meum omnis caro immunda (4,14). Unde patet quam immerito cernere velint aliqui ea in observantia vestigium temporis machabaici.

« Simul atque divina persequi instituerunt, statim divino fruuntur auxilio » (*Theod.*) v. 9 « *dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum*, v. 10 *et ait princeps eunuchorum ad Danielem : timeo ego dominum meum regem qui constituit vobis cibum et potum; qui si viderit vultus vestros macilentiores prae ceteris adolescentibus coaevis vestris condemnabitis caput meum regi* » ! — ad Deum auctorem refertur quod praepositus eunuchorum postulationem Danielis non dure reiecit[1] vel cum contu-

1. Notat *Sanct.* : « succensere non immerito potuisset princeps Danieli, quid regiam contemneret liberalitatem et oblatos cibos iudicaret immundos ».

melia irrisit, sed solum blande exposuit quid ea in re periculi sibi adesse existimaret, dum tamen timeri potuerit, ne princeps eunuchorum indignaretur quod regios cibos contemnerent et pollutos censerent. Simul ostenditur Danielem iam inde ab initio singulari Dei providentia gubernatum (*Mald.*). Monet *Theod.* idem usu venisse olim Ioseph, « fuit enim Dominus cum Ioseph et voti compos fuit et effudit illi misericordiam et dedit ei gratiam in conspectu principis carceris »; inde Dei commendari in suos curam et studium, et *S. Hier.* inde eruit Dei esse misericordiae, non bonitatis hominum perversorum, si quando diligantur sancti ab infidelibus. Hebr. dicitur per interrogationem : *qui cur videat facies vestras pallidas prae adolescentibus.. et cur caput meum reum faciatis regi?* rem bene expresserunt LXX καὶ κινδυνεύσω τῷ ἰδίῳ τραχήλῳ; qui scil. ob regis mandatum neglectum laesae maiestatis reus censeretur. Proinde significat se libenter accessurum fuisse petitioni, nisi regis praecepto eiusque offendendi metu prohiberetur (*Mald.*).

Iam ostendit Daniel, ut *Alb.* advertit, et propositi firmitatem et sagacitatem propositi ad effectum perducendi v. 11 « *et dixit Daniel ad Malasar quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaelem et Azariam :* v. 12 *tenta nos obsecro servos tuos diebus decem et dentur nobis legumina ad vescendum et aqua ad bibendum ;* v. 13 *et contemplare vultus nostros et vultus puerorum qui vescuntur cibo regio et sicut videris, facies cum servis tuis* »! — nomen Malasar מֶלְצַר nomen esse officii censent et significare praefectum; *Delitzsch* vocem comparat cum assyriaco *massaru;* « fortasse מלצר ex מַצַּר dissoluta duplicatione ortum est, sicut βάλσαμον ex בֶּשֶׂם (bassam »; cf. *Baer* l. c. p. XI). Haud abs re notat *S. Ephr.* si solum de cibis mundis solliciti fuissent futurum fuisse ut pro carnibus immundis mundas sibi postularent; unde observantiae legis etiam sacram quandam abstinentiam addere voluisse censendi sunt, praesertim cum abstinerent a vino quod nulla lege erat prohibitum; elegerunt scil. ipsi quoque affligi cum populo Dei magis quam temporalis peccati habere iucunditatem (*Alb.*), conveniens probationis spatium seligunt nec nimis breve, nec nimis longum (*Alb.*), quod et facile concedi sperare poterant et satis quoque demonstrare cibos illos nihil afferre nocumenti. Petunt submisse et prudenter, quia heri arbitrio se cuncta demum commissuros esse spondent.

Atque simplici illa et sobria vivendi ratione maxime consulebatur valetudini Deo quoque piis iuvenum studiis benigne favente; v. 14 « *qui audito sermone huiuscemodi tentavit eos diebus decem;* v. 15

post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores et corpulentiores prae omnibus pueris qui vescebantur cibo regio; v. 16 *porro Malasar tollebat cibaria et vinum potus eorum dabatque eis legumina* »; — dabat eis σπέρματα gr.; LXX ὄσπρια; hebr. proprie *sata*, quae Maimonides triplicia esse statuit; primo triticum, hordeum, speltam; dein legumina, ut fabas, lentes; denique semina hortensia. Cernens igitur bonum rei successum praefectus petitioni acquievit. Religionem iuvenum praeclare laudat *Hippolytus :* « o beati qui testamentum patrum custodierunt legem a Moyse datam non transgressi, sed ab eo annuntiatum Deum timentes; hi captivi in terra aliena non cibis variis seducti fuerunt neque vini voluptatibus servierunt neque etiam gloria regia allecti in laqueum inciderunt; servaverunt autem os suum castum et purum, ut purus sermo ex ore puro exeat et celebret per hoc coelestem Patrem » (*M.* 10,670).

Qui cupediis et deliciis pro paterna religione et reverentia Dei renuntiaverant, iis Deus qui liberalitate non vincitur maiora virtutis praemia largitus est v. 17 « *pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia, Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum* »; — in omni libro i. e. in universis litteris librisque quibus sapientia Chaldaeorum continebatur, ut scil. facile et expedite cuneiformem scribendi modum addiscerent et linguam illam veterem (accadicam?) cognoscerent. Dedit ergo Deus, ut *S. Hier.* ait, « sanctis pueris scientiam et disciplinam saecularium litterarum in omni libro et sapientia; pro quo Symmachus interpretatus est *artem grammaticam,* ut cuncta quae legebant intelligerent et spiritu Dei de Chaldaeorum scientia iudicarent ». Praeterea Danieli id collatum est quod apud Babylonios maximi aestimabatur, utpote qui artibus divinandi summopere dediti erant (cf. Is. 47,12; *Lenormant,* la magie chez les Chaldéens; la divination chez les Chaldéens); ea mentione iam rerum subsequentium narratio praeparatur (cap. 2 etc.). Visiones intellige symbola rerum menti exhibitarum; somnia quandoque immitti a Deo prophetica exempla habes Gen. 40,5; 41, 1 seq. Num. 12,6. Ioel 2,28. Visiones propositas esse prophetis legimus apud Amos (7,1. 4. 7; 8,1; 9,1), Isaiam (6,1), Ieremiam (24,1), Ezechielem (cap. 1. 2. 8-11. 37. 40 etc.); quare ex iis perperam inferre conantur aliqui temporis posterioris indicium, quo scil. deficiente vera prophetia ad haec quasi adminicula confugere solitum fuisset. Danieli iuveni ea dona conferuntur; hinc autem docemur, ut ait *Theod.,* Deum nullam aetatis rationem habere, sed pietatem tantum et religionis studium requirere; praeterea illam in eligendo propheta libertatem exercet quam sibi asseruerat Deut. 18,15 seq.; iuveni

quoque Samueli apparuit, ut gratiam in adolescentulo vigentem ostenderet (*Theod.*).

Demum etiam coram rege virtutis pietatisque praemium Deo studiis eorum gratiose aspirante tulerunt, quia ceteris omnibus multo sapientiores comprobabantur v. 18 « *completis itaque diebus post quos dixerat rex ut introducerentur, introduxit eos praepositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor;* v. 19 *cumque eis locutus fuisset rex, non sunt inventi tales de universis, ut Daniel, Ananias, Misael et Azarias, et steterunt in conspectu regis* » ; — « nempe propositis interrogationibus acumen et eruditionem eorum tentans rex illis loquebatur et nemo inventus est illis aequalis; itaque steterunt in conspectu regis i. e. cooptati sunt ad regis ministerium » (*Mald.*), tamquam ministri et consiliarii ei adstiterunt; quo in munere egregie se regi probarunt v. 20 « *et omne verbum sapientiae et intellectus quod sciscitatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum super cunctos ariolos et magos qui erant in universo regno eius* »; — en, iam incipit gloria Dei Israel per servos suos fideles illucescere et celebrari in aula regia. Pro ariolis et magis LXX sophistas et philosophos transtulerunt; חַרְטֻמִּים Gen. 41,8. 24 vocantur illi qui ad somnium explicandum accersuntur a Pharaone; Ex. 7,11. 23 et 8,3. 14 iidem incantationibus suis miracula Moysis imitari conantur; gr. nostro loco ἐπαοιδοί dicuntur. Vox אַשָּׁפִים libro Danielis est propria; gr. exprimitur h. l. per μάγους; rabbini astronomos vel medicos exponunt (cf. *Ges.* Thes. p. 161); *Delitzsch* vocem babylonicam *asapu* incantare comparat (Prolegomena e. n. hebr. aram. Woerterb. p. 141). Cum iuvenes Israelitae eos omnes sapientia et prudentia consiliorum superarent, iam sapientia huius mundi per Dei servos confunditur.

Demum additur Danielem in ministerio regio et in summa sapientiae existimatione fuisse per tempus regni babylonici v. 21 « *fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis* »; — qui fuerit, explica ex v. 19 et 20. Eo sensu facillime haec sententia adnectitur ad antecedentia; et cum mentio facta esset de iuvenibus ad consilia regia admissis, opportunum erat addere Danielem toto tempore regni babylonici in aula degisse suisque consiliis reges iuvasse; id quod ultimo quoque regi praestitit (cap. 5). Sensus esse nequit Danielem solum usque ad primum annum Cyri vitam degisse eoque anno esse mortuum; id quod iam elucet ex textu aramaico 6,29 : Daniel prospere egit in regno Darii et in regno Cyri Persae. Iam vero cum ipsi rationalistae affirment librum ab uno quodam esse conscriptum, apparet eam explicationem esse sequendam qua non unus ille secum ipse committatur. Similiter explicat *S. Hier.* (ad 6,28) : « hoc significatur quod

usque ad primum annum Cyri regis Daniel potens fuerit in Chaldaea, postea vero a Dario in Medos translatus sit » ; et dilucide *Lap.* : « fuit Daniel in magna apud omnes reges babylonios gloria et auctoritate, vixit in aula regis Nabuchodonosori eiusque posteris carus et familiaris » (sim. *Alb. Sanct. Mar. Per. Men. Calm. Z.*). De tali usu הָיָה cuius notio ex antecedentibus declaratur, vide Zach. 6,15.

Alii aliter verba concipiunt. Dici scil. eum vixisse usque ad primum annum Cyri, sed ita ut non negetur eum ultra vixisse; sed quorsum haec? Subintelligunt respici vaticinium Isaiae (44,28-45,4) et liberationem Iudaeorum, ut innuatur toto captivitatis tempore Iudaeos auctoritate Danielis eiusque oraculis esse adiutos (***Mald. Rohl.***) vel eum vidisse annum illum adeo memorabilem, conspexisse Cyrum et liberationem Iudaeorum (***Theod. Delattre***, de l'auth. du livre de Daniel). Sed non placet ea suppleri quae neque in antecedentibus neque in subsequentibus commemorantur, verum aliunde peti debent. ***Hitz.*** coniectat fortasse intercidisse verba בְּשַׁעַר הַמֶּלֶךְ ***in aula regis*** pone הַמֶּלֶךְ; cf. 2,49; ea enim hoc loco sua quasi sponte desiderari, quia post primum annum Cyri Daniel fuerit ad Tigridem fluvium (10,4). ***Meinhold*** vertit : Daniel *etiam* anno primo Cyri superstes erat (er lebte noch im 1. Jahre).

Iuvat addere quae *S. **Paterius*** ex libro moralium S. Gregorii M. de dura Danielis in aula regis vita collegit : « si internae scientiae dulcedinem quaerimus nec tamen eius secreta contingere praevalemus, Danielis vitam ad imitandum memoriae revocantes conspiciamus et desiderandum scientiae culmen apprehendamus. Ille quippe qui postmodum voce angelica pro cognitionis internae concupiscentia vir desideriorum dicitur, prius in aula regia carnis in se desideria edomuisse memoratur, ut nihil ex delectabilibus cibis attingeret, sed lautis et mollioribus duriora et aspera cibaria praeferret, ut dum sibi exterioris cibi blandimenta subtraheret, ad interni pabuli delectamenta perveniret et tanto avidius gustum sapientiae intus acciperet, quanto saporem carnis pro eadem sapientia foris robustius repressisset. Si enim a carne hoc quod libet abscindimus, mox in spiritu quod delectat invenimus. Intentioni quippe animae si exterior vagatio clauditur, interior secessus aperitur; nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se intendere per provectum potest » (***M.*** 79, 997). En, habes exemplum, quomodo S. Patres ad usum traduxerint doctrinam S. Pauli dicentis : quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt; omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia (Rom. 15,4. 2 Tim. 3,16).

PRIOR PARS. CAP. 2-6.

1. *Regis somnium de regnis. Cap.* 2.

ARG. — Nabuchodonosor ut magi somnium cuius oblitus sit enarrent et explicent postulat; quod cum praestare nequeant ira incensus sententiam mortis in eos fert (2,1-13). Daniel precibus ad Deum fusis somnium discit divinitus regique in memoriam revocat (2,14-35) et eius interpretationem de regnis futuris usque ad regnum messianicum proponit; quare a rege summopere honoratur (2,36-49).

a) **Confunduntur magi 2, 1-13.**

Secundum textum hebr. veteresque versiones Nabuchodonosor anno regni *secundo* somnium vidit. Quae temporis determinatio a nonnullis in dubium vocatur. Daniel enim et socii eius per tres annos in aula regis educantur 1,5, postea ad regis ministerium admittuntur et sapientibus accensentur 1,18-20; iam in hac de somnio narratione omnino ad ordinem sapientum admissi sunt et Daniel constituitur princeps super omnes sapientes Babylonis; cf. 2,13. 48; quare id evenisse censendum erit exactis tribus annis postquam adducti sunt Babylonem et proinde non secundo anno Nabuchodonosor, verum tempore posteriore. Coniiciunt itaque pro anno secundo annum duodecimum esse legendum, et si supposueris (id quod prorsus probabile est) numeros olim litteris esse designatos, mutatio est revera parva; ב enim duo, יב duodecim significat; praeterea dignitas illa ad quam Daniel evehitur potius aetati aliquantum maturiori convenire videtur. Unde haec sententia valde probabilis[1] efficitur (cf. *Cornely*, Introd. II 2 p. 467). Eam tamen vel certam vel necessariam dicere non ausim. Ex more enim babylonico primus regni annus non computabatur a die regni suscepti, sed a primo die anni qui subsequebatur, ita ut tempus regni ante novi anni initium omnino non primo anno adscriberetur (cf. *Tiele*, Babylonisch-assyrische Geschichte, Gotha 1886, p. 420. 440), sed « initium regni eius » *ris sarrûti* appellaretur. Ex altera parte pariter certum est, si dicitur illos tribus annis esse enutritos, ex more hebr. non necessario intelligi tres annos omnino completos. Quare si somnium

---

1. Etiam *Chrys.* annum explicat duodecimum, utique ex falsa computatione, et addit esse qui censeant eadem nota utrumque numerum exarari apud Hebraeos vel esse erratum ab amanuensibus.

regi versus finem anni regni eius secundi oblatum esse statueris, habebis annos tres per quos in aula regis Daniel erat educatus; eius enim annus primus incidit in initium regni Nabuchodonosor; unde secundo regni anno iam fluxit tertius Danielis. Si igitur propter 2,48 Daniel tibi non videbitur nimis iuvenis, annum secundum retinere poteris. Ceterum iam *S. Hier.* nos docet Hebraeos difficultatem illam ita solvere, ut secundum annum dici velint regni eius omnium gentium barbararum, quas Domino concedente superaverit; « unde et Iosephus in decimo Antiquitatum scribit libro : post annum secundum aegyptiae vastitatis rex vidit mirabile somnium »; verum id gratuito fingi patet.

« Vidit rex impius somnium futurorum, ut interpretante sancto quod viderat Deus glorificaretur et captivorum Deoque in captivitate servientium sit grande solatium; hoc idem in Pharaone legimus non quod Pharao et Nabuchodonosor videre meruerint, sed quod Ioseph et Daniel digni exstiterint qui interpretatione eorum omnibus praeferrentur » (*S. Hier.*); v. 1 « *In anno secundo regni Nabuchodonosor vidit Nabuchodonosor somnium et conterritus est spiritus eius et somnium eius fugit ab eo* »; — hebr. proprie *et somnus eius fuit super ipsum,* id quod gr. et LXX explicant ἐγένετο ἀπ' αὐτοῦ vel ut codd. 22. 34. 36. al. legunt ἀπεγένετο; idem *Theod.* qui etiam secundo loco ἀπέστη explicat; eodemque modo Theodotio quoque et Sym. interpretati sunt; quae explanatio ipsa re commendatur; nam somnio illo mens regis vehementissime perculsa et perturbata esse dicitur; legitur hebr. התפעם, quocum compara nomen פעם *incus* Is. 41,7. Iam animo vehementer commoto et perterrito somnum fugisse ab eo quid magis obvium esse potest? Explica igitur hebr. *fuit* (niphal v. הָיָה) sensu eo quo poeta dicit : fuimus Troes, fuit Ilion (cf. *Ges.* Thes. p. 375), ut ei scil. notio rei absolutae et praeteritae adiungatur. Quare in *vulg.* recte dicitur *fugit,* minus recte autem *somnium.*

Cum somnia praesertim apud Babylonios maximi aestimarentur (cf. *Vigouroux* l. c. p. 401 seq.; *Tiele* l. c. p. 393), quippe quibus numen hominibus sese revelare credebatur, rex sedulo quaerit qui arte interpretandi somnia se praeditos esse dictitabant v. 2 « *praecepit autem rex, ut convocarentur arioli et magi et malefici et Chaldaei ut indicarent regi somnia sua; qui cum venissent, steterunt coram rege* »; — Daniel et socii eius non se sistunt cum his, uti ex v. 13 seq. patet; unde iure inferes eos quamvis ordini magorum seu sapientum accenserentur tamen ab omni superstitionis et divinationis et incantationis specie sedulo abstinuisse. Hic quattuor recensentur ordines *sapientum* — eo enim nomine omnes comprehendi ex 2,12 seq. elucet — quintus

ordo commemoratur 2,27 ; 4,4 ; 5,7. 11 ; sed quid singulis speciali modo attribui oporteat difficile dixeris. Censent חרטמים incantatores fuisse ad malos genios coercendos et eorum maleficia avertenda, אשפים vates qui carmina in deorum laudem componerent, oracula interpretarentur et consilia deorum manifestarent; מכשפים qui formulas mussitarent magicas ad mira efficienda; כשדים qui ex astris vaticinarentur; demum 2,27 etc. גזרין qui ex variis signis naturalibus eventibusque coniecturas et auguria caperent (cf. *Lenormant,* la magie chez les Chaldéens et les origines accadiennes, p. 13. 14; *Vigouroux* l. c. p. 406; *Rohl. Heb.* p. 87). Ordines omnes[1] rex convocat, ut si quid funesti in somnio indicetur etiam sint qui adiuratione vel incantatione facta malos genios compescant, doceant quomodo mala omina averti possint consultis libris magicis (quorum magnam exstitisse copiam *Lenormant* l. c. ostendit).

V. 3 « *et dixit ad eos rex : vidi somnium et mente confusus ignoro quid viderim* »; — hebr. *somnium somniavi et agitatur spiritus meus ad sciendum somnium* i. e. sollicitus et anxius est animus meus ut sciam somnium (*Mald. Calm.*); qua locutione in ambiguo relinquitur, utrum ipsum quoque somnium an solum eius significationem nosse cupiat. Magi dictionem sensu obvio accipiunt; v. 4 « *responderuntque Chaldaei regi syriace : rex in aeternum vive! dic somnium servis tuis et interpretationem eius indicabimus* »! — vocem ארמית aramaice, syriace uncis include; neque enim sensus esse potest sapientes aramaice regi esse locutos, cum certe babylonice loquerentur, sed vox illa addita est qua qui legat moneatur iam ea quae sequantur a Daniele conscripta esse lingua aramaica, non hebraea. Vox igitur est nota ad marginem olim posita et ibi quoque ponenda. Linguam peregrinam qua respondent Daniel pro suis apte imitatur transiens ad usum linguae aramaicae. De fausta apprecatione *in aeternum vive* i. e. longissimo tempore feliciter regna, vide ad Bar. 1,11. Instar omnium soli respondent Chaldaei, hebr. *Casdim*[2]; qui igitur dignitate prae reliquis

---

1. Graecus venetus ita vertit : καλέσαι τοὺς γενεθλιαλόγους, τοὺς ἀστρονόμους, τούς τε γόητας καὶ τοὺς χασδαίους; 2,27 et 4,4 etc. ἀποτελεστάς quarto loco commemorat omissis goetis.

2. Notat *Delattre*, Les Chaldéens p. 28 : « un tel emploi du mot *Casdim* serait étrange si tous les Babyloniens de ce temps avaient été Chaldéens; il se justifie sans peine si l'on admet avec nous que les Chaldéens étaient une classe particulière et d'origine étrangère dans le peuple babylonien. Dès lors, en effet, il était assez naturel d'appliquer la dénomination de chaldéen à un collège de prêtres recrutés exclusivement parmi les hommes de cette classe. Ces docteurs chaldéens, nous le voyons encore par le livre de Daniel, avaient le pas sur leurs confrères ».

eminuisse censendi sunt. Secundum Herodotum (1,171) et Diodorum siculum (2,24) nomine Chaldaeorum sacerdotes Babyloniorum designabantur; quare usus iste nominis etiam apud Danielem facile explicatur, etsi in cuneiformibus monumentis haec nominis significatio specialis de ordine quodam sapientum vel magorum nondum sit reperta (cf. *Troch.*).

At rex ut ipsum somnium sibi a magis indicetur postulat gravi comminatione adiecta v. 5 « *et respondens rex ait Chaldaeis : sermo recessit a me : nisi indicaveritis mihi somnium et coniecturam eius, peribitis vos et domus vestrae publicabuntur* »; — verbum אַזְדָּא veteres accipiunt notione abeundi; gr. LXX ἀπέστη, sicut apud talmudicos אזד ea notione reperitur; at iam *Syrus* h. l. vertit : *firmum* est verbum quod dico; eandemque explicationem propugnat *Delitzsch* affirmans adesse indicia ex quibus collegeris semitico אזד vim firmitatis inesse (apud *Baer*, libri Dan. Ezr. Neh., Lipsiae 1882 p. VII)[1]; unde eadem habetur dictio quae Gen. 41,32 legitur. Alii plerumque explicant sensu haud multum diverso : sermo egressus est a me i. e. decretum a me statutum est firmumque consilium apud me est, ut nisi indicaveritis mihi somnium et interpretationem eius, *in frusta conficiamini* vel in frusta concidamini, membratim concidamini (cf. *Vat. Mald. Mar. Lap. Calm.* et recentiores) *et domus vestrae in sterquilinium redigantur* (hebr.) ad maiorem scil. contumeliam qua memoria eorum apud aequales et posteros afficiatur et maximus significetur contemptus fallacis illius hominum generis; cf. 4 Reg. 10,27 : destruxerunt quoque aedem Baal et fecerunt pro ea latrinas, eademque poena quoque decernitur in transgressores a Dario Esdr. 6,11 (hebr.). Poena statuitur atrox quidem, at a tyrannide haud aliena (cf. 2 Mach. 1,16 et de crudelitate Assyriorum et Babyloniorum *Tiele* l. c. p. 510; *G. Rawlinson*, Five Monarchies 2 ed. I p. 477; III p. 7).

Quodsi vero utrumque indicaverint, praemia pollicetur magnifica v. 6 « *si autem somnium et coniecturam eius narraveritis, praemia et dona et honorem multum accipietis a me; somnium igitur et interpretationem eius indicate mihi!* v. 7 *responderunt secundo atque dixerunt : rex somnium dicat servis suis et interpretationem illius indicabimus;* v. 8 *respondit rex et ait : certe novi quod tempus redimitis scientes quod recesserit a me sermo* »; — rex vult ut sine cunctatione sibi morem gerant dicens : ex certo novi vos solum tempus emere,

---

1. Vocem esse persicam et notionem habere *firmum esse*, alii affirmant; ita *Noeldeke* (apud *Schrader*, Keilinschr. u. A.T. 2 ed. p. 617) qui illam vocem ad persicum *azda* refert; cf. Zeitschrift der deutschen morgenl. Gesellschaft, XXIII p. 220 seq.

moras nectere velle, quandoquidem perspexeritis sermonem et decretum meum esse firmum; de dictione vide ad v. 5. Unde morae longioris impatiens rex affirmat, si arte sua non valuerint somnium ipsum indicare etiam explicationem non a vera arte sed a fallacia et fraude proficisci; si enim artem profitentur revelandi occulta, somnium quoque ut detegant haud immerito ab iis postulari potest. Quare v. 9 « *si ergo somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia quod interpretationem quoque fallacem et deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi donec tempus pertranseat; somnium itaque dicite mihi ut sciam quod interpretationem quoque eius veram loquamini* »! — i. e. quodsi non indicaveritis, manet sententia et lex illa contra vos dicta. Quem sensum etiam LXX exprimunt θανάτῳ περιπεσεῖσθε et qui ad vocem דָּת *decretum, lex* convenit. In sequentibus ratio redditur, cur tali sorti merito subiiciantur. Alii explicant : haec est animi vestri intentio, hoc consilium, ut interpretatione fallaci me decipiatis (*Rohl. Hitz.*). Verte : sermonem mendacem et perversum inter vos convenistis loqui coram me, usque dum tempus mutetur (cf. *Vat. Mar.*); si ergo somnium indicare nequeunt, arguit rex, eo ipso ostendunt interpretationem esse profectam non a vera arte, sed a fallaci et vana coniectura eosque tali commento velle regem detinere, donec tempus mutetur i. e. donec ipso temporis progressu mens et cogitatio regis ad alia negotia avocetur (*Vat.*). Quare ut verae artis documentum edant somnium ipsum ab iis enarrari vult.

Monent Chaldaei id a nullo posse praestari neque quemquam unquam id a quopiam postulasse v. 10 « *respondentes ergo Chaldaei coram rege dixerunt : non est homo super terram qui sermonem tuum, rex, possit implere; sed neque regum quisquam magnus et potens verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo et mago et Chaldaeo;* v. 11 *sermo enim quem tu quaeris, rex, gravis est nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis exceptis diis quorum non est cum hominibus conversatio* »; — in textu regem ipsum non alloquuntur, sed maioris reverentiae causa dicunt : qui rem regis (i. e. quam rex postulat) possit indicare... res enim quam rex exposcit gravis est et alius non est qui indicet illam nisi dii quorum habitatio cum carne non est i. e. qui cum mortalibus non conversantur ita ut tales res soli numini notae hominibus communicentur. Uti rationibus valentissimis regem a proposito dimovere student, ita veri Dei gloriam eiusque prophetae dignitatem singularem, qui talia ut praestet per Deum docetur, iam sua argumentatione demonstrant. Regis postulatio, etsi plane insolita, tamen ut *Lap.* monet « ex parte magorum non erat iniusta, quia ipsi utpote astrologi iudicarii et genethliaci

profitebantur se ex siderum inspectione et ex magia nosse occulta et futuros rerum eventus etiam liberos; non enim iniustus est qui a professore exigit idipsum quod profitetur ».

V. 12 « *quo audito rex in furore et in ira magna praecepit ut perirent omnes sapientes Babylonis;* v. 13 *et egressa sententia sapientes interficiebantur, quaerebanturque Daniel et socii eius ut perirent* »; — explica *interficiebantur* (particip. hithp. in textu) in eo erat, ut interficerentur; iam incipiebant regis ministri sententiam latam exsequi; quare magos qui certe omni modo periculum effugere conabantur sese occultantes undequaque ad necem conquirebant. Uti Daniel inducias petit et impetrat v. 16, ita merito supposueris etiam magos, antequam demum regi aperte faterentur se nullo modo mandatum regis posse exsequi, inducias habuisse quibus rem enodare tentaverint artibus magicis. Unde in antecedentibus rem gestam breviter et solum summatim describi iure existimaveris.

Iam quaerere oportet, utrum rex somnii sui oblitus sit necne. Secundum versiones graecas et latinam id quidem indubium videtur: et somnium eius fugit ab eo v. 1; ignoro quid viderim v. 3; sermo recessit a me v. 5. 8. At ex ipso textu originali in omnibus hisce locis, uti vidimus, non edicitur regem oblitum esse somnii. Quare sunt qui censeant regem optime quidem somnii habiti sibi conscium fuisse, at fidem et artem magorum explorare voluisse (*Rohl. Keil*); ideoque oblivionem simulasse, ut ea ratione intelligeret an Chaldaei arte inveniendi occulta vere pollerent (ita existimant aliqui rabbini apud *Mald.* et *Hengstenberg, Haevernick*). Veteres et etiam recentiorum multi (*Calm. Vigouroux, Kaulen, Cornely*) regem oblitum esse censent, alii (*Loch*) rem in medio relinquunt. Id probabilius asseri potest quod *S. Hier.* dicit: « umbra quaedam et ut ita dicam aura somnii atque vestigium remansit in corde regis, ut referentibus aliis possit reminisci eorum quae viderat et nequaquam eum deciperent mentientes »; ita quoque rem concipiunt *Petrus* archidiaconus (quaestiones in Danielem, *M.* 96,1348) *Mald. Z.* aliique. Atque huic acceptioni standum esse existimo. Ea enim facillime, immo necessitate quadam factum esse explicatur, ut rex ad postulationem prorsus inauditam propelleretur. Si dixeris regem pro lubitu vel tyrannide perfracte institisse, ut quod ipse optime sciret sibi a magis panderetur, rem dicis quae utique contingere fortasse potuit; sed si supposueris eum recordatum esse se aliquid monstri portentosique somniasse quod tamen accurate in memoriam revocare iam non posset, facile explicatur, qua ratione ad illam postulationem sit inductus; immo ex tali mentis statu ea necessario oriri debebat, cum sane maxime esset sollicitus ut

quid sibi esset portentum cognosceret. Ex vehementi hoc desiderio etiam effectum est, ut cum magi se impares profiterentur somnio narrando, in furorem et rabiem ageretur. Neque improbabile mihi videtur maximum illum stuporem admirationemque regis somnio a Daniele narrato v. 46 maiore cum verisimilitudine eius animum subiisse, si quae ipsi iam non perspecta essent in memoriam revocarentur ita, ut Daniele narrante singula quasi ex gravi oblivionis somno excitata iterum iisdem coloribus quibus antea menti eius repraesentarentur. Natura enim ita fit, ut gratius nobis accidat si quis desiderio nostro rem lapsam e memoria revocandi satisfecerit quam si id solum nobiscum communicat quod ipsi iam clare mente reconditum gerimus. Unde non opus est ad illam postulationem explicandam statuere indolem regis quam maxime morosam et ferocem, qua inductus sit ut quod inauditum erat a magis postularet. Praeterea oblivio illa somnii sola tenui quadam specie vel umbra relicta, uti saepe naturaliter contingit, ita ad Dei agendi modum consuetum quo rebus naturalibus uti solet tamquam occasione quadam ad sua consilia exsequenda, plane apta esse deprehenditur. Hoc igitur modo commodissime res ita divinitus dirigitur, ut quanta sit veri Dei potentia prae idolis manifestetur.

b) **Daniel somnium regis patefacit 2, 14-35.**

Daniel fiducia Dei fretus periculum sibi omnibusque sapientibus Babylonis impendens avertit; v. 14 « *Tunc Daniel requisivit de lege atque sententia ab Arioch principe militiae regis qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis* »; — in textu aram. effertur : *reposuit consilium et rationem* i. e. verba respondit plena consilio et sapientia; unde primo generatim narratur Danielem cum ad mortem quaereretur, sua prudentia moram attulisse exsecutioni mandati regii. Nomen Arioch *Delitzsch* idem esse censet cum nomine Eri-Aku quod in cuneiformibus legitur et servus dei Luni explicatur (Paradies p. 224; apud *Baer* l. c. IX). Mentione igitur in v. 14 facta quam prudenter Daniel ea in re se gesserit, iam singula ex ordine enarrantur v. 15 « *et interrogavit eum qui a rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa; cum ergo rem indicasset Arioch Danieli* v. 16 *Daniel ingressus rogavit regem ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi* »; — in textu aram. : quare lex (sententia) atrox a rege? Cum Daniel non adfuisset cum reliquis et cum peteret, ut sibi tempus concederetur ut posset solutionem regi indicare, facile impetravit quod voluit; nam aliis quoque

inducias ad inquirendum ope artium suarum esse concessas est valde probabile; insuper rex iam experimento novit Danielem longe sapientiorem esse omnibus 1,20, et si vero tenebatur desiderio somnium reducendi in memoriam, patet regem facile immo avide hanc arripuisse occasionem. Daniel autem non sine impulsu divino tempus solutionis inquirendae petit; in eo quod ipse cum sociis erat in aula regis gentilis et quod iam Dei protectionem insigni modo erant experti 1,15. 17. 20, certissime agnovit Daniel Deum non suam suorumque mortem praematuram velle, sed se suamque potentiam gentibus demonstrare. Quare animo firmam concipit spem fore ut Deus sibi praesto sit adiutor.

Verum pius iuvenis ex sua quoque parte id agit quo se dignum reddat ope divina; plurium precibus ad Deum fusis vim inesse ad eius misericordiam impetrandam bene perspectum habet v. 17 « *et ingressus est domum suam Ananiaeque et Misaeli et Azariae sociis suis indicavit negotium*, v. 18 *ut quaererent misericordiam a facie Dei coeli super sacramento isto et non perirent Daniel et socii eius cum ceteris sapientibus Babylonis* »; — adnotat *S. Hier.* : « Daniel tempus postulat non quo tractatione et sagacitate mentis occulta perquireret, sed quo occultorum Dominum precaretur; et ideo Ananiam et Misaelem et Azariam iungit ad preces ne solus de suo merito videatur praesumere, ut quorum erat commune discrimen communis esset et oratio ». Sacramentum, רָזָא, μυστήριον (gr. et LXX) res vocatur occulta, humanae investigationi impervia. Secundum LXX Daniel etiam ieiunium, obsecrationem, poenitentiam indicit sociis. Atque Deus supplicationibus servorum benigne annuit v. 19 « *tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est* »; — *in visione noctis;* « somnium regis suo discit somnio; immo et somnium et interpretationem eius Dei revelatione cognoscit » (*S. Hier.*). Somnium quoque visionem noctis explicant *Mald. Mar.;* alii in medio relinquunt sitne Danieli somnianti an vigili visio illa oblata (*Lap. Calm. Rohl.*); sed iam *Alb.* monet : per *visionem,* non per somnium, sed per apertam rerum demonstrationem. Atque revera in hac narratione quippe qua *visio* noctis adeo determinate dicitur cum agatur de somnio regis revelando, visio aliud a somnio significat; insuper si visio fit per somnium, id efferri solet; vide 7,1. Iob 33,15. Modus loquendi potius ad id aptus est quod habetur Zach. 1,8; vidi per noctem; quare cum *Alb. Z. Keil* censendum erit Danieli vigili et oranti revelationem esse factam.

Id quod eo quoque confirmatur quia statim immediate additur Danielem in Dei laudes animum effudisse gratum neque dicitur : postquam evigilavit, vel simile quidquam; « *et benedixit Daniel Deum coeli* v. 20 *et locutus ait : sit nomen Domini benedictum a saeculo et*

usque in saeculum, quia sapientia et fortitudo eius sunt, v. 21 *et ipse mutat tempora et aetates, transfert regna atque constituit, dat sapientiam sapientibus et scientiam intelligentibus disciplinam;* v. 22 *ipse revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta et lux cum eo est;* v. 23 *tibi Deus patrum nostrorum confiteor teque laudo, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi et nunc ostendisti mihi quae rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis* »! — in textu aram. : *transfert,* removet vel deponit *reges et constituit reges; sermonem* regis explica rem regis de qua agitur et quaeritur, i. e. somnium quod scire postulat. In hac oratione laudes Deo dicit, qui est summe sapiens et potens et tamquam talem se servis suis benignissime exhibuit; iubilanti animo recolit quod ipsa visione expertus est Deum nosse et revelare occulta et servis suis quos antea iam honoraverat dono sapientiae (1,19. 20) novum addidisse sapientiae decus; in Dei gubernatione laudanda v. 21 iam ipsius somnii argumentum ad praeconii materiam transfert. Haec igitur oratio et gratiarum actio aptissime ex occasione rei enata est eosque animi sensus exprimit quibus aptiores pro eo statu cogitare nequeas. Frequens est Dei *coeli* appellatio; inter gentes apud quas augures coeli frequentes erant et quae a signis coeli omina petebant (Is. 47,13. Ier. 10,2) hoc Dei nomen et maxime honorificum erat et etiam summa utilitate usurpabatur.

Per Danielem reliqui quoque magi a caede servantur. Ita Deus servum suum apud omnes reddit conspicuum et celebrem suamque potentiam gentibus luce clarius manifestat; v. 24 « *post haec Daniel ingressus ad Arioch quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est : sapientes Babylonis ne perdas; introduc me in conspectu regis et solutionem regi narrabo* »; — in textu aram. : *propterea* ingressus est Daniel, quia scil. somnium regis ei revelatum erat. Arioch rei novitate et admiratione perculsus rem, ut natura fert in tali conditione, cum festinatione peragit v. 25 « *tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem et dixit ei : inveni hominem de filiis transmigrationis Iuda qui solutionem regi annuntiet;* v. 26 *respondit rex et dixit Danieli, cuius nomen erat Baltassar : putasne vere potes mihi indicare somnium quod vidi et interpretationem eius* »? — modus quo Arioch loquitur aliquibus (*Hitz. Leng.*) ita mirus visus est, ut putarent libri scriptorem sibi minime constare et iam oblitum esse quae in v. 16 narrasset. At iam *Mald.* monet Arioch nescium fuisse Danielem prius a rege tempus de somnii significatione cogitandi postulasse; vel etiam dicere poteris cerni in modo loquendi superbiam principis militiae qui Iudaeum captivum contemnit nec nomen eius proferre dignatur.

Daniel statim rem ita aggreditur, ut regem ab admiratione in quaestione v. 26 expressa transferat ad veri Dei maiestatem et omniscientiam contemplandam, dum ei simul ostendit quam impotes sint omnium magorum greges innumeri cum suis diis et artibus v. 27 « *et respondens Daniel coram rege ait : mysterium quod rex interrogat sapientes, magi, arioli et aruspices nequeunt indicare regi;* v. 28 *sed est Deus in coelo revelans mysteria qui indicavit tibi rex Nabuchodonosor quae ventura sunt in novissimis temporibus* » ; — non sibi neque humanae solertiae rem attribuit Daniel, verum ad unius Dei scientiam totum refert; « regis animum a magorum superstitione avertit notata breviter eorum ignorantia ac vanitate; nunc ad unius veri Dei cognitionem convertit, illi non sibi somnii explanationem acceptam referens » (*Mald.*). Ad huius Dei notitiam cultumque eum dirigit (*S. Hier.*) indicans quantopere hic Deus eum honoret ostendens ei quae ventura sint usque ad ultima tempora; « absque adulationis vitio veritate sociata blanditur ut regi, quod illi a Deo mysteria sint revelata » (*S. Hier.*). Novissima tempora vel *finis dierum* tempus dicitur messianum (vide quae notavi ad Is. 2,2. Mich. 4,1); quare Daniel id complectitur ad quod universum somnium tendat, ad finem scil. quo imago statuaque quae cernitur conterenda est (*S. Hier.*) exorto regno messiano. De variis appellationibus sapientum in v. 27 vide ad v. 2; in textu v. 28 : qui indicat regi etc.; in subseq. demum Daniel regem alloquitur.

Ea prius refert quae quasi occasionem dederint somnii illius, ita ut eius quaedam causa explicetur naturalis qua utique Deus est usus ut multo altiora patefaceret; sicut igitur Deus ex regis desiderio sciendi quid futurum sit post haec, quasi sua sponte somnium illud oriri fecit, ita simili ratione oblivionem somnii ex parte regi obrepentem adhibet tamquam occasionem manifestandi se suumque honorandi servum. Etiam hisce in eventibus valet illud : gratia supponit naturam; « *somnium tuum et visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt :* v. 29 *tu rex cogitare coepisti in strato tuo quid esset futurum post haec, et qui revelat mysteria ostendit tibi quae ventura sunt;* v. 30 *mihi quoque non in sapientia quae est in me plus quam in cunctis viventibus sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio regi manifesta fieret et cogitationes mentis tuae scires* » ; — in textu v. 29 : tibi rex super strato tuo ascenderunt cogitationes[1]; « indicat causas somnii » (*S. Hier.*); advertit *Mald.* duplicem verborum sensum esse posse, vel regem an-

---

1. *S. Chrys.* : « ex vulgi opinione loquitur quasi somnia super caput stent seu quod ibi sit ratiocinandi vis ».

tequam dormiret coepisse apud se ea de re cogitare vel eum coepisse somniare (sim. *Mar.*); sed prius quod indicant *S. Ephr. Hier. Chrys. Theod. Alb. Sanct.* et quod verbis ipsis commendatur praeferendum erit. Insuper mentem regis eiusmodi cogitationibus agitari facile intelligitur; saepe enim reges babylonici tempore praeterito dominationem suam ab Assyriis liberam reddere et independentem conati erant. Iam et rex Aegypti Nechao devictus erat et regnum Assyriorum destructum et Babylon fastigium quoddam gloriae ascenderat; recolenti itaque rerum praeteritarum seriem facile oboriri poterat cogitatio sitne fatis constitutum, ut nunc tandem post tot conatus inanes temporum anteactorum imperium babylonicum firmiter consisteret et quasi in immensum cresceret? Visiones capitis apte dicuntur imagines per somnium in vi imaginandi expressae; volunt aliqui (*Troch. Keil*) ea appellatione describi somnia a Deo immissa quae ex mentis cogitatione antea habita originem duxerint; verum id argute quidem dicitur, sed dubito num vere; vide 4,2. 7; 7,1. 15. Denuo in v. 30 protestatur Daniel occulta revelare nullo modo pertinere ad sapientiam humanam, etsi haec omnium maxima concipiatur, sed solius esse Dei. Explica : non per sapientiam quae esset in me prae reliquis mortalibus res illa occulta innotuit mihi, sed Dei opus est et donum; bene *Theod.* : « assecutus sum ut hoc mihi revelaretur non quasi sim omnibus hominibus sapientior, sed ut tu cognoscas quae discere concupisti; me autem ut famulo suo Deus usus est tamquam eius cognitionis ministro ». Qua animadversione facta, ut observat *S. Hier.*, et eos excusat qui dicere non potuerant et ipse invidiam fugit, ne quis aestimet eum quae dicturus est propria dixisse sapientia; regem quoque honorat, quando propter illius scientiam sibi dicit mysteria a Deo esse revelata.

V. 31 « *tu rex videbas et ecce quasi statua una grandis; statua illa magna et statura sublimis stabat contra te et intuitus eius erat terribilis* »; — et ecce statua una grandis; statua illa magna *et splendor eius eximius,* stans coram te et aspectus eius terribilis; quae scil. aspicientem sacro quodam afficeret stupore et horrore et magna quadam maiestatis reverentia; insuper res magna et ignota si subito menti sistitur timore quodam eam percellere solet; v. 32 « *huius statuae caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex aere;* v. 33 *tibiae autem ferreae, pedum quaedam pars erat ferrea, quaedam autem fictilis* »; — « clarius sic : pedes autem partim ferrei, partim fictiles aut testacei; non enim significat unum pedem fuisse ferreum, alterum fictilem, aut unam partem ferream non fictilem, alteram fictilem non ferream, sed pedes fuisse conflatos ex ferro non puro, sed mixto cum terra, ut explicatur

v. 43 » (*Mald.*); v. 34 « *videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus et percussit statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus et comminuit eos* »; — non legitur in textu *de monte;* subito, ex improviso, sine ulla significatione, unde lapis sit avulsus, vel si suppleveris *ex monte* ex v. 45 cum gr. LXX, *S. Hier.*, sine ulla praevia mentione montis, res peragitur, quemadmodum in somniis repente vicissitudines rerum novaeque apparitiones fieri solent; v. 35 « *tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum et aurum et redacta quasi in favillam aestivae areae quae rapta sunt vento nullusque locus inventus est eis; lapis autem qui percusserat statuam factus est mons magnus et implevit universam terram* »; — et facta sunt *sicut gluma* vel pulvis *ex areis aestivis* et rapit ea ventus; statua igitur ex metallis conflata prorsus est contrita et quasi in tenuem pulverem redacta qui vento abreptus iam plane dissipatus est et disparuit.

c) **Daniel somnium interpretatur 2, 36-49.**

V. 36 « *Hoc est somnium; interpretationem quoque eius dicemus coram te rex* »! — in textu aram. : dicemus coram rege. In sequentibus regem alloquitur : tu rex, rex regum, cui Deus coeli dedit etc.; v. 37 « *Tu rex regum es et Deus coeli regnum et fortitudinem et imperium et gloriam dedit tibi,* v. 38 *et omnia in quibus habitant filii hominum et bestiae agri, volucres quoque coeli, dedit in manu tua et sub ditione tua universa constituit, tu es ergo caput aureum* »; — verte : et ubicumque habitant filii hominum et bestiae agri et volucres coeli, dedit in manum tuam et dominum te fecit eorum omnium. Daniel potestatem regis simili modo describit, sicut legitur Ier. 27,5. 6; qui in homines dominatur, concipi potest tamquam qui in ea simul potestatem exercet quae propter hominem creata sunt et ab homine in suum usum ac servitium adhibentur. Deum coeli, non idola, cuncta gubernare ac disponere graviter monet. Cum igitur regi tam magnum imperium ac florens concreditum sit, ipse vel potius regnum ab ipso fundatum aureo capiti statuae comparatur. Regem quippe considerari non pro se solo, verum quatenus in se totum regnum quasi concludat ac repraesentet, consequitur ex modo loquendi in v. 39 : post *te* consurget *regnum aliud* minus *te* (*Per.*). Auro comparatur, uti iam apud Ieremiam legitur : calix aureus Babylon (51,7), quo splendor, opes, divitiae regni designantur. Atque satis notum est et a rerum scriptoribus celebratum, quantopere Nabuchodonosor Babylonem aedificiis magnificentissimis ac sumptuosissimis exornaverit eamque miraculum et stuporem gentium reddiderit (cf. *Tiele* l. c.

p. 442 seg.; *Brunengo* l. c. p. 245 seq.). De titulo *rex regum* vide Is. 10,9. Ez. 26,7.

V. 39 « *et post te consurget regnum aliud minus te argenteum, et regnum tertium aliud aereum quod imperabit universae terrae;* v. 40 *et regnum quartum erit velut ferrum; quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia haec* »; — in textu aram. denuo additur : ut ferrum quod conterit. In aliis textibus non legitur in v. 39 *argenteum;* at id intelligendum esse et regnum secundum ita designari debere certum est. Post *te* i. e. post regnum cuius caput Nabuchodonosor est; regem enim nominari eo sensu ut regnum repraesentet, iam sequitur eo quod tribus aliis regnis opponitur et quod alterum regnum dicitur minus *te;* praeterea cum statua illa exprimantur regna, consequens est, uti aliis eius partibus ita capite quoque regnum, non unum regem designari. Regnum autem quod post chaldaicum vel babylonicum ortum est aliud non est nisi medo-persicum. Hoc dicitur *minus,* inferius, humilius primo; id quod ipsum argentum significare videtur. Quomodo autem primo inferius sit, varie concipiunt; priori cessisse, si spectes opes, divitias, robur (*Euseb.* de Theophania 12; *M.* 24,660; *Theod.*); illo minus fuisse gloriosum (*Sanct. Lap. Tir.*), non adeo magnum et extentum (*Kliefoth*); fuisse moribus magis depravatum (*Men. Aub. Z.*); recentius ac brevius (*Per. Calm.*); infirmius propter defectum unitatis (*D. Keil.*); vel quod pluribus placuit nihil aliud dici nisi fuisse tempore inferius i. e. secundum, post primum sequens (*Mald. Rohl. Heb.*). Sed solum ordinem temporis designari vix credibile est neque ad hoc concordat quod argento describitur. Cum ab ipso Daniele et aurum et ferrum ita explicetur, ut regni indoles vel pompa vel robur ac tyrannis declaretur, certe summopere probabile est etiam reliquis duobus metallis, argento et aere, non solum temporis consecutionem sed aliquid ipsius regni nobis proponi. Iam Babylon propter aedificia magnificentissima omniumque divitiarum splendorem miraculum orbis terrarum censebatur; in ipsis s. litteris eius regni splendor non uno loco celebratur; comparatur stellae matutinae, vocatur domina regnorum, gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldaeorum (Is. 13,19; 14,12 seq. 47,5). Tantae igitur pulchritudini tantoque splendori convenit aurum. Regnum autem Persarum ad eiusmodi praeconia non pervenit; minus erat splendidum; unde propterea argento comparari existimo (cf. *Brunengo* l. c. p. 437). Sub dominatione Persarum Babylon iam multum a pristino splendore et antiqua gloria recessit et paullatim ruinae obviam ferebatur neque a Persis ea sunt erecta monumenta quae admirationi essent orbi terrarum.

Sunt qui in pectore quoque et brachiis indolem regni unitate destitutam (*Keil*) vel regnum ex duabus gentibus conflatum repraesentari dicant (*Theod.*). Quam interpretandi rationem *Mald.* magis argutam vocat quam veram, magisque speciosam quam solidam. Neque immerito ita censere videtur. Oportet enim considerari quattuor illa regna in quibus humana potentia quasi colligitur ac repraesentatur exprimi figura humana; unde ex ipsa imaginis ratione necessario sequitur, primum regnum adumbrari capite, alterum pectore et brachiis, tertium ventre et femoribus, quartum pedibus; hae enim sunt partes praecipuae ac conspicuae in statua. Proinde potius inquirendum erit, cur regna illa figurentur una statua, quam cur secundum regnum pectore et brachiis describatur. Simulatque enim forma statuae eligitur, iam alterum regnum alia parte nequit exhiberi. Idem dic de tertio et quarto regno. Cur autem figura una eaque humana exhibeantur, ita declarari haud improbabiliter poterit. Regna illa in se quasi colligunt et comprehendunt quaecumque homines suis viribus efficere possunt et quae homines a veri Dei cultu et religione alieni appetunt et moliuntur; unde in illis potentia humana adumbratur; quare hominis symbolum eligitur. Una vero effigies proponitur, quia quotuplici demum forma haec humana potentia appareat, tamen semper uni regno Dei opponitur, semper uno eodemque modo regnum Dei oppugnat, semper iisdem studiis a Deo alienis Deoque inimicis agitatur. Sunt itaque varia regna inter se succedentia nihil aliud nisi partes unius operis quod genus humanum, homo, suis viribus erigere et contra Deum stabilire conatur. Cum in isto opere homo seipsum manifestet et quasi explicet, ipsum opus apte hominis figura repraesentatur. Fit vero id statua vita carente. Homo enim a Deo alienus minime efficere potest quae ad veram vitam ac felicitatem beatam conferant; de iis enim valet quod Ier. 51,58 legitur : labores populorum ad nihilum et gentium in ignem erunt, et quod Hab. 2,13 : nonne ecce laborabunt populi pro igne et gentes in vacuum et deficient (hebr.)? Statua illa variis conflatur metallis, quibus inter alia significantur subsidia multiplicia et opes variae quibus homo utitur. Sed quid tandem efficit? Compara *statuam* hanc metallis conflatam quae tandem quasi gluma et pulvis tenuis evanescit cum *filio hominis* in nubibus coeli, cui datur potestas et honor et regnum (Dan. 7,13. 14) — en discrimen inter regnum hominum a Deo alienum et Dei regnum.

Tertium regnum est aereum. Si argentum supra rite explicavimus, in aere spectare licebit indolem regni quod maxime bellis gerendis erit insigne, non tam magnificentia et pompa, quam robore bellico et armis. Ad quod congruit quod additur : imperabit universae terrae.

Cur in ventris et femorum explicatione non esse immorandum equidem existimem, iam supra indicavi. Dominationem persicam subsecutum est regnum graeco-macedonicum i. e. regnum illud quod Alexander Magnus condidit, quocum intime iunguntur regna illa ex Alexandri monarchia profecta. Hoc enim imperio regnisque ex eo derivatis alia temporum rerumque conditio a dominatione persica satis distincta ac diversa constituebatur. Quartum demum regnum, quod veluti ferrum omnia comminuit, regnum et imperium est romanum. Alia enim dominatio maior, qua ditiones regnorum anteactorum sint subactae, non exsistebat post Alexandrum, nisi potestas romana; hac autem revera cursu temporis *omnia haec* i. e. regiones priorum regnorum subiiciebantur. Ad indolem regni et imperii romani, ad eius robur et vim, constantiam, fortitudinem, severitatem, virtutem indomitam adumbrandam et exprimendam ferri comparatio aptissime adhibetur [1]. Demum quod rei caput est, dum hoc imperium exsisteret, regnum exortum est messianicum, quo omnis potestas adversaria mundana plane deiicitur et exterminatur. De qua re plura infra.

Reliqua quoque ad imperii romani casum et interitum apte proponuntur v. 41 « *porro quia vidisti pedum et digitorum partem testae figuli et partem ferream, regnum divisum erit quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testae ex luto* » ; — verte : quod vidisti pedes et digitos (pedum) partim ex argilla figuli partim ex ferro, regnum divisum erit, et ex firmitate ferri erit in eo, quia vidisti ferrum mistum cum testa argillacea. Ex v. 33 elucet tibias esse ferreas, pedes autem pedumque digitos partim fictiles, partim ferreos. Unde regnum ab initio designatur firmum, robustum, solidum; postmodum autem fore, ut dissidiis internis dividatur et robore imminuatur; at simul cum ista divisione ei inerit נִצְבָּא firmitas vel robur ferri vel potius *ex* robore, i. e. aliquid roboris; robur enim multum minuitur et impeditur, quia ferrum mistum est cum argilla. Notat *S. Hier.* : « pedes eius et digiti ex parte ferrei, et ex parte sunt fictiles, quod hoc tempore manifestissime comprobatur; sicut enim in

1. Inter alia haud abs re monet *Palmer* p. 14 : « metalla ista quattuor proprietate quadam superficiali etiam apud ipsos gentiles cum quattuor istis populis et regnis consociari. Apud Herodotum res babylonicas narrantem auri ingens copia memoratur, praesertim imago Beli tota ex auro conflata (Herod. 1,183). Inter Persas custodes regii corporis argyraspides et δορυφόροι argenteis hastis armati a ceteris distinguebantur. Achivi, id est Graeci, in Homeri carminibus χαλκοχίτωνες sunt, aere cooperiuntur, aere terra marique dimicant; aere etiam ad domesticos usus plerumque accinguntur. Romani denique ferro rem gerunt, ferrei ipsi ». Similia quoque *Per.* adnotat.

principio nihil romano imperio fortius et durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius quando et in bellis civilibus et adversum diversas nationes aliarum gentium barbararum indigemus auxilio ». Idem enuntiatur de digitis pedum v. 42 « *et digitos pedum ex parte ferreos et ex parte fictiles; ex parte regnum erit solidum et ex parte contritum* »; — i. e. aliquid ex eo erit fragile ac debile. Ultimum eius regni tempus indicatur, sicuti digiti infimam et ultimam partem pedum constituunt. Eo itaque tempore ea quae inter se coniungi et firmiter uniri nequeunt, sicut ferrum non iungitur argillae, in illo regno reperientur. Multiplicem divisionem iam designant digiti, ita ut unum regnum in plura alia discindatur. Vario quidem modo unitatem et robur efficere conabuntur; at frustra v. 43 « *quod autem vidisti ferrum mistum testae ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhaerebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testae* »; — i. e. regnum illud complectetur varias nationes et gentes quae inter se quidem commercia atque connubia ineunt neque tamen firmam et stabilem societatem efformant; cuncta tentamina ex tam variis tribubus unam efficiendi rempublicam in se compactam labore inani suscipientur, uti comparatione adiecta explicatur. Notat *Vat.* : « per *semen humanum* intelligit multas ac varias nationes hominum, ac si dicat : imperium illud romanum admittet secum homines multarum ac variarum nationum, sed nulla erit firma inter eos amicitia ».

Quartum regnum intelligi imperium romanum, sententia est longe communissima Patrum et interpretum catholicorum, quibuscum usque ad finem saeculi praeteriti etiam plerique protestantes sentiebant et e recentioribus quoque haud pauci (v. g. Hengstenberg, Haevernick, Caspari, Hofmann, Zündel, Auberlen, Kliefoth, Keil etc.); complures alios enumerat Düsterwald p. 32. Atque haec sententia est retinenda. Quae enim de hoc quarto regno dicuntur, ita ad imperium romanum conveniunt, ut nulli alteri aptari possint. Describitur potestas cui nihil resistere possit, qua cuncta vi quadam ferrea conterantur. Id imperio romano convenire negabit nemo. Ad eam autem dominandi vim perveniet post tertium illud quod v. 39 imperabit universae terrae. Hoc vero regnum aliud non est nisi Alexandri Magni; persicum enim universae terrae imperasse nequit dici, et insuper adde quod postea accuratius disputabitur, regnum persicum iam necessario intelligi in regno secundo. Imperium romanum demum esse divisum, multum laborasse dissidiis internis, bellis civilibus, neque variarum gentium colluviem ad unam eamque firmam potuisse redigi societatem pariter in aperto est. Demum imperium illud olim vastissimum in complura regna minuta esse dilapsum aeque certum est. Eo quoque regno stante regnum messianum propagari coeptum est. Quare omnia in eo reperiuntur quae in magnis illis ac generalibus vaticinii lineamentis adumbrantur.

In rerum singularum vel explicatione vel adaptatione varietas sententiarum cernitur satis magna. Neque id mirum est. Nam, uti communiter fit in vaticiniis, normae quaedam proponuntur amplissimae et symbola quibus eventus plurimi comprehendi ac repraesentari possint. Sicut enim in uno axiomate multae concluduntur veritates et multae consequuntur applicationes, ita in uno symbolo cursus rerum exhiberi potest ac contineri qui per plura saecula alio et alio modo formam illam et figuram symbolo delineatam iterum iterumque exprimat. Ita in duabus tibiis iam aliqui cernunt duumviros, binos consules, binos imperatores, unum in oriente, alterum in occidente; in regno autem diviso adumbrari censent vel duo capita, vel factiones et discordias, « ut cum plebs in senatum, Sylla in Marium, Caesar in Pompeium, Augustus in Antonium et alii deinceps in alios insurrexerunt; multi etiam imperium invaserunt; unde digiti pedum significant inaequalitatem principum, cum plures sunt, dum alii maiores i. e. potentiores opprimunt minores. Potissimum vero divisum fuit hoc regnum ideoque enervatum, cum variae gentes ab eius obedientia se subduxerunt, sibique proprios reges crearunt, uti fecerunt Hispani, Poloni, Angli, Franci etc. » (***Lap. Per. Tir.***). Regnum solidum collocant in gubernatione aristocratica, infirmum et contritum qua parte tyrannice res regerentur.

Quod dicitur ***commiscebuntur*** etc. plerumque solum accipiunt de ineundis connubiis v. g. « Romani ad sedandas discordias iungent potentium connubia facientque eos affines et cognatos; sed haec coniunctio et affinitas instabilis erit et infirma » (***Lap.***) vel de connubiis principum et imperatorum; idque ad certa quaedam applicant v. g. quod Caesar Iuliam filiam in matrimonium Pompeio collocarit, quod Marcus Antonius cum Octavia sorore Octavii Augusti se iunxerit (***Per.***); vel etiam ad tempora posteriora referunt, cum imperio iam satis in se diviso imperatores varia inter se foedera iungerent et multa inter eorum familias exsisterent coniugia; « Constantius Constantini Magni pater Theodoram duxit privignam Maximiani, Constantinus ipse Faustam eiusdem filiam; Constantia Constantini soror Licinio Caesari data est; alia praeterea connubia facta; videbant illi imperium in praeceps ire, causam ignorabant » (***Mar.***). Haec omnia non erunt excludenda, at oraculum ad eventus tam particulares restringere minime licebit. In eo quippe statuitur norma quaedam generalis qua universa regni conditio et subsidia multa ad rem labantem compingendam et erigendam comprehenduntur.

Ex catholicis paucissimi sunt qui regnum quartum esse romanum negant. Ex antiquitate nominandus est *S. **Ephr.***, qui quartum ad Alexandrum et reges qui ei successerunt refert; in eandem sententiam concessit ***Cosmas*** indicopleustes (***M.*** 88,109) et anonymus quidam (de quo vide ***Mai,*** Collectio nova script. vet. p. 176) et valde inclinat ***Calm.*** eamque propugnat ***Loch*** hisce rationibus : Danielem loqui de regno quod post tertium fundetur, at romanum eo tempore quo Daniel sit locutus iam exstitisse ab annis circiter centum quinquaginta; dein regnum romanum nunquam, minime autem tempore Christi nati, inter plures reges fuisse divisum qui matrimo-

niis contractis affines inter se exstiterint. Quid de hac ratione censendum sit, ex iis quae supra dicta sunt manifestum est; illam autem priorem pariter esse omnino inefficacem, efficitur eo quod in hac regnorum serie ac successione non prima et infirma origo spectatur sed regnum illud quod post tertium comminuet ac domabit omnia; num regnum romanum iam ita constitutum erat tempore Danielis? regnum itaque consideratur quod post tertium tamquam potentissimum orbi terrarum dominatur; ad quod tempus autem prima eius initia referenda sint, ad symbolum minime pertinet neque id in symbolo ullo modo repraesentari debet. Quare standum est explicationi de regno romano et dicendum cum *S. Hier.* : « regnum quartum quod perspicue pertinet ad Romanos ferrum est quod comminuit et domat omnia » (sim. *Hippolytus*, *Theod.*).

Praeterea de aliis quoque regnis variae sententiae propositae sunt. Iam *S. Ephr.* regnum secundum Medorum, tertium dicit esse Persarum, quam sententiam alii quoque secuti sunt, ut *Cosmas* indicopleustes et anonymus ille et ex recentioribus Venema, Bleek, de Wette, Lücke, Lengerke, Maurer, Hilgenfeld, Delitzsch (in Protest. Realencyklopaedie, 2 ed. s. v. Daniel), Reuss, Kuenen, Meinhold aliique quos recensent *Troch. Heb. D. Keil.* At regnum Medorum quod a regno Persarum distinctum ac separatum sit neque ex libro Danielis neque ex aliis documentis ostendi potest pro tempore post regnum babylonicum. Daniel enim eo loco quo finem regni babylonici describit, verbis clarissimis dicit : divisum est regnum tuum et datum est Medis ac Persis 5,28; praeterea illo quoque tempore quo Darium Medum regnasse scribit res administrari docet secundum legem, statutum, decretum Medorum atque Persarum (6,8. 12. 15); idem asseritur de visione quam postmodum Daniel habuit et explanavit : aries quem vidisti habere cornua rex Medorum est atque Persarum 8,20. Quare si Daniel alibi loquitur de Dario Medo (5,31; 9,1; 11,1), de Cyro rege Persarum (6,28; 10,1) vel de regno Persarum (10,13), non duo regna inter se distincta effert, sed ad quam gentem Darius et Cyrus pertineant vel utra gens principatum teneat eo loquendi modo declarat. Unum etenim regnum Medorum atque Persarum exstitisse et solum unum agnitum fuisse etiam qui primum librum Mach. scripsit testatur cum statuat Darium *regem Persarum et Medorum* ab Alexandro esse percussum (1 Mach. 1,1). Si qui excipiunt tempore Nabuchodonosor regis gentem Medorum fuisse praepotentem, ita ut Daniel solum de regno Medorum cogitare potuerit quod succedat post babylonicum, adverti oportet nos non inquirere utrum Daniel loquens regi et somnium explicans tria illa regna nomine proprio populorum iam potuerit designare necne, sed symbolum illud consideramus tamquam divinitus immissum et explicatum a Daniele de regnis quorum indolem aliqua ratione describit sed ad quam gentem pertineant non indicat; nos autem non ex iis quae fortasse Daniel praeterea apud se tacita mente volvit, sed ex iis quae postmodum revera contigerunt inferimus Deum illo symbolo hoc et non aliud voluisse praefigurare. Denique per Cyrum regnum babylonicum esse destructum et dominationem Persarum inauguratam ita ut pro regno

quodam Medorum intermedio nihil relinquatur spatii, nemo serio negabit. Quare iam *Theod.* bene advertit regno Babyloniorum uno eodemque tempore Persarum et Medorum regnum successisse.

Unde alii quoque perspicientes regnum Medorum non posse statui, quartum regnum attribuebant successoribus Alexandri, cui sententiae *Calm.* valde favet et quam propugnant Grotius, Ros. Bertholdt, Iahn, Zoeckler. At duo vehementer obstant : cum regnum primum, secundum et quartum quoque (quod scil. diebus Christi adhuc consistit) longiora tempora complectatur, omnino improbabile est tertium brevissimo tempore concludi; dein non perspici potest quomodo vel regnum Lagidarum in Aegypto vel regnum Seleucidarum in Syria possit comparari ferro eo quod illis regnis omnia comminuantur et domentur. Dein ex 8,21 omnino sequitur regnum Graecorum i. e. Alexandri Magni et successorum eius uno exhiberi symbolo et praeterea, cum regnum secundum a primo et tertium a secundo non solum rege sed gente differat, in eo symbolo valde esset inconcinnum, si quartum regnum per successores illius constitueretur qui tertium fundavit. Taceo sententiam hanc eo quoque refutari quia regnum Dei per Messiam ortum est cum aliud regnum, romanum scil., in orbe dominaretur regnis illis exstinctis. In ea sententia minime dici potest v. 44 : in diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum; immo regnum de quo id verissime et unice asseri potest plane omittitur.

Eadem ratione reiicitur opinio ab Ewald et Bunsen invecta, primum regnum esse assyriacum, alterum babylonicum, tertium Medorum, quartum Persarum vel sententia ab Hitzig et Redepennig tentata, regnum secundum esse regnum Baltassar, filii Nabuchodonosor regis (cf. Studien und Kritiken 1833 p. 683). Ceterum vide quae ad cap. 7. 8 disserentur.

Statua quid significet declaratum est. Restat ut quid lapis ille in v. 34. 35 portendat explicetur; unde v. 44 « *in diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum quod in aeternum non dissipabitur et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec et ipsum stabit in aeternum;* v. 45 *secundum quod vidisti quod de monte abscissus est lapis sine manibus et comminuit testam et ferrum et aes et argentum et aurum, Deus magnus ostendit regi quae ventura sunt postea, et verum est somnium et fidelis interpretatio eius* » ; — verte : *in diebus regum illorum;* vel quos v. 42. 43 significavit partim fortes fore partim debiles; proinde regnum Dei suscitatum iri ait tempore quo regnum quartum iam incipiat recedere ac deficere a pristino suo robore; vel potius, cum de regnis agatur, quae una illa statua repraesentantur, etiam hic sicut v. 37-39 explica reges de regnis; in quarto enim reliqua quasi collecta sistuntur. Deum *coeli* dicit, ut auctorem et originem eius regni simul indicet (*Mald.*). Regnum hoc erit perenne

neque unquam abolebitur aut interibit; non erit sicut alia regna quae oriuntur, vario temporis decursu mutantur, demum ab aliis absorbentur et cessant; nulla quippe erit gens, nullum adversariorum genus qui hoc regnum abolere possint quemadmodum regnum babylonicum Persae, persicum Macedones, graecum Romani deleverunt (*Mald.*); unde ratione habita successionis regnorum in v. 39-41 descriptae dicitur nunc : et regnum eius alteri populo non tradetur, ut illud perpetuo firmum ac stabile dicatur quod nulla potentia humana possit transferri neque eripi uni genti et ad aliam transmitti pro arbitrio humano. Universa regna haec proxime intelliguntur de quattuor illis regnis, prout in v. 45 mentione facta testae, ferri, aeris, argenti, auri quae comminuantur indubium redditur. At ex ipso hoc symbolo destructionis et modo loquendi pariter colligitur in quattuor illis regnis tamquam forma quadam singulari exhiberi et proponi universim omnem potentiam humanam Deo eiusque regno contrariam. Ad quod declarandum etiam una statua quae subito destruatur assumitur. Sicut itaque apud alios prophetas quandoque in uno populo vel regno omnes Dei adversarii describuntur (vide ad Is. 13, 10; 34, 6), ita Daniel in ea regnorum serie integrum hostium Dei agmen complectitur[1]. Destructionem autem intelligere oportet ea ratione, ut ea superentur et deleantur quae indoli regni Dei inimica sunt. Neque enim ea destructio alio sensu capienda est quam ea de qua in vaticiniis messianis crebro sermo est, cum gentes iudicio Dei prostratum ac deiectum iri dicitur. Cum itaque ex oraculis antecedentibus prophetarum iam satis pateat indolem regni Dei esse spiritualem atque in vera consistere sanctitate (vide quae notavi in Comment. Is. I p. 545. 570. II p. 61. 108. 129. 140. 236. 265 etc. etc. ad Ier. 3,15; 30,19; 31,23; ad Ez. 11,19; 36,26; 46,3), facile consequitur ea destructione designari interitum regnorum[2] quatenus inimicitias in Deum exerceant esse statutum.

---

1. *S. Chrys.* notat : « de ipsis quaeretur quomodo iam exstincta regna destruat? quia nimirum destruit alia regna in quibus haec continentur ».

2. Vel, ut *Per.* explicat : « destructa sunt omnia regna a Christo, non eversa temporali eorum dominatione, sed sublata idololatria excisoque daemonis imperio, cui illa erant subiecta, nec putandum est hoc esse factum in omnibus regnis simul et uno tempore, sed paullatim et per varia temporum intervalla, nunc his nunc illis regnis ad fidem Christi conversis ». Dein attende, prout saepe in oraculis, ita hic quoque normam enuntiari generalem, qua victoria Christi in universum asseritur et pro ultimo rerum omnium eventu et exitu. Huic victoriae non obstat quod Ecclesia Christi malitia hominum etiam diu vexationibus subiiciatur; semper valet : confidite, ego vici mundum. Dicitur scil. Christus vicisse mundum et daemonem; inde non sequitur mundum et daemonem iam nullas moliri persecutiones. Eadem igitur ratione consideranda sunt oracula prophetarum.

Cum lapis ille fiat mons magnus implens terram, eo adumbratur ipsum Dei regnum quod a parvis initiis ad miram crescit augeturque magnitudinem. Abscinditur sine manu : Dei regni ortus non humanae debetur industriae; oritur solius Dei beneplacito et opera; sed est in se fortissimum, insuperabile, cui omnis potestas humana tamquam testa fragilis lapidi et monti opponitur. Quantam in se habeat vim propagationis symbolo montis terram implentis exprimitur; ad quod vide Ez. 17,23. 24. Matth. 13,31. 32. Si lapidem consideras, dum regna mundi auro, argento, aere, ferro describuntur, forte haud inepte concluseris regnum Dei non fastu et splendore, sed humili quodam ac vili habitu iri introductum, sed simul in eo valere « quod infirmum est Dei fortius est hominibus » (1 Cor. 1,25). — Demum interpretationem somnii esse certam, cui fidi omnino possit, affirmat et « rursum revelationem somnii non sui dicit meriti, sed ut interpretatio regi manifesta fieret et doceret regem quod Deus solus esset colendus » (*S. Hier.*).

Lapide illo primo et per se designari regnum Dei vel regnum messianum certum est; ita enim lapis explicatur eodem modo quo ferrum, aes, argentum, aurum, de regno, et exsistit concinnitas symbolorum; praeterea regnum alio regno destrui vel excipi solet idque pariter ex antecedenti conficitur. Demum ea ratione facillime fluit quomodo lapis fiat et evadat mons repleatque totam terram neque opus est montem hunc alia accipere notione quam qua lapis intelligatur. Atque ita lapidem accipiunt de regno Christi ***Hippolytus, Alb. Lap. Per. Gord. Heb.*** eamque acceptionem etiam ***Theod.*** proponit. At plerique lapidem exponunt de ipso Christo Domino. Atque transitus a regno Dei per Christum instituto et propagato ad ipsum regni auctorem est facilis et obvius; est enim ipse caput corporis quae est Ecclesia et ipse in Ecclesia et per Ecclesiam continuo operatur. Adde in aliis Scripturae locis, ut monet Eusebius in Eclogis proph. (*M.* 22,1173), Messiam nomine lapidis angularis, pretiosi designari (cf. Is. 28,16. Ps. 117,22), ipsum Christum hoc nomen sibi applicare Matth. 21,42. Marc. 12, 10. Luc. 20,17, eadem appellatione Christum nominari ab apostolis Act. 4,11. Rom. 9,32. 1 Petr. 2, 4 seq.; unde facile explicatur cur plerique adeo proni fuerint etiam nostrum locum immediate transferre ad Christum. Cernunt in lapide eius exinanitionem et humilitatem; abscissus est de monte i. e. de stirpe Abraham (*S. Ephr.*) vel de populo iudaico cuius symbolum sit mons Sion, vel de beata Virgine omni virtutum genere conspicua; sine manibus i. e. conceptus et natus sine opera viri de Virgine, qui omnes hostes superat; factus est mons magnus i. e. vel evangelium eius ubique propagatum est (*S. Ephr.*), vel ipse omnia continet omniaque verbis apostolicis replet (*S. Chrys.*) vel eius regni magnitudo declaratur (*Mald. Est.*) vel omnia eius gratia replentur vel ut *S. Hilarius* dicit : « ex monte in la-

pidem et rursum ex lapide in montem; exinanivit enim se in forma Dei constitutus et formam servi accepit et per passionem suam mundo cum superstitionibus suis terroribusque prostrato in gloria Dei Patris est et Deus super omnia est; propter infirmitatem carnis ex monte in lapidem exinanitus, propter gloriam passionis ex lapide rursum effectus in montem » (tract. in Ps. 124 n. 3; *M.* 9,681).

Simili modo lapidem de Christo exponunt : Irenaeus, adv. haer. 4,20. 11; 5,26. 2 (*M.* 7,1040. 1194), Eusebius, de theophania n. 6. 12 (*M.* 24, 640. 660), Athanasius, in Ps. 98 (*M.* 27,421), Cyrillus hieros., Catech. 15, 28; 19,8 (*M.* 33,912. 1073), Epiphanius, Ancor. 40 (*M.* 43,89), Tertullianus, adv. Marcionem 3,7; adv. Iudaeos cap. 14 (*M.* 2,330. 639), Cyprianus, testimoniorum libr. 2,17 (*M.* 4,712), Augustinus, in Ioan. tract. 4,4; 9,15; in 1 Ioan. tract. 1,13; 3,6 (*M.* 35,1407. 1465. 1987. 2000) aliique Patres quorum etiam plures locos recensitos invenies in Analysi biblica Henr. Kilber, 2 ed. a Tailhan, Lutetiae Parisiorum 1856, I p. 459. Iis addendi sunt ex interpretibus *S. Hier. Mald. Sanct. Clarius, Est. Men. Tir. Calm. Reinke, Troch. D.*, qui tamen in explicatione montis fere omnes ad regnum Christi sermonem transferunt, sicut ex altera parte *Per. Lap. Gord*, qui lapidem de regno acceperunt, tamen statim ad Christum transeunt; *Loch* lapidem de utroque coniunctim exponit eum significare statuens Messiam et regnum eius. — Symbolum de statua evertenda *Theod.* et *Clarius* de secundo Christi adventu edisserunt; ita *Theod.* : « si Domini prior nativitas Romanorum haud evertit imperium, reliquum omnino est, ut secundum illius intelligamus adventum. Nam lapis qui prius excisus est sine manibus quique evasit mons magnus et orbem terrarum cooperuit, hic in secundo adventu percutiet imaginem super pedes fictiles, hoc est, in ipso fine ferrei regni quod iam factum fuerat imbecille adveniet et omnia regna demoliens ea tradet oblivioni sempiternumque suum regnum dignis communicabit ». Hoc symbolo montis omnia implentis usi sunt chiliastae aliqui ex protestantibus quos Zoeckler recenset ad millenium in altero adventu Christi comprobandum, sim. *Aub.*; alii ex protestantibus rite explanant de regno messiano (*Hitz. Z. Keil* etc.).

Ut *S. Hier.* refert, Iudaei et impius Porphyrius regnum hoc ultimum, lapidem qui evadat mons referunt ad populum Israel quem in fine saeculorum volunt esse fortissimum et omnia regna conterere et regnare in aeternum. Insigni quoque errore deceptus est *Houbigantius* explicans de regno romano, « quod ortum est in diebus regum illorum sive adhuc stantibus regnis Aegypti et Syriae, quodque de monte abscissum est, nempe palatino, implevitque deinde orbem terrarum » (Biblia hebr. IV p. 549. *Troch.*); ex veteribus *Cosmas* indicopleustes similiter regnum aeternum de imperio romano accipit (*M.* 88,112); etiam *Grotius* intelligi vult regnum Romanorum perpetuo mansurum, addit tamen : quod sedes erit Ecclesiae.

Cum Daniel somnium enarraret regi eique refricaret eius memoriam, rex somnii habiti recordatus est et se ita somniasse cognovit;

qua re et etiam explicatione somnii audita maximo stupore et admiratione est affectus sensitque in Daniele loqui numen divinum longe potentissimum prae omnibus; quare Danielem in quo numen praesens se tam stupendo modo manifestarit divinis prosequitur honoribus v. 46 « *tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam et Danielem adoravit et hostias et incensum praecepit ut sacrificarent ei* »; — verte : ut fertum et incensum ei libarent; סגד veneratus est, quod verbum de veneratione per prostrationem divino numini exhibita usurpatur (cf. Is. 44,15. 17. 19; 46,6. Dan. 3,5. 7. 10. 11 etc.; vide *Levy*, Chald. Woerterb. s. v.), quare hic quoque de cultu divino quem Nabuchodonosor Danieli tribuit explicari debet neque solum accipi de illa adoratione quae etiam hominibus exhibetur v. g. Gen. 23,7, uti aliqui volunt (*Sa, Est.*). Sed, ut *Lap. Tir. Calm.* monent, adorationem proprie dictam intelligi quoque patet ex ferto et thure quod ei libari iussit. Neque verbis is sensus quem alii volunt subiici potest, ut rex munera et odores Danieli afferri iusserit ad eum honorandum, voces enim in textu et verbum *libare* נסך vocabula sunt sacrificalia. Neque id in rege maxima admiratione attonito mirum esse potest, ita ut non opus sit cum *S. Hier.* dicere regem signorum magnitudine et stupore confusum quid faceret ignorasse. Homines enim divinis honoribus prosequi si sapientia vel auctoritate excellerent gentilibus non erat adeo inusitatum; dein recogita quomodo Lycaones miraculo viso exclamantes : dii descenderunt ad nos, Paulo et Barnabae sacrificia offerre voluerint (Act. 14,10). Alia est quaestio admiseritne Daniel cultum talem. *Troch.* quidem id affirmat reputans in rege Danielem adorante iam cerni regna terra coram Messia prostrata; alios quidem Dei servos similes honores recusasse (Act. 10,25. 26; 14,15. Apoc. 22. 8.9), Danielem autem ita accepisse ut totus honor referretur ad Deum Israel. At eum sacrificium sibi fieri permisisse plane incredibile, ne dicam impium videtur. Danielem autem illum honorem repudiasse regemque de errore edocuisse (*Per.*), omnino patet ex v. 47, uti bene *Sanct.* advertit.

Quod supra repetito monuerat Daniel v. 28. 30. 45, etiamtum denuo graviter monuisse regemque de vero Deo edocuisse elucet ex responsione regis v. 47 « *loquens ergo rex ait Danieli : vere Deus vester Deus deorum est et Dominus regum et revelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum* »; — verte : et *respondit* rex Danieli; quare merito concluseris Danielem repudiasse honores illis rationibus regi redditis quibus iam respondet rex eas approbans et agnoscens et honorem a servo Dei ad Deum auctorem transferens. Ex quibus verbis *S. Hier.* concludit : « ergo non tam Danielem quam in

Daniele adorat Deum qui mysteria revelavit; quod et Alexandrum Magnum regem Macedonum in pontifice Ioiada fecisse legimus », immo fieri posse censet ut hisce rex exponat causas adorandi Danielem et offerendi incensi et sacrificii; proinde ut rex declaret qua mente offerat, ut in servo honoret Dominum adoretque. Iam Danielem alio honore exornat qui ei convenit et quem in Dei sui gloriam populique sui emolumentum accipit optime conscius benigna Dei providentia et se in aula regis versari et interpretatione somnii esse donatum v. 48 « *tunc rex Danielem in sublime extulit et munera multa et magna dedit ei et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis et praefectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis* »; — rex et Deo Danielis honorem tribuit eum profitens Deum deorum i. e. summum inter deos (unde opinionem deos et esse et aliquid etiam posse efficere non exuit), et iam huius Dei interpretem prae reliquis principibus ad summi honoris fastigium effert. Atque id non solum animo fecit grato, sed prudenti quoque. Quid enim a tali sapiente per quem numen potentissimum loquitur non exspectari poterat pro regni emolumento rerumque administratione optima? Constituitur dominus super totam provinciam Babel (ita in textu) et summus praefectus (princeps praefectorum; de סגן vide ad Ier. 51,23) super omnes sapientes Babel, qui ei vitam acceptam referre debent. Reprehenderat olim Porphyrius Danielem quare non recusasset munera et honorem babylonium libenter suscepisset; respondit *S. Hier.* ideo regem vidisse somnium et interpretationis mysteria per puerum revelata, ut Daniel cresceret et in loco captivitatis princeps omnium fieret Chaldaeorum et Dei omnipotentia nosceretur; « quod quidem et in Ioseph apud Pharaonem factum legimus et in Mardochaeo apud Assuerum, ut in utraque gente haberent captivi et peregrinantes Iudaei solatia videntes hominem gentis suae Aegyptiorum esse principem vel Chaldaeorum ».

Daniel autem providit ut in administranda provincia Babel sibi adiungerentur socii religione ac pietate praeclari v. 49 « *Daniel autem postulavit a rege et constituit super opera provinciae Babylonis Sidrach, Misach et Abdenago; ipse autem Daniel erat in foribus regis* »; — i. e. Daniele auctore et suasore rex ad administrationem et procurationem provinciae ei addidit socios et adiutores; *opera* intellige negotia et munera quae gerenda erant. Eo modo Daniel optime prospexit et utilitati provinciae, cum mores iuvenum integerrimos eorumque rerum prudentiam cognosceret, et sui populi emolumentis et Dei Israel honori et gloriae et simul, ut *S. Hier.* innuit, animum suum beneficii accepti memorem manifestat: « non obliviscitur eorum cum

quibus Dominum deprecatus est et qui secum periclitati fuerant ». Dum igitur illi negotiis gerendis in variis provinciae locis praeessent, ipse Daniel in aula regis morabatur; *portam* regis dicere aulam vel palatium regis notum est. Mansit itaque Daniel in aula regis, in qua summus provinciae Babel satrapes versabatur, uti valde probabile videtur; praeterea regem noluisse a se discedere iuvenem tanta numinis praesentia eximium facillime explicatur. Neque tamen sequitur quod *Hitz.* vult, Danielem dignitati summi satrapae renuntiasse eiusque in locum et munus tres iuvenes esse suffectos; quis enim unquam audivit si unus provinciae praefectus recedat, tres institui? sed administrationem non ab uno geri praeside totam, verum partibus provinciae variis magistratus praefici minores nemo est qui ignoret. Esse in *porta* regis non dicit curam habere palatii regis, neque esse iudicem, neque ita esse regis cubiculo affixum, ut nemo sine eius auctoritate ad regem ingredi possit, sed idem est ac commorari in aula regia; cf. Esth. 2,19. 21; 3,2. — Deo disponente igitur factum est, ut iuvenes religione legis eximii (1,8 seq.) iam alterum maiusque pietatis praemium acciperent; cf. 1,19. 20.

2. *Tres iuvenes in fornace. Cap.* 3.

ARG. — Nabuchodonosor statuam erigendam curavit quam ab omnibus adorari iussit poena ignis renuentibus proposita (3,1-6). Accusantur tres socii Danielis apud regem spreti mandati, quos frustra monitos rex in fornacem ardentem iniici iubet (3,7-23). At mediis in flammis servantur laudantes Deum et orantes (3,24-90). Miraculo rex attonitus maiestatem Dei et ipse agnoscit et ab omnibus veneratione coli iubet (3,91-97).

De tempore cui eventus iste adscribendus sit nihil certi erui potest. Apud LXX et Theodotionem anno decimo octavo Nabuchodonosor regis contigisse dicitur, qui annus et modus computandi si cum Ier. 52,29 confertur tempus designat expugnationis urbis Ierusalem. Unde sollemnitatem illam regem celebrasse in honorem deorum propter partam victoriam innui videtur. Ita enim temporis illius designationem explicari legimus apud *S. Chrys.*: « postquam enim ille urbem ceperat (tunc quippe Ierosolymam expugnavit eaque potitus est) erexit imaginem forte in superbiam elatus ». Atque tempus *post* urbem captam regnumque plane destructum describitur quoque verbis Azariae 3,38, et ea temporis determinatione contenti simus oportet. Valde autem verisimile est regem rebus feliciter gestis regnoque aucto et stabilito voluisse illa sollemni statuae dedicatione et gratias amplissimas

agere diis tutelaribus et gloriae regni sui monumentum erigere. Nabuchodonosor regem templis magno sumptu splendoreque aedificatis suam erga deos pietatem exhibuisse constat (cf. *Tiele* l. c. p. 540; *Brunengo* l. c. II p. 248. 252 seq.); pariter notum est quantopere aedificiis monumentisque sumptuosissime erectis gloriatus sit; hisce enim fere quotquot ab eo innotuerunt inscriptiones continentur.

a) **Statua erigitur 3, 1-6.**

Et veterum scriptorum testimoniis et recenti monumentorum exploratione constat ab Assyriis et Babyloniis statuas eximiae magnitudinis esse erectas. Ita Herodotus narrat (1,183) fuisse Babylone dei statuam auream duodecim cubitorum; cf. quoque Diod. sicul. 2,9[1]; ex recentioribus vide *Smith,* Assyrian discoveries, London 1875, p. 428 seq. p. 430 (a fragment of a colossal statue) et *Perrot et Chipiez* (History of art in Chaldaea and Assyria, 1884) eius rei exempla plura referunt v. g. genium alatum octo pedes altum, virum cum simia octo pedes altum, Assurbanipal regem dona diis offerentem eiusdem fere magnitudinis, caelaturam in Khorsabad inventam novem pedibus altiorem etc. et saepius mentionem faciunt imaginum ingentis magnitudinis (colossal images, II p. 131. 208; de aliis p. 86. 132. 204. 220); eodem modo alii affirmant statuas eximiae magnitudinis frequentes fuisse Babylone (cf. *Payne Smith,* Daniel, London, 1886, p. 57; *Lenormant,* La divination chez les Chaldéens, p. 192) et cum artem sculpendi eandem fuisse asserant artis periti apud Assyrios et Babylonios, exempla illorum etiam merito probant pro his (cf. *Perrot* l. c. p. 173; *Tiele* l. c. p. 584). Unde hodie omnes concedunt nihil esse improbabile in eo quod Nabuchodonosor eiusmodi statuam erexisse narratur (cf. *Oppert,* Expédition en Mésopotamie, I p. 239; *Lenormant* l. c.[2]); v. 1 « *Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex et statuit eam in campo Dura provinciae Babylonis* »; — si recordamur imaginem

---

1. « Iovis imago pedibus insistenti ac veluti ambulanti similis erat pedum 40 longitudine et pondere mille talentorum babyloniorum. Rheae eiusdem ponderis effigies in aureo throno residens;... illic etiam Iunonis simulacrum 800 talenta pendens ».

2. Audiatur etiam *Ménant,* Babylone et la Chaldée p. 244 : « non seulement ce fait n'a rien d'impossible, mais encore il a eu sa réalité. Les gigantesques sculptures de Ninive nous en donnent la preuve. Quant au métal employé dans cette œuvre d'art, nous savons qu'il existait des statues analogues : celle du sépulcre de Bélus avait quarante coudées et ce n'était pas assurément les seules statues qu'on ait élevées à cette époque »; cf. *Vigouroux,* Les livres saints et la critique rationaliste, IV p. 325.

sphingis apud Gizeh in Aegypto esse altam sexaginta sex pedes (*Perrot et Chipiez,* History of art in Egypt I p. 321) vel ea quae apud veteres scriptores leguntur de statuis quoque ingentis magnitudinis v. g. Iovis (Tarenti 40 cubita alti), Apollinis etc. (cf. *K. O. Müller,* Handbuch der Archaeologie, p. 65. 134. 159 etc.), sententia eorum qui ipsam statuam viri (dei) formam gerentem 60 cubita altam fuisse censent non erit a limine repudianda. Ea tamen non est necessaria. Latitudo enim sex cubitorum non tam ad ipsam viri vel dei figuram referri videtur, quam ad columnam cui statua imposita est. Nam quis dicet statuam esse latam sex cubita? vel quomodo id de statua intelligi potest? valetne de capite, de pectore, de brachiis extentis, de femoribus, de pedibus? Quare ipsa re aliorum sententia commendatur simulacrum fuisse erectum in columna et columnam cum simulacro fuisse altam 60 cubita, columnam autem sex cubita latam (cf. *Calm. Rohl. Troch. Heb. Vigouroux, Brunengo* l. c. p. 331). Atque ita verba esse intellecta iam primis rei christianae temporibus certum est; iste enim eventus ita exhibetur in eius temporis artisque reliquiis, ut simulacrum cernatur positum in columna (cf. *R. Garrucci,* Storia della arte cristiana, I p. 350 et iam apud *Mamachium,* Orig. et Antiq. I p. 282).

Si statua dicitur *aurea*, nullo pacto opus est cogitare integram statuam ex auro solido fuisse conflatam; ei enim appellationi plene satisfit aureis laminis quibus statua ex viliori metallo vel ligno confecta fuerit obducta. Eiusmodi quippe statua etiam aurea dici solebat; et eo modo statuas esse confectas certum est; vide quae 14,6 de statua Bel leguntur : iste intrinsecus luteus est, forinsecus aereus; eodem modo idola describuntur Is. 40,19; 46,6. Ier. 10,3. 4. 9 et altare *aureum* quod dicitur erat de lignis setim, sed vestitum auro purissimo; altare aeneum pariter de lignis setim erat sed coopertum laminis aeneis (Ex. 37,25; 38,1. 2; 39,37. 39; 40,5. 24. Num. 4,11). Ceterum quae erat auri copia, etiam non valde mirum videri posset si eiusmodi idolum totum ex auro conflatum quis existimaret. Herodotus quippe testatur se vidisse in sanctuario babylonico simulacrum idoli, altare, thronum, omnia ex auro confecta pondere octingentorum talentorum; praeterea sibi dictum esse affirmat ibi quoque exstare statuam duodecim cubitorum ex auro solido conflatam (1,183); ceterum vide quae notavi ad Is. 45,3. In magna inscriptione qua Nabuchodonosor aedificia a se erecta et exornata celebrat meminit altaris quod auro puro gravis ponderis cooperuerit, vasorum aureorum, sanctuarii Marduk quod gemmis exornaverit etc. (cf. *Brunengo* l. c. p. 254). Campus vel regio *Dura* etiam ex inscriptionibus cuneiformibus innotuit (cf.

Delitzsch, Paradies, p. 216; *Brunengo*, p. 329; *Vigouroux* l. c. p. 417); regio est meridiem versus ab urbe plana et magna et ad magnam hominum multitudinem colligendam aptissima, in qua statua illius altitudinis longe lateque conspicua vastissimae multitudini facile offerebatur.

Nomen Dura quod assyriologi explicant vallum, arcem (cf. *Schrader*, Keilinschr. u. A. T. ad h. l.) usque ad nostra tempora servatum est in Nahr Dura et in Tolul Dura, quo nomine colles in planitie Dura appellantur. *Oppert* (Expédition en Mésopotamie, I p. 239) se invenisse putat locum in quo statua illa fuerit erecta; scribit enim l. c. cap. 10 sub titulo : Ruines tout autour de Babylone : « Le groupe qui touche l'enceinte de la cité de plus près, c'est celui de Doura... on se dirige à travers la plaine dans la direction du sud-sud-est; on franchit plusieurs canaux qui, aujourd'hui, sont à sec et l'on arrive, après 8 kilomètres de marche, à un ancien cours d'eau nommé ***Nahr Doura;*** en poursuivant sa route on parvient à une série de tumulus qui s'étendent sur un chemin de plus d'une lieue. Presque tous ces monticules sont dans la direction du sud-sud-est et portent le nom de ***Toloul Doura,*** collines de Doura; alors on arrive à un terrain qui porte les traces de la culture babylonienne; auprès de deux grandes collines juxtaposées on en voit une petite mais assez élevée pour qu'on la voie de loin. Cette colline s'appelle ***el-Mokhattat,*** la colline alignée, et réellement elle mérite ce nom, parce qu'elle présente, avec une élévation de 6 mètres, un carré presque exact de 14 mètres à la base. La colline est orientée aux quatre points cardinaux, et, vers les coins, l'élévation est plus considérable qu'au milieu... En voyant cette colline, on est immédiatement frappé de la ressemblance qu'elle présente avec le piédestal d'une statue colossale, par exemple, celui de la Bavaria de Munich, et tout porte à croire que là se trouvait la statue dont le livre de Daniel nous a transmis la légende. Le fait de l'érection d'une statue colossale par Nabuchodonosor n'a, en lui-même, rien qui puisse étonner ».

Cuius statuam rex erigendam curavit et adorari voluit? Sat multi respondent regem suum erexisse simulacrum atque se ipsum adorandum proposuisse; ita *Hip. Alb. Sanct. Lap. Men. Per. Tir. Gord. Rohl. Troch. d'Envieu* p. 34. 205 et consentire videtur *S. Chrys.* dum scribit : « alii aiunt erexisse imaginem illius recordatus quae ipsi in somnis ostensa fuerit, alii autem, quia se ipsum in deos referre voluit; etenim hoc desiderio tenebantur antiqui, ut dii censerentur, sicut diabolus ». Ita *Theod.* quoque eum ait divinum usurpasse honorem, quamvis ad v. 12 ita loquatur, quasi de solo deorum cultu simul cum rege exercendo quaestio ageretur. Etiam *S. Hier.* in explicatione non sibi constat; hoc loco quidem scribit : « statuam sibi fieri iubet, ut

ipse adoretur in statua »; aliter vero ad Hab. 1,15. 16 : « idolum significat quod fecit in campo Dura et simulacrum Belis, cui quasi grandi sagenae immolavit pinguissimas victimas, totas quas vicerat nationes ad cultum eius cogens » (*M.* 25,1287). Et haec sententia de idolo erit amplectenda cum *Mar. Calm. Loch, Z. Keil, Meinhold.* Nam si sibi ipsi obsequium et adorationem exhiberi voluisset, cur iuvenes a se ipso ad suam mitteret statuam, ut non sibi, sed statuae reverentiam et honorem penderent? Si solius regis cultus spectaretur, cur et qui accusant et qui sese defendunt dicerent in universum de deorum cultu? « Deos tuos non colimus et statuam auream quam erexisti non adoramus » i. e. quia deos tuos non colimus, ideo statuam auream non adoramus; rationem adorationis negatae ex eo repetunt quia diis babyloniis cultum non exhibent. Atque certe si rex se coli voluisset, satis mire dixisset : verene deos meos non colitis et statuam quam constitui non adoratis? Si qui provocant ad Is. 14,13. 14, inde pro nostra quaestione nihil efficitur, cum ibi regum babyloniorum pompa, superbia, arrogantia in universum describatur et vituperetur. Verum est Nabuchodonosor in suis inscriptionibus quandoque dicere se esse generatum a Marduk, Marduk vitae suae germen in sinu matris posuisse; at etiam saepius patris sui qui se generaverit Nabopolassar mentionem facit, se devotum diis, adoratorem dei Nabo profitetur, supplicationes ad deos dirigit, se eorum cultum propagasse, templa eorum aedificasse, ornasse gloriatur, se a diis regi, eorum mandata suscipere et exsequi, eorum protectione defendi, servari affirmat (cf. *Brunengo* l. c. p. 252 seq.). Unde cum repetito se cultum Marduk propagasse asserat, censendus est victoriis partis regnoque stabilito huic idolo vel etiam Nabo quem pariter regni sui protectorem laudat, erexisse monumentum eiusque cultum populis praescripsisse in sollemni illa statuae dedicatione.

Quam merito inter alia rex in magna inscriptione dicat : cultum dei Marduk propagavi, dei magni qui me creavit, et opera eius celebravi; cultum maiestatis eius extendi, terras longinquas, montes altos a mari superiore (mediterraneo) usque ad mare inferius (sinum persicum) in eius veneratione continui etc., etiam hac narratione praeclare illustratur : v. 2 « *itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus et iudices, duces et tyrannos et praefectos omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuae quam erexerat Nabuchodonosor rex* »; — quorum magistratuum vel quarum dignitatum nomina hic recenseantur, nondum in omnibus exploratum est. Neque versiones veteres inter se consentiunt. Primo loco nominantur אֲחַשְׁדַּרְפְּנַיָּא quam vocem eandem esse ac persicam

khsatrapavan (imperium vel regnum tuens, protegens; *Spiegel,* Altpers. Keilinschr. p. 194) i. e. σατράπης communiter censent. *Theod.* vertit ὑπάτους, *Syrus* duces militiae; LXX hoc loco varia textui addunt: et N. rex regum et dominans orbi universo misit ad congregandas omnes gentes, tribus et linguas, *satrapas*. Alterum nomen סגניא explicatur ex assyriaco *saknu* et dicit praefectum; vide ad Ier. 51,23; *Theod.* praebet h. l. στρατηγούς, sicut etiam LXX; *Syrus* dominos. Tertia vox pariter declaratur ex assyriaco; vide de פחה quae notavi ad Agg. 1,1 (Proph. min. II p. 176); *Theod.* vertit τοπάρχας, item LXX. Vocem quartam אדרגזריא haud improbabiliter explicant disceptatores vel arbitros, iudices primi ordinis (cf. *Delitzsch* apud *Baer* l. c. p. VI); *Theod.* habet ἡγουμένους, LXX ὑπάτους. Quintam vocem גדבריא custodes thesaurorum ex persico derivant; vide Esdr. 7,21 גזבריא (custodes arcae publicae, ut vertit *S. Hier.*); *Theod.* praebet τυράννους, LXX διοικητάς. Pariter persicae originis esse videtur sexta vox דתבריא legis periti vel legum custodes (cf. *Spiegel* l. c. p. 202. 210); *Theod.* explicat τοὺς ἐπ' ἐξουσιῶν; item LXX. Satis obscura est vox septima תפתיא; recurrunt ad arabicum, ut iudicis vel decernentis notionem extundant; apud LXX et *Theod.* haec vox non exprimitur; *Syrus* uti fere in reliquis vocem textus transscripsit. Demum omnes praesides vel ἄρχοντες (*Theod.*) vel magistratus provinciarum convocantur ad dedicationem statuae. Maxima igitur sollemnitate deo tutelari rex cultum exhiberi voluit. At quo maior ac celebrior est virorum nobilissimorum concio, eo praeclariore modo illustris fit fides et constantia iuvenum hebraeorum et innotescit unius Dei potentia et gloria. Vide Proleg. VI.

Ad regis mandatum principes et magistratus conveniunt v. 3 « *tunc congregati sunt satrapae, magistratus et iudices, duces et tyranni et optimates qui erant in potestatibus constituti et universi principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuae quam erexerat Nabuchodonosor rex; stabant autem in conspectu statuae quam posuerat Nabuchodonosor rex;* — in textu nomina dignitatum eodem ordine quo in v. 2 inter se subsequuntur; versiones autem variant; ita *Theod.* primo ponit τοπάρχας, dein ὑπάτους etc.; aliter LXX; qua re simul patet veteribus illa nomina fuisse significationis incertae. *Syrus* cum textu eundem ordinem eademque servat verba. Quantum ex syr. hex. cernitur, *Sym.* quoque ultima tria nomina sine explicatione transscripsit γαζδαρηνοί etc. (cf. *Field* ad v. 2).

Sollemni ritu et communi omnium adoratione qua pro tanta mul-

titudine et nobilitate virorum animi omnium maxime percellerentur, rex idolo cultum praestari iubet; v. 4 « *et praeco clamabat valenter : vobis dicitur populis, tribubus et linguis :* v. 5 *in hora qua audieritis sonitum tubae et fistulae et citharae, sambucae et psalterii et symphoniae et universi generis musicorum cadentes adorate statuam auream quam constituit Nabuchodonosor rex* »! — inde patet simul cum provinciarum praefectis magnam hominum multitudinem ex dis sitis regionibus convenisse; gloriatur quippe rex a se dei Marduk honorem apud populos esse promotum. Cum populi originis variae et variarum linguarum adstent, simul regni babylonici splendor ac potestas declaratur, et dum rex suum deorum cultum omnibus imperat se et corporum et animorum omnium dominatorem profitetur. Regis mandatum per praecones multos esse annuntiatum per se liquet. Instrumenta musica enumerantur : *cornu* i. e. tuba vel buccina cornu parata; fistula vel σῦριγξ (LXX, *Theod.*); cithara vel lyra, quod instrumentum in monumentis Assyriorum cernitur forma triangulari nervis instructum; vel manu vel plectro pulsabatur. Meminit Strabo κιθάραν a nonnullis dici originis asiaticae (10,3. 17). Hebraeis vocabatur כִּנּוֹר et decem chordis erat instructum. Dein nominatur sambuca, quod instrumentum a priore haud multum videtur fuisse diversum, triangulare, chordis instructum quattuor et soni acuti; eo modo Athenaeus sambucam describit qui etiam originem eius syriacam (Strabo barbaram) commemorat (cf. *Ges.* Thes. p. 935; *Vigouroux* l. c. *Heb.*). Psalterium, pesanterin, genus erat harpae, instrumentum pulsatile, saltem decem chordis instructum quae in alveo concavo et foraminibus cribrato extendebantur (*Hebr.*); apud LXX nomine psalterii exprimitur hebr. kinnor, nablium et semel etiam Is. 38,20 neginoth. Censent nomen recens *santur* apud orientales eiusdem esse et originis et significationis. Quid symphonia significet non est plane exploratum; nomine indicari videtur, si quidem ad graecum συμφωνία recurreris, plurium instrumentorum concentus. Vocem communiter accipiunt de duabus tibiis quae sacco seu utri insertae sunt, ita ut nomen de utriusque tibiae concentu usurpatum sit. Dubium est num vox apud Graecos instrumentum musicum significaverit, cum duo Polybii loci qui pro ea notione afferri solent incertae sint explicationis. Quidquid est de istis locis, non est improbabile nomen instrumenti siphonja vel sumponja a Graecis ad vocem notam συμφωνία esse deflexum, uti fieri solet saepe, dum nominibus peregrinis nomen notum et aliqua soni similitudine cognatum substituitur. Ceterum etsi nomen sit graecum et instrumentum originis graecae, non est cur mireris, cum per Phoenices iam antiquo tempore servi graeci venditi sint in regiones

babylonicas, qui sicut instrumenta musica ita eorum quoque nomina afferre potuerunt; praeterea memoriae traditum est Sennacherib Graecis in Cilicio bellum intulisse et classem Graecorum profligasse (cf. *Richter,* Berosi quae supersunt, p. 62. 88; *Movers,* Phoenizier, II 3 p. 80. 236 seq.; vide quae dicta sunt in prolegomenis). Symphoniam *Isidorus,* Etymolog. 3,22 (*M.* 82,169) ita describit : « vulgo appellatur lignum cavum ex utraque parte pelle extenta quam virgulis hinc inde musici feriunt; fitque in ea ex concordia gravis et acuti suavissimus cantus »; quae utique tympani potius descriptio est quam tibiae utricularis.

Et quanta cum efficacia rex cultum dei sui propagari et ab omnibus exerceri voluerit, ostenditur addita sanctione v. 6 « *si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis* »; — poenam ignis infligi apud Babylonios satis fuisse usitatum, monumentis sacris et profanis demonstratur; de illis vide Ier. 29,22 : ponat te Dominus sicut Sedeciam et Achab quos frixit rex Babylonis in igne; de his refert *Smith* inscriptionem cylindri qua narratur virum quendam Dunanu qui diis maledixerit fuisse iniectum in fornacem et combustum (History of Assurbanipal, p. 157). Poena statuitur maxime horrenda, ne quis cultum recuset. Id enim timendum erat. Nam rex a devictis quoque et subiectis principibus et tribubus exigebat ut suum adorarent deum cui ipse rex victorias partas acceptas ferebat; in ea autem postulatione continebatur, ut devicti deum regis agnoscerent et venerarentur tamquam eum qui deos suos patrios vicisset ac subiugasset; id quod non ab omnibus libenter praestari facile poterat praesumi. Imponebatur enim iis, ut deos suos profiterentur inferiores ac devictos et deum regis suum suorumque deorum agnoscerent victorem ac dominatorem. Nabuchodonosor ita v. g. alloquitur Marduk : tu mihi dedisti dominationem multitudinum hominum secundum tuam voluntatem, domine, quae subiecit eorum tribus (*Brunengo* l. c. p. 252).

b) **Iuvenum pietas et fortitudo 3, 7-23.**

Regis edicto omnes cultores deorum obsequuntur ipso habitu et adoratione profitentes id quod pro eorum de diis opinione revera acciderat, deum regis se manifestasse potentiorem ac superiorem reliquis nationum devictarum diis; v. 7 « *Post haec igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubae, fistulae et citharae, sambucae et psalterii et symphoniae et omnis generis musicorum, cadentes omnes populi, tribus et linguae adoraverunt statuam auream quam con-*

stituerat Nabuchodonosor rex »; — sunt qui censeant regi eiusmodi caerimoniam suasam esse ab iis qui iuvenibus hebraeis talem dignitatem a rege collatam inviderent, ut ea occasione iisdem struerent insidias (*Mald. Sanct. Lap. Rohl.*). Id tamen ex narratione nequit probari; at accusatores iuvenum ex invidia libenter eam occasionem arripuisse et studiose invigilasse, ut eos accusandi atque ex dignitate et favore regio deturbandi opportunitatem nanciscerentur, ex re gesta utique elucet (cf. *S. Hier. Calm.*); nam statim omni festinatione rem ad regem deferunt animis quam maxime malevolis, uti ipsis vocibus in textu exprimitur v. 8 « *statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldaei accusaverunt Iudaeos* » ; — ad verbum : *devorarunt frusta (carnes) Iudaeorum*, i. e. odio insigni eos persecuti ut eos perderent eos accusant; dictio est Syris et Arabibus usitata, qua malevolum obtrectatorem, calumniatorem, sycophantam denotant, ut notio sit similis ei qua Latini dicunt alicuius famam lacerare, aliquem rodere, imagine ut videtur deprompta a canibus rabidis.

Quaeritur etiam cur Daniel ipse non interfuerit dedicationi vel cur eum non detulerint. Censet *S. Chrys.* Chaldaeos metuentes ipsum non denuntiasse, et *Calm.* opinatur Danielis dignitate et fama invidiam ab eo esse aversam. At potius probabile videtur et ex hominum moribus fieri, ut quo quis alienigena in maiore sit dignitate et favore regio constitutus, eo magis invidorum malitiae sit expositus. Fortasse suspicaberis Danielem tantum apud regem valuisse auctoritate, ut contra eum non auderent proferre accusationem, ne regis iram in seipsos converterent. Sed omni ea opinatione relicta Danielem dedicationi non adfuisse statuendum est (*Sanct.*). Et pro eius absentia ratio satis probabilis ex v. 2 colligi potest; convocantur enim praefecti et magistratus regionum seu provinciarum et cum aliis ii qui סִגְנַיָּא appellantur, Daniel autem erat in aula regia et erat רַב סִגְנִין (2,48. 49); unde facile concluseris summos magistratus et aulicos regis qui eius quasi comites individui erant non esse convocatos, ut simul cum ceterorum turba sese adoratione prosternerent, sicut etiam non credibile est, regem ipsum ad vocem praeconis et sonitum instrumentorum se prostravisse ad adorandum cum turba subditorum, sed potius scenae huius testem adstitisse ac spectatorem. Cum igitur in v. 2 non dicatur etiam principes praefectorum esse convocatos, explicatur absentia Danielis neque opus est cum *Calm.* statuere eum aliquam causationem praetendentem longe adeo a discrimine sese subduxisse et inimicorum inquisitionem vitasse. Neque opus est cum *Sanct. Rohl.* statuere primo dedicationis die vel ad primum adorationis actum solum minores esse convocatos magistratus; quominus autem rex prout animo concepis-

set ad ulteriorem sollemnitatem etiam maiores et Danielem cum eis evocaret, eum impeditum fuisse illo eventu mirabili in incolumitate iuvenum conspicuo.

Accusatores illi quam vehementer exoptent exitium Iudaeorum et quantopere invidia agitentur, suo loquendi modo satis declarant; atque prius quidem eo quod explicite et decretum et sanctionem regi proponunt in v. 10. 11; alterum eo quod dignitates Iudaeis collatas et favorem regium adeo distincte efferunt in v. 12; v. 9 » *dixeruntque Nabuchodonosor regi : rex in aeternum vive!* v. 10 *tu rex posuisti decretum, ut omnis homo qui audierit sonitum tubae, fistulae et citharae, sambucae et psalterii et symphoniae et universi generis musicorum prosternat se et adoret statuam auream;* v. 11 *si quis autem non procidens adoraverit, mittatur in fornacem ignis ardentis;* v. 12 *sunt ergo viri Iudaei quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach et Abdenago, viri isti contempserunt, rex, decretum tuum : deos tuos non colunt et statuam auream quam erexisti non adorant* »; — ad v. 9 vide 2,4. 3 Reg. 1,31. Bar. 1,11. De voce טְעֵם vide quae notavi ad Ion. 3,7; vox apud Assyrios frequenter in usu est de mandato; est originis accadicae et notio eius propria est verbum bonum; unde eius quoque usus in v. 12 explicatur : non posuerunt super te verbum bonum i. e. tui rationem non habent, te despiciunt, uti sim. *Syrus* vertit; *Theod.* ad sensum vertit : non obedierunt decreto tuo; LXX : non timuerunt mandatum tuum. Hic et in v. 18 qeri praebet *deum tuum* non adorant, et ita quoque LXX τῷ εἰδώλῳ σου οὐκ ἐλάτρευσαν; etiam *Syrus* habet *deum tuum,* quae lectio magis ad rem esse videtur, nisi existimaveris accusatores illos voluisse crimen prius in universum efferre quo magis regis iram in Iudaeos inflammarent. Sed illa lectio tamen vehementer suadetur, quia rex in v. 14 solum de deo suo loquitur : deum meum non colitis?

Si statua illa erecta est post aliquam victoriam de Iudaeis reportatam, v. g. rege Ioachin in captivitatem abducto (4 Reg. 24,12) vel quod apud LXX et *Theod.* indicatur urbe Ierusalem capta, rex cultu illo deum suum voluit agnosci superiorem quoque atque victorem Dei patrii Iudaeorum. Cum ipse notione unius veri Dei careret et singulis gentibus suos adesse deos plus minusve potentes existimaret, mandatum a se editum censuit aequum et iustum, iuvenum autem recusationem indicem animi rebellis et propter populi sui cladem exacerbati. Quare eo in edicto non potest cerni aliqua *persecutio* religioni Iudaeorum quam infligere voluerit. Quae erat imperandi libido regis et aliorum omnium promptissima obedientia et adulatio, facile patet cur ira regis eo nuntio sit vehementer inflammata v. 13 « *tunc Nabu-*

chodonosor in furore et in ira praecepit ut adducerentur Sidrach, Misach et Abdenago; qui confestim adducti sunt in conspectu regis »; — cur non statim eos poenae decretae addicit? forte cernere licet regii favoris vestigium quod novam illis offerat opportunitatem evadendi, vel ex accusationis modo invidiam et malitiam perspexerat accusatorum; quare illis non omnino esse fidendum ratus est; insuper qua esset ipse auctoritate magis evidens evadebat si qui antea obsistebant nutu regio ad obsequium praestandum adigerentur. Ceterum hisce coniecturis missis dicamus Deo disponente iuvenibus praeclaram esse oblatam opportunitatem profitendae pietatis et religionis coram rege potentissimo et exhibendi omnibus exemplum praeclarissimum fortitudinis qua oportet Deo magis obedire quam hominibus etiam cum vitae discrimine — exemplum plane inauditum apud gentes et maxime utile et necessarium pro exsulibus Iudaeis! Deus igitur ad sui gloriam rem disposuit.

V. 14 « *pronuntiansque Nabuchodonosor rex ait eis : verene, Sidrach, Misach et Abdenago deos meos non colitis et statuam auream quam constitui non adoratis* »? — in textu : deum meum non colitis; vide ad v. 12. Vocem הַצְדָא *Theod.* reddidit εἰ ἀληθῶς; eodem modo *Syrus* et *S. Hier.*, LXX autem διὰ τί; recentiores aliam notionem ex hebr. צְדִיָּה (Num. 35,20. 22) derivant : num consulto? num cogitate et studio praemeditato ita egerint? et sese mandato regio loco determinato comparendi et adorandi subtraxerint? an solum casu et fortuito? Minus placet quod alii ex alia derivatione proponunt : num ad opprobrium non colitis deum meum? vel cum assertione : ad ignominiam; v. 15 « *nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubae, fistulae, citharae, sambucae et psalterii et symphoniae omnisque generis musicorum, prosternite vos et adorate statuam quam feci; quodsi non adoraveritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis, et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea* »? — qua regis iactantia id efficitur ut miraculum subsequens reddatur illustrius magisque efficax ad animum regis summa admiratione percellendum. Cum insuper ignorare non posset propter patrii Dei cultum iuvenes ab alio cultu abstinere, rex simul Deo vero ignominiam infert eumque impotentem esse blasphemat.

Iuvenes autem aeque pie ac fortiter quid rei sit exponunt totam fiduciam in Deo reponentes, eius voluntati ac beneplacito plene sese subiicientes, nec importuna audacia elati nec timore vel diffidentia deiecti v. 16 « *respondentes Sidrach, Misach et Abdenago dixerunt regi Nabuchodonosor : non oportet nos de hac re respondere tibi;* v. 17 *ecce enim Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis*

ardentis et de manibus tuis, o rex, liberare; v. 18 *quodsi noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus et statuam auream quam erexisti non adoramus* »! — textum explica : si Deo nostro placuerit, poterit nos liberare. Non arroganter postulant, non temere confidunt; sed quid de Dei potentia credant coram rege profitentur et fortiter negant se deum alium veneraturos. Praeclarum fidei exemplum! Mira elucet in responso pietas et prudentia (*Per.*).

Rex repulsam ferre minime assuetus excandescit ira v. 19 « *tunc Nabuchodonosor repletus est furore et aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach et Abdenago et praecepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat* v. 20 *et viris fortissimis de exercitu suo iussit, ut ligatis pedibus Sidrach, Misach et Abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentis;* v. 21 *et confestim viri illi vincti cum braccis suis et tiaris et calceamentis et vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis* »; — censuit rex se maximam praestitisse gratiam eo quod opportunitatem iis concesserit resarciendi iniuriam deo suo illatam; quam cum illi repudiassent, iam immenso furore corripitur; quare fornacem nimis iubet succendi, ut homines illi pestiferi quantocius interirent. Vestes commemorantur utpote materia quae facillime igne absumitur. Nominantur סַרְבָּלִין indusia vel tunicae, quam vocem ea notione praeditam ex arabico explicant; alii de palliis intelligunt; ceterum voci notionem operiendi et obvelandi vindicant in aramaico. Dein פַּטִּישׁ, incertae tamen significationis, nisi quod vocem ad notionem expandendi referunt indeque tunicam, hebr. כְּתֹנֶת, seu vestem aliquam ampliorem explicant; *Theod.* vertit τιάραις, item LXX, fortasse vocem ignotam comparantes graeco πετάσῳ. Duo haec vestimenta haud inepte explicare poteris ex Herodoto, a quo κιθὼν ποδηνεκὴς λίνεος et super hanc vestem ἄλλος εἰρινέος κιθών Babyloniis tamquam vestimenti genus adscribitur; nomen autem tertium כַּרְבְּלָא interpretaberis ex eodem cum dicat Babyloniis duabus illis vestibus περιβάλλεσθαι χλανίδιον λευκόν (1,195); *Theod.* tertio loco habet περικνημῖσιν, LXX ἱματισμῷ; at pro quarta voce de *vestibus* nihil praebent; explica de reliquis vestimentorum partibus. Eo quod nulla parte vestimentorum spoliati sunt (id quod tamen reis ac maleficis fieri solebat, prout monumenta quoque ostendunt; cf. *Layard*, Discoveries in the ruins of Niniveh and Babylon, p. 457), simul declarari videtur quanta festinatione sententia regis sit exsecutioni mandata. — Ceterum cum LXX et *Theod.* solum praebeant tria vocabula et enumeratis praecipuis vestimentis haud congrue addatur vocabulum generale vestium, suspicio oritur eam vocem textui esse adscriptam

qua explicetur quid tribus illis nominibus peregrinis intelligendum sit.

Ex regis mandato fornax nimium succendebatur; quare ostio fornacis aperto ii peribant ambusti flammis vi erumpentibus qui iuvenes in fornacem proiiciebant; v. 22 « *nam iussio regis urgebat, fornax autem succensa erat nimis; porro viros illos qui miserant Sidrach, Misach et Abdenago interfecit flamma ignis;* v. 23 *viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach et Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati* »; — textum explica v. 22 : propterea quia iussio regis instabat severe ideoque fornax succensa erat nimis, viros illos interfecit flamma ignis. Qua re et incendii vis immensa demonstratur et incolumitas iuvenum modo maxime mirabili illustratur. —Notat *Hip.* : « tres pueri exemplum omnibus hominibus fidelibus sunt, qui non turbam satraparum timuerunt neque regis edicta audientes tremuerunt neque ignem fornacis ardentis videntes formidine capti sunt, sed omnes homines et universum mundum contempserunt timorem Dei solummodo prae oculis habentes ».

c) Oratio Azariae 3, 24-45.

In textu *mas.* statim sequitur id quod in graeco et in *vulg.* habetur v. 91 seq. : tunc Nabuchodonosor rex obstupuit et surrexit propere et ait optimatibus suis etc.; verum ibi vitium textus et lacunam deprehendi manifestum est[1]. Nam narratum est eos colligatos in fornacem esse iniectos; nihil dictum est de eorum in igne incolumitate, nihil de angelo cum eis ambulante, et tamen haec omnia supponi debent ut regis admiratio et sermo intelligi possit. Id autem quod necessario praemitti debet, legitur apud LXX, Theodotionem; quare cum apud Theodot. habeatur, etiam eius tempore in textu primigenio exstitisse conficitur. Is enim librum vertit ex hebr. et aramaico; id quod et in universum constat et speciali ratione pro hac parte elucet quia eadem est quae in aliis similitudo ac dissimilitudo Theodotionem inter et interpretem alexandrinum (cf. *Cornely,* Introd. II 2 p. 500; ceterum vide Proleg.). Quare quod ipsa narrationis serie exigitur, etiam testimonio gravissimo comprobatur. Unde merito asserendum est orationem iuvenum ad textum primigenium pertinere.

« Grande miraculum, ligati mittuntur in fornacem et cadunt in medium ignis praecipites; ardent vincula quibus ligati sunt et vinc-

1. *Rosenmüller* : « sane in chaldaicis, uti nunc habentur, v. 23 et 24 non bene cohaerere legenti apparet ».

torum corpora timens flamma non tangit » (*S. Hier.*); quare in Dei laudem linguas solvunt v. 24 « *Et ambulabant in medio flammae laudantes Deum et benedicentes Domino* »; — ita apud *Theod.;* LXX paullo aliter: sic igitur precatus est Ananias, Azarias et Misael, et laudes canebant Deo, quando rex eos in caminum iniici iussit. Primum itaque, quod maxime pronum erat cum se flammis non laedi adverterent, in Dei praeconia et laudes et gratiarum actionem prorumpunt. Dein mentes et oculos etiam convertunt ad suum populum. Id quod ex rerum conditione fere necessario sequebatur. Nam ut *S. Hier.* ad v. 4. 5 notat, in principibus gentium omnes gentes et populi adorasse iubebantur et censebantur. Unde cum illi tres recusarent, viri Chaldaei v. 8 Iudaeos accusant apud regem; quare pro regis ira et furore timendum erat, ne supplicium in eos decretum fieret initium saevae contra Iudaeos persecutionis quos scil. rex in se rebelles perimeret. In illa regis ira qua pristinum favorem commutaverat cernere poterant impleri minas ab Ezechiele haud semel propositas etiam in exsules et dispersos gladium Domini iri nudatum et evaginatum (5,2. 12). Atque, uti ex v. 38 et ex textu graeco in 3,1 valde probabile efficitur, regis edictum de deo suo adorando et supplicium in recusantes decretum incidit in tempus post urbem sanctam expugnatam et combustam; unde iterum elucet, cur deprecatio iuvenum pro contribulibus suis cum humili peccatorum confessione apud Dominum sit effusa. Aptissimam igitur esse orationem et e re ipsa natam fateri oportet atque immerito eam traduci a quibusdam protestantibus tamquam ineptam et a conditione rerum alienam et perperam confictam (ita cum contemptu de istis partibus iudicant Eichhorn, Bertholdt, Fritzsche aliique).

Oratio quae sequitur nonnulla continet quae ex pentateucho et psalmis deprompta sunt. Iudaeos pios sacrorum librorum verbis ac sententiis animos imbuisse nemo negabit; quare iisdem sensibus orationes fudisse consequens est. Porro omnino probabile est orationem hanc et hebraice esse pronuntiatam et hebraice quoque primitus conscriptam. Id iam eo suadetur quia sensus ac cogitationes ex libris hebraice scriptis promuntur; dein iuvenes isti certe a pueris in urbe Ierusalem lingua patria Deum precari didicerant; iam vero quis nesciat quam libenter homines orare Deum soleant vel in lingua patria vel ea in lingua quam propter specialem quandam rationem linguam existimant sacram? Utrumque autem iuvenibus linguam commendabat hebraeam, cum et patria esset et sacra censeretur propter libros sacros ea lingua conscriptos. Si vero haec pars hebraice erat conscripta, facile explicatur id quod aliqui mirantur et tamquam vestigium spuriae indolis

afferunt, cur scil. iuvenes non iis nominibus vocentur quibus in v. 23, sed pristinis suis hebraeis; in textu enim hebraeo nomina afferri hebraea nonne res est planissima? Vide 1,6. 19. Adde quod ex modo quo tres illum hymnum a v. 52 seq. recitare dicuntur certum esse videtur canticum ab iis recitari iam notum et in usu positum, quod ad suam conditionem singulari modo applicant. Si autem carmen sacrum tale adhibent, quin illud in lingua hebraea in usu fuerit quis dubitabit? Etiam *Sanct.* advertit : « ego sic arbitror, canticum istud iam antea a Iudaeis cantari solitum... id ego ex eo coniecto, quia quasi ex uno ore cecinisse dicuntur carmen hoc eucharisticum tres adolescentes, i. e. iisdem verbis, iisdem numeris, eodem concentu. Quod sane sine miraculo non videtur fieri potuisse; miraculum vero ubi res ipsa non urget ponere necesse non est. Cur autem hic debeant multiplicari miracula non video, quando ad laudandum Dominum satis est unum ex antiquis canticis adhibere ».

Quanta animi iubilatione se mediis in flammis incolumes servari adverterint, laude Dei brevi quidem at summa praeconia complectente proponitur v. 25 « *stans autem Azarias oravit sic aperiensque os suum in medio ignis ait :* v. 26 *benedictus es Domine Deus patrum nostrorum et laudabile et gloriosum nomen tuum in saecula* »! — LXX addunt inter alia Azariam simul cum sociis Deo laudes persolvisse; in Deo patrum commemorant insignia beneficia per multa iam saecula populo praestita; quare Dei fidelitatem et amorem commendant et sibi ob eandem causam obvenire incolumitatem agnoscunt; quare aeternas laudes maiestati divinae pendendas esse profitentur. Nomen Dei omnia illa complectitur quae Deus de se manifestavit et totam Dei sublimitatem; haec Dei maiestas ut in aeternum summa omnium celebratione honoretur exoptant. In paucis verbis amplissima laudis materies concluditur. Bene advertit *Theod.* : « quis pro dignitate prooemii huius sapientiam poterit laudare? Neque enim in felicitate aut tranquillitate constitutus neque in prospero vitae cursu sed in eiusmodi fornace auctorem omnium rerum celebrabat Deum et *Deum patrum* illum vocabat et mentis declarans modestiam et patrum praedicans virtutem. Laudamus enim te Domine quibus patres illi fuere quorum Deus vocari voluisti; hoc tuum nomen laudabile est et gloriosum non in aliquo definito praescriptoque tempore, sed in omnia saecula ». Sunt qui mirentur quod statim a Dei laude cessent et ad peccata populi deploranda deflectant. Iis advertendum est ex verbis allatis non sequi solum haec dicta esse; sufficiebat si summa eorum quibus animi iuvenum commovebantur a narratore referebatur, qui dein maluit uberius ac copiosius in iis immorari quae ad populum erudiendum et sensibus

poenitentiae adeo necessariis imbuendum praeprimis facta erant. Insuper qui plus laudis et gratiarum actionis desiderant habent et invenient in carmine sacro a iuvenibus recitato v. 52 seq.

Maximae est pietatis et summae religionis laudes Dei eiusque gloriam praedicare tum cum iusto Dei iudicio calamitas publica et communis gravi onere incumbit. Id praeclare praestat Azarias. In ira regis et sententia contra se lata novam instare cernit populi sui oppressionem. Quam ut Deus miserator avertat precatur; ut autem Deum sibi suisque reddat propitium, ab humili confessione orditur populum omnia illa peccatis suis vere et merito sustinuisse quae a Deo iustissime essent inflicta; v. 27 « *quia iustus es in omnibus quae fecisti nobis et universa opera tua vera et viae tuae rectae et omnia iudicia tua vera;* v. 28 *iudicia enim vera fecisti iuxta omnia quae induxisti super nos et super civitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem, quia in veritate et in iudicio induxisti omnia haec propter peccata nostra* »; — ad v. 27 vide Deut. 32,4. Ps. 118,137. 151; 144,17. Os. 14,10; v. 28 graece : *iudicia veritatis*, qui est manifestus hebraismus, ut iam *Mald.* adnotat; cf. משפט אמת Ez. 18,8. Zach. 7,9. Opera et iudicia Dei tripliciter vera sunt, ait *Per.;* primo veritate entis, quia sunt conformia suae regulae scil. sapientiae Dei; secundo veritate iustitiae, quia per ea iuste Deus punit impios et praemiat pios; tertio veritate fidei, quia respondent Dei promissis et comminationibus (*Lap.*). Inducere super civitatem cf. Ier. 19,15; 39,16. Ez. 14,22. Bar. 4,29. Dein simili modo quo Baruch docet precatur v. 29 « *peccavimus enim et inique egimus recedentes a te et deliquimus in omnibus* v. 30 *et praecepta tua non audivimus nec observavimus nec fecimus sicut praeceperas nobis ut bene nobis esset* »; — cf. Bar. 2,5. 8. 10. 12; « multam emphasin habet illud *a te*, quasi dicat a te factore et opifice, bono hero, nutritore et custode, qui ab Aegyptiorum servitute nos liberasti, qui mare secuisti » etc. (*Theod.*); recedere ἀποστῆναι cf. Ier. 17,13. Ez. 20,8; ut bene sit cf. Deut. 4,40 : custodi praecepta eius atque mandata quae ego praecipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te.

« Quando diversis premimur angustiis, ex toto cordis hoc loquamur affectu et quidquid nobis acciderit iuste nos sustinere fateamur, ut compleatur in nobis illud quod scriptum est : exsultaverunt et laetatae sunt filiae Iudae in omnibus iudiciis tuis, Domine » (*S. Hier.*); id profitetur nomine populi Azarias v. 31 « *omnia ergo quae induxisti super nos et universa quae fecisti nobis in vero iudicio fecisti*, v. 32 *et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum et pessimorum praevaricatorumque et regi iniusto et pessimo ultra omnem terram* »; — graece ἐχθίστων ἀποστατῶν, id quod appositionis loco

(sine καὶ ex plerisque codd.) additur; ἀποστάτης erit pro hebr. מריד (rebellis, ferox, violentus) quae vox saepius ita redditur in graeco; cf. Num. 14,9. Ios. 22,19. Esdr. 4,12. 15. Sunt quibus verba haec duriora et acerbiora videantur quam ut ab Azaria qui regis favorem expertus sit dici potuerint. At isti non considerant quanto dolore pius Dei cultor urbis templique ruinam et regni destructionem sit prosecutus. Iam Nabuchodonosor urbem expugnaverat, multos in captivitatem abduxerat, immo, uti ex v. 38 facile colligitur, urbem et templum destruxerat, principes Iuda occiderat, oculos Sedeciae regis effoderat, plurimos in regiones alienas disperserat et insuper nunc deum suum cuius nomine omnia illa mala intulerat et quem victorem celebrat a Iudaeis coli iubet dirissimo mortis supplicio proposito : quae omnia si perpenderis, fateri debebis verba illa non esse a vero aliena; nemo quippe regum eousque tantam ruinam Iudaeis intulit quantam Nabuchodonosor. Praeterea ipse favor regius et dignitas collata iuvenibus vertebatur in exitii occasionem.

Et in quam miseriam sint redacti ulterius explicat simulque rationem reddit cur adeo vehementer in Chaldaeos regemque invehatur merito v. 33 « *et nunc non possumus aperire os; confusio et opprobrium facti sumus servis tuis et his qui colunt te* »; — clauditur os vel metu vel pudore; utraque causa locum habuit in Iudaeis captivis; nam dominorum crudelitatem veriti suam coram illis deplorare miseriam non audebant (*Lansselius*); neque ad minuendam vel extenuandam culpam os aperire licet (*Mald.*) et in universum ad tantam vilitatem redacti sunt, ut ne verbulum quidem proferri possint, cuius alii habeant rationem; cf. Ez. 16,54 : ut portes ignominiam tuam et confundaris; immo ne lamentum quidem edere iis licet secundum Ez. 24,16-24. In altera sententia legitur in codice alexandrino aliisque pluribus et etiam apud LXX et in versione vetere latina (cf. *Sabatier*, bibl. lat. vers. ant. II p. 861) ἐγενήθη : confusio et exprobratio *facta est* servis tuis et colentibus te; qua lectione sensus facilis funditur, dum illud *facti sumus* servis tuis non potest explicari nisi coacte : populo tuo electo, Iudaeis, quibus gentes exprobrant quod socii et contribules sint tam vilium hominum, qui in servitutem abducti et impietatis et perduellionis convicti in infamem fornacem coniecti sint (*Tir.* sim. *Mald. Lap.*); sed Azarias iam non de se et sociis suis loquitur, sed de universo populo in exsilio posito; quare etiam admitti nequit quod *Troch.* explicat : poena eis inflicta fieri potest aliis servis Dei confusioni; quare enim ita puniuntur, si Deo fideles persstiterint? At altera lectio optime quoque congruit minis a Ieremia dictis 23,

40; 24,9. 18; 42,18; 44,8; quare bene LXX αἰσχύνη καὶ ὄνειδος ἐγενήθη τῶν δούλων σου καὶ τῶν σεβομένων σε.

Verum quae est promissio Dei patribus data, in ipsa calamitate summa continetur ratio deprecandi et sperandi meliora; v. 34 « *ne quaesumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum et ne dissipes testamentum tuum;* v. 35 *neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum et Isaac servum tuum et Israel sanctum tuum,* v. 36 *quibus locutus es pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas coeli et sicut arenam quae est in littore maris* »; — nomen vel gloria Dei exigit ut non pereant; sunt enim populus Iahve; unde efficacissima est Dei obtestatio, ut propter se et gloriam suam et nomen quo immutabilis quoque Dei fidelitas declaratur ne eos hostium libidini permittat. Ita orare didicerunt ipso Deo docente : propter me, propter me faciam, ut non blasphemer (Is. 48. 11). Hoc autem nomen Dei, Iahve, intime consertum est foederi, cuius est quasi tessera et pignus; unde per se sequitur petitio, ne foedus dissipetur; hoc autem foedus iam initum est cum patriarchis, quos Deus tanta benevolentia est prosecutus et qui pro virili Deo se devoverant et consecrarant, ita ut ipse Dominus profiteretur : haec dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob, hoc nomen mihi est in aeternum et hoc memoriale meum in generationem et generationem (Ex. 3,15). Misericordiam auferre cf. 2 Reg. 7,15; foedus vel testamentum διασκεδάζειν cf. Gen. 17,14. Lev. 26,44. Deut. 31,16 hebr. הפיר ברית; Abraham amicus Dei vocatur 2 Par. 20,7; Isaac servus vel cultor Dei; Israel nomen honorificentius est propter Gen. 32,28 et Os. 12,4; quare etiam pro sua obedientia et fidelitate sanctus i. e. Deo consecratus ac deditus appellatur. De promissionibus vide Gen. 15,5; 22,17. « Audemus autem, inquit, haec dicere, cum multa tuae bonitatis pignora habeamus; patrum nomina commemorat, ut memoria iustorum Dominum provocet ad misericordiam » (*Theod.*); sunt quippe Iudaei Deo carissimi propter patres (Rom. 11,28).

Profecto est, cur eas promissiones de ingenti populi numero Deo in memoriam reducat Azarias; v. 37 « *quia Domine imminuti sumus plus quam omnes gentes sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra,* v. 38 *et non est in tempore hoc princeps et dux et propheta neque holocaustum neque sacrificium neque oblatio neque incensum neque locus primitiarum coram te* »; — iam enim primogenitus Dei filius Israel (Ex. 4,22) factus est quasi in minimam ac vilissimam omnium gentem; ubique servitute premuntur; cf. Lament. 1,11 : vide Domine et considera, quoniam facta sum vilis, et

v. 8 : omnes spreverunt illam. Atque hanc vilem conditionem depingit eo quod tota theocratia sit collapsa : non iam exsistit magistratus neque in re civili militarive neque in re sacra; iam nulla ex ordine fiunt sacrificia, quorum singula genera ad dolorem augendum recensentur, neque populus suas deferens Domino primitias se tamquam gentem Deo sacram potest profiteri. In v. 38 ea depingitur rerum omnium ruina quae urbe et templo destructis revera cernebatur. Sed qua ratione dici potest non esse prophetam? Ieremias tamen et Ezechiel eo munere fungebantur inter exsules. Unde aliqui ea in sententia certum sibi visi sunt videre indicium temporis Machabaeorum (cf. 1 Mach. 4,46; 9,27; 14,41). At modus loquendi est idem quem ipse quoque Ieremias adhibet : non est lex et prophetae eius non invenerunt visionem a Domino (Lament. 2,9); si itaque Deus pro aliquo tempore responsa dare prophetis renuit, omnino dici poterat : non est propheta, cum is tum demum exsistat quando Deus per eum loquitur; prophetia enim non est donum quoddam permanens. Unde tali tempore dicebat quoque psalmista : signa nostra non vidimus, iam non est propheta et nos non cognoscet amplius (Ps. 73,9). Atque Deum negasse responsum interrogantibus per prophetam lege apud Ezechielem : numquid interrogatus respondebo eis? numquid ad interrogandum me vos venistis? vivo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus (14,3; 20,3). Iam haec plane sufficiunt, ut in tali *lamentatione* qua res in universum negantur et negari solent dicatur : non est propheta. Simili enim modo non esse sacrificium dicitur, quamvis ex Ier. 41,5 et Bar. 1,10 appareat quandoque in loco templi oblationes esse factas ; proinde negatur ea fieri ut olim ordine stabili, institutione perpetua. Quare non opus est cum aliis explicare : in Iudaea non est propheta (*Mald. Men. Tir.*) vel non ea qua decet et oportet auctoritate et dignitate sunt instructi (*Lansselius, Sanct. Calm.*) vel Ezechiel longe aberat (?) et Daniel potius erat regis somniorum interpres (*Per. Lap.*).

Cultum cessasse ordinarium eo potissimum Azarias dolet quia eo sublato iam non fieri potest illa per sacrificia propitiatio quam ipse Deus instituerat et tamquam remedium contra iram et ultionem divinam populo concesserat; quare addit v. 39 « *ut possimus invenire misericordiam tuam, sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur;* v. 40 *sicut in holocausto arietum et taurorum et sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te* »! — « cum enim tua lex, inquit, consueta sacrificia tibi offerre ubique non permittat, contritum tibi et humiliatum cor offerimus et

supplices petimus, ut haec tibi sint omnibus sacrificiis gratiora, siquidem consuevisti in te confisos ab omni ignominia vindicare. Haec autem haud simpliciter ita dixit sanctus hic vir, sed a propheta David eruditus : quia si voluisses sacrificia, dedissem utique; holocaustis non delectaberis; sacrificium Deo spiritus contritus, cor contritum et humiliatum Deus non despiciet » (Ps. 50,18. 19; cf. Ps. 49,13. 14. 23; *Theod.*). Legitur apud LXX et *Theod.* sicut Mich. 6,7 ἐν μυριάσιν ἀρνῶν πιόνων; porro pro eo quod in *vulg.* habetur *ut placeat tibi,* legitur apud *Theod.* καὶ ἐκτελέσαι ὄπισθέν σου quae verba hebraismum sonare iam optime explicarunt *Lansselius, Lap.* monentes ita reddi hebr. מלא אחריך; vide Num. 14,24. Deut. 1,36. Ios. 14,8. 9. 14. 1 Reg. 11,6 quae dictio vertitur a LXX ἐπακολουθεῖν τῷ θεῷ, *vulg.* sequi Dominum i. e. ei obedire et obsequi, obtemperare, perficere voluntatem eius. Unde sensus ex graeco exsistit aptissimus : sic fiat sacrificium nostrum coram te hodie et nostrum erga te obsequium; precatur igitur Azarias ut Deus benigne suscipiat sacrificium cordis contriti et obedientiam quam Deo praestiterint. Poteris quoque καὶ accipere sensu explicativo, ita ut sacrificium consistere dicatur in studio obediendi Deo et implendi eius voluntatem. Insuper nota in ea dictione quae explicari non potest nisi ex hebraeo argumentum haberi precationis hebraice conscriptae.

Lectio haec critice certa est. Ei etiam testimonia ferunt syr. hex. et vetus versio latina : et perficere subsequentes te; Cyprianus autem habet : *et consumetur* potestas illorum (Lib. testim. 3,20; *M.* 4,748), id quod lectionem supponit ἐκτελείσθω quae quandoque fertur, etiam apud Theodoretum. LXX praebent ἐξιλάσαι ὄπισθέν σου; videntur etiam legisse מלא idque intellexisse de eo quod impletur et perficitur sacrificio, de propitiatione et expiatione, vel explicasse ex dictione saepius adhibita : *implere* manum suam Domino i. e. larga munera offerre 1 Par. 29,5. 2 Par. 29,31. Arbitrarie et sine ullo testimonio mutat *Fritzsche* ἔμπροσθέν σου, quam lectionem iam olim Beza aliique proposuerant, uti refert *Lansselius.* Dictionem eam rite explicant ex recentioribus *Welte, Wiederholt* (cf. Theologische Quartalschrift, Tübingen 1871 p. 381).

Pro sacrificiis se offerre animum promptum Deoque obedientem pluribus declarat; tali autem sensu si quis est imbutus, cum fiducia auxilium divinum implorare potest, quo et populus Dei a periculo eripiatur et eius inimici cum magna Dei gloria confundantur v. 41 « *et nunc sequimur te in toto corde et timemus te et quaerimus faciem tuam;* v. 42 *ne confundas nos sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam et secundum multitudinem misericordiae tuae,* v. 43 *et erue nos in mirabilibus tuis et da gloriam nomini tuo, Domine,* v. 44 *et confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in*

omni potentia tua et robur eorum conteratur, v. 45 *et sciant quia tu es Dominus Deus solus et gloriosus super orbem terrarum* »! — nomine omnium profitetur Azarias exsistere fructum exsilii quem Deus voluerit, scil. calamitatibus edoctos iam toto corde ad Dei nutum et voluntatem se componere; cf. Ez. 6,9 : et recordabuntur mei in gentibus quia contrivi cor eorum fornicans et recedens a me etc. Faciem Dei quaerere est studiose Dei favorem et benevolentiam expetere; opus esse gratiae et indulgentiae confitentur provocantes ad Dei ἐπιείκειαν et multitudinem misericordiae eius et rogantes ut *secundum* (κατὰ) mirabilia illa quibus olim suum populum eripuerit etiamnum eruat et se ipsum reddat gloriosum. Nominis autem Dei gloria in eo potissimum gentibus manifestabitur, si oppressores populi qui ex nomine Domini appellatur divinam contra se experiantur potentiam et reipsa discant solum Iahve esse Deum ac Dominatorem universorum potentissimum. Graece dicitur v. 44 confundatur ἀπὸ πάσης τῆς δυναστείας i. e. hebr. בּוֹשׁ מִן : fallatur illa spes quam reponunt inimici in sua potentia; apud S. Augustinum legitur, uti graece habetur : confundentur ab omni potentia (ep. 111 n. 8; *M.* 33, 427).

d) **Canticum trium iuvenum 3,46-90.**

Rex furore plenus fornacem iusserat succendi septuplum quam succendi consuevisset v. 19 et simul iussio regis urgebat ut iuvenes in ignem mitterentur v. 21. 22. Quare ut prius mandatum etiam exsequerentur carnifices iuvenibus iniectis non cessabant fornacem magis magisque succendere, donec tandem flammae erumperent quadraginta novem cubitis super fornacem v. 47. Ita septuplum ignem esse auctum declaratur. Haec narrationis pars arcte cohaeret cum v. 19-23 et describit quid dum Azarias in fornace oraret ministri regis in igne augendo laboraverint v. 46 « *Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem naphtha et stupa et pice et malleolis* »; — mirum videri potest nunc dici eos qui miserant magis succendisse fornacem, dum in v. 22 eos flamma esse interfectos describitur. Sed adverti debet in textu Theodotionis nihil tale eo loco referri, sed solum narrari iuvenes cum suis vestibus esse in fornacem iniectos. Hoc vero loco mentione facta ignis in immensum aucti demum narratur flammis erumpentibus qui erant circa fornacem Chaldaeos esse interfectos. Qui narrandi modus genuinus videtur et textum pristinum libri Danielis referre. Quomodo autem sententia illa in textum aramaicum v. 22 sit inserta, facile declaratur ex eo quod partibus liturgicis i. e. oratione Azariae et cantico demptis solum summa narrationis sit con-

servata; quare id quod postmodum de ministris narrabatur statim adiunctum est, cum primo mentio eorum fieret. In *vulg.* autem narratio inconcinna est quia usque ad v. 23 versio sequitur textum aramaicum prout tempore *S. Hier.* iam erat adaptatus, a v. 24 vero et deinceps editionem Theodotionis.

Fornax succendebatur naphtha, pice (πίσσαν), stupa, sarmentis (κληματίδα), κληματίδες autem vocantur Hesychio interprete αἱ τῶν κλημάτων δέσμαι, fasces palmitum e vite excisorum. Simili modo intellige *malleolos;* est enim malleolus novellus palmes innatus prioris anni flagello, uti ex Isidoro rite explicat *Lansselius;* alio sensu malleoli quoque dicuntur fasces pice obliti qui in obsessas urbes sive in milites testudine ad suffodienda moenia subeuntes iaciebantur incensi (*Per. Calm.*). Tali materia subministrata ingens flammarum vis et impetus exsistebat v. 47 « *et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem,* v. 48 *et erupit et incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldaeis* »; — flammam h. l. explicat *Alb.* flammam fumi scil. succensi, qui extra fornacem proiiciebatur. Modum loquendi intellige quasi proverbialem qui mandato regis correspondeat, ut scil. fornax septuplum accensa flammas emitteret septies septena cubita ascendentes i. e. flammas solito multo vehementiores; simili modo loqui solemus de flammis ad turrium altitudinem pertingentibus, de fluctibus montium instar insurgentibus (cf. *Loch, Wiederholt*). Et tanta erat vis incendii immensi, ut flammis erumpentibus necarentur Chaldaei iuxta fornacem; vide ad v. 22.

Verum aliter Deus providit suis cultoribus v. 49 « *angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis in fornacem et excussit flammam ignis de fornace* v. 50 *et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem et non tetigit eos omnino ignis neque contristavit nec quidquam molestiae intulit* »; — συγκατέβη ἅμα una cum iis simul descendit vel potius *descenderat,* id quod et indoles linguae permittit et rerum series exigit; is autem « flammam dissipabat et mediam fornacis partem ignitis carbonibus nudans auram quandam frigidam ac mediocriter humidam quaeque sanctis multam afferret voluptatem, ignem afflare ac parere faciebat atque hanc in sanctorum corpora immittere » (*Theod.*). Flammas de fornace summovit et in ministros incendium excitantes eiaculatus est (*Men.*); quasi ventum roris i. e. « sicut aerem roscidum leviter sibilantem, quo in media aestate maxime solemus recreari; quasi dicat : non modo non senserunt ignis ardorem, sed etiam refrigerationem roris similem perceperunt; quod dicit πνεῦμα δρόσου pro πνεῦμα δροσῶδες hebraismus est » (*Mald.*): hebraismum etiam deprehendere potes cum aliis in v. 46 καίειν κάμινον

νάφθαν, ubi habes accusativum instrumentalem vel materiae Hebraeis haud inusitatum. — Narrationem ita accommodat *S. Hier.* : « oppressa perturbationibus anima et variis molestiis occupata cum hominum desperaverit auxilium et tota ad Deum fuerit mente conversa, descendit ad eam angelus Domini, scil. sermo divinus, et excutit flammae aestuantis ardores, ut nequaquam ignita iacula inimici cordis nostri arcana penetrent nec illius fornace claudamur ».

Angelum ab eis esse conspectum ex eo iam concluseris quod postea ipse rex eum vidit v. 92; dein etiam quia angeli mentione facta narratur eos in maximam laudis iubilationem voces solvisse v. 51 « *tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant et glorificabant et benedicebant Deum in fornace dicentes* »; — ipso verborum cumulo ingens animorum exsultatio qua Deum servatorem celebrant declaratur; quomodo quasi ex uno ore laudes Dei cantaverint, facile eruitur, si encomiis iam in usu positis utebantur ea saepius repetentes, uti est iubilantium, et pro magnitudine affectus maiora quaedam addentes praeconia. Et primo quidem a v. 52-56 Deum laudant qui gloriam et maiestatem suam in suo populo et in totius mundi gubernatione manifestat; unde a sublimi notione Dei canticum inchoatur : v. 52 « *benedictus es Domine Deus patrum nostrorum et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula, et benedictum nomen gloriae tuae sanctum et laudabile et superexaltatum in omnibus saeculis!* v. 53 *benedictus es in templo sancto gloriae tuae et superlaudabilis et supergloriosus in saecula!* v. 54 *benedictus es in throno regni tui et superlaudabilis et superexaltatus in saecula* »! — quattuor modis revelatio Dei populo electo facta extollitur laudibus; primo eo quod Deus laudatur tamquam Deus patrum, qui parentes populi, patriarchas singulari ratione elegit et suis cumulavit favoribus et foedus cum iis iniit sempiternum; huic encomio adiungitur alterum magis generale quo *nomen* gloriae celebratur i. e. omne id quod Deus de se manifestare dignatus est; sicut enim nomine res innotescit et nomine homo ab homine cognoscitur et distinguitur, ita nomen Dei omnia ea complectitur quibus Deus se nobis cognoscendum praebet vel potius quae ipse de se revelat. Porro haec Dei in Israel manifestatio praeprimis elucet modo quodam excellentissimo in institutione theocratica, in templo et in throno, in sacerdotio et in regia dignitate; quare aptissime duo haec commemorantur. Quam praeclare se Deus in templo manifestaverit, iam Salomon prosecutus est in oratione fusa cum templum dedicaretur 3 Reg. 8,15 seq.; cf. Ps. 47,10. Neque minus eius potentia, beneficentia, clementia, longanimitas eluxit in regno Iuda, quod modo celebre reddidit, ut sub David et Salomone, modo a periculis liberavit, ab ho-

stium incursibus tuitus est, uti sub Iosaphat et Ezechia, modo propter David incolume servavit neque ab indignis regibus abstulit; cf. 3 Reg. 11,12. 32; 15,4; 4 Reg. 8,19; 19,34; 20,6. Quod autem iuvenes templi regnique mentionem eo modo faciunt ac si utrumque staret inconcussum, explicabis etiam eo quod canticum laudis recitant antiquum et notum. Iis igitur Deum encomiis celebrant quibus fere a pueris assueti erant; atque ipsa natura insitum est, ut certis quibusdam precationibus hymnisque utamur ad Dei laudes concinendas eique gratias agendas; ita nos quoque psalmos davidicos adhibemus ut in nostris necessitatibus opem Dei imploremus vel animos gratos ei pandamus; eodem modo Ezechias rex quoque praecepit ut laudarent Dominum sermonibus David et Asaph videntis (2 Par. 29,30) et etiam cum post exsilium fundamenta templi ponerentur, laudes Dei ex antiqua norma et precatione concinebantur (Esdr. 3,11). — In gr. v. 54 legitur post v. 55; legitur autem suo loco apud LXX. In neutro textu gr. habetur in v. 52 *gloriosus;* legitur in altero membro ὑπεραινετόν.

A sanctuario terrestri transitus fit ad Dei domicilium coeleste mentione facta cherubim, qui transitus facillime fluit, cum cherubim uti in templo ad arcam repraesentabantur, ita currum Dei vehere Deoque in coelestibus assistere censerentur (vide comment. in Ez. p. 33 seq.); v. 55 « *benedictus es qui intueris abyssos et sedes super cherubim et laudabilis et superexaltatus in saecula;* v. 56 *benedictus es in firmamento coeli et laudabilis et gloriosus in saecula* »! — Dei praedicatur omniscientia, coram quo abdita terrae et sinus maris profundissimi nuda sunt et aperta; eius declaratur gloria, maiestas impiis terribilis, benefica piis in cherubim; utrumque enim et ex sacra historia et ex symbolis colligitur quibus cherubim repraesentantur; demum in coeli stelliferi splendore et gloria laudatur maxima quaedam divinae immensitatis et claritatis significatio. Unde quaecumque in rerum ordine et naturali et supernaturali eximia sunt efferuntur, ut in iis et Dei sublimitatem relucere et maxima Dei praeconia omnibus annuntiari ostendatur.

Iam vero cum Deus talis tantusque sit et idcirco nullo praeconio satis digno celebrari possit, ad animi humani indolem plane factum est, ut res omnes quotquot in coelo et in terra et in profundo maris sinu exsistunt in subsidium advocentur quibus laudes condignae Deo persolvantur. Tali quippe compellatione rerum etiam inanimatarum exprimi solet magnitudo affectuum; ita prophetae v. g. coelos terramque obtestantur testesque advocant, coram quibus maximam de populi perversitate indignationem effundant (Is. 1,2. Ier. 2,12. Mich.

1,2; 6,2). Et qui talibus utitur adiutoribus, se profitetur imparem qui animi aestum sufficienter per se explicet, simulque desiderium pandit ut quam amplissime ac copiosissime animi affectus i. e. hoc loco laudes et praeconia Dei ab omnibus exprimantur. Merito autem advocantur ad Dei encomia res quoque inanimatae. Nam et sacris libris docentibus et ipsa ratione ostendente res illae in se exhibent et testantur virtutem, gloriam, benignitatem Dei, uti eximie habetur in Ps. 18,1 seq. Iob 36,26 seq. 37,1-39,30. Sap. 13,5. Eccli. 43,1 seq. Rom. 1,19. 20; cum itaque sint vera quaedam divinae maiestatis manifestatio eiusque laus et testimonium, ex quibus homo ad cognitionem et cultum Dei invitari et adduci debeat, quid magis ipsa natura duce suaderi videtur, quam ut homo has ipsas res in quibus vestigia divinae gloriae deprehendit sibi adiungat socias ad Dei laudes concinendas et pro animi ardore illis omnibus vehementer acclamet ut incessanter hymnos Deo persolvant? Cuius rei praeclarum exemplum habetur in fine libri psalmorum Ps. 148-150; idem habetur in hoc cantico v. 57-90. Quare simul cernitur quam excellens Dei celebrandi ac precandi formula istis canticis contineatur et quam apte haec carmina inserta sint officio ecclesiastico, ita ut qui ad illud recitandum tenentur hac compellatione creaturarum omnes referant ad ultimum earum finem, ad Dei laudem, Deumque ipsum summo quo possunt modo laudent et praedicent.

Hymnus autem ita texitur, ut primo omnia Dei opera ad laudem Dei admoneantur celebrandam, dein singula invitentur : coeli et quae sunt sub coelis, terra et quae illam implent, homines. Carminis conspectum hunc praebet *S. Hier.* : « generali laudatione praemissa quod omnis creatura debeat laudare Dominum, in consequentibus per partes singulas cohortatur angelos et coelos, aquas atque virtutes, solem et lunam, imbrem et rorem, spiritum, ignem et aestum, frigus et cauma et cetera quae longum est texere, ita ut fontes quoque et maria et cete et volucres bestiasque et pecora ad laudem Domini provocet et filios hominum et post omne hominum genus Israelem, et de ipso Israel sacerdotes et servos Domini, spiritus animasque iustorum, sanctos et humiles corde, et ad extremum Ananiam, Azariam, Misaelem, qui ad laudem Dei praesenti beneficio provocantur. Omnis autem creatura non voce, sed opere laudat Dominum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur et in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur ». Ordinem ac seriem carminis *Sanct.* quoque bene describit.

« Cum hoc sit cantici institutum, ut omnium creaturarum ad laudandum

Deum voces advocet, loca omnia scrutatur aut peragrat, in quibus aut gignuntur aut vivunt. Quare primum coelestes invitantur spiritus et stellae ac lumina quae in coelis lucent; deinde quae in firmamento, id est in aere aut gignuntur aut volant, qualia sunt volucres quaeque ex terrae halitu in igneam naturam obdurantur, aut ex vapore humido in nubes grandinemque concrescunt. Post ex aquis evocat genus natatile, et e terra quae ex ea pullulant, gradiuntur et reptant; deinde homines, eos maxime quorum opera sacrario servit, quales sunt sacerdotes; deinde se ipsos exhortantur pueri, ut benedicant et superexaltent Dominum, id est, quantum poterunt voce contendant ac spiritu, ut in divinas laudes totis nervis ac viribus incumbant. Eundem pene ordinem secutus est David in Ps. 148. Porro universalis illa provocatio *benedicite omnia opera Domini Domino*, per omnes creaturas deinde distribuitur coelestes, aereas, meteoras, aquatiles, terrestres » (*Sanct.*). Sex autem in creaturis animadverti dicit *Per.* quae opificem Deum maxime commendent et praedicent : varia adeo et multiplex rerum natura et summa cuique in suo genere perfectio; tanta pulchritudo, praestantia; tanta utilitas et mirabilitas operationum et effectuum; tantus ordo et proportio singularum inter se et cum ipsa universitate; tanta perseverantia in conservando ordine; tanta constantia in praestando hominibus ministerio; tanta obedientia erga Deum in omnibus quae vel in ipsis vel per ipas operari vult : omnia serviunt tibi.

Uti in Ps. 135 post unumquodque membrum per modum litaniarum quas vocamus repetitur : quoniam in aeternum misericordia eius, ita simili ratione in nostro hymno recurrit : laudate et superexaltate eum in saecula; v. 57 « *benedicite omnia opera Domini Domino; laudate et superexaltate eum in saecula!* v. 58 *benedicite angeli Domini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula!* v. 59 *benedicite coeli Domino; laudate...* » ! — apud Theodotionem v. 58. 59 inverso ordine leguntur, ita ut coeli priore loco ponantur; si coeli sensu amplissimo intelliguntur, illa collocatio eo commendatur, quia notio magis generalis merito locum occupat priorem; apud LXX et *vulg.* ratio dignitatis praevalet; angeli, creaturae nobilissimae, chorum ducunt in Dei laude; dein explica coelos sensu strictiore, qui statim in v. 60 apparet v. 60 « *benedicite aquae omnes quae super coelos sunt Domino; laudate...* »! — cf. Gen. 1,7; 7,11 :cataractae coeli apertae sunt; Ps. 148,4. Is. 24,18. Ier. 10,13 : ad vocem suam dat multitudinem aquarum in coelo; cum regio aeris etiam vocetur coelum, uti patet in dictione *volucres coeli*, intelligi debent nubes et vapores (*Per.*); veteres utique aquas etiam supra coelum stelliferum constitui existimabant; vide v. g. *Lap.* ad Gen. 1,6 et *Calm.* scribit : veteres Hebraei simplices et meras aquas, fluidas et eiusdem plane cum ceteris naturae super coelum constituerunt; id plane in ipsa Scriptura ultro

innui videtur; idque maiori veterum Patrum parti arrisit (dissert. de systemate mundi vet. Hebr.). Apud LXX legitur ὕδατα καὶ πάντα τὰ ἐπάνω τοῦ οὐρανοῦ; sed illud καὶ ab aliis testibus (vet. lat. vulg. Syr. Ar) non habetur.

Dein cuncta coeli militia ad laudem Dei provocatur v. 61 « *benedicite omnes virtutes Domini Domino; laudate...* v. 62 *benedicite sol et luna Domino; laudate...* v. 63 *benedicite stellae coeli Domino; laudate...* »! — virtutes, δυνάμεις (vel uti apud Theodotionem etiam legitur δύναμις) explicare oportet ex hebr. צָבָא quae vox saepissime eo modo graece redditur; ita Iahve sabaoth plerumque vertitur Dominus virtutum, praesertim in psalmis; sed etiam vox in numero singulari posita צבא exprimitur graece per δυνάμεις; vide Is. 34,4. Quare explanabis exercitum vel militiam vel ornatum coelorum, ita ut ea voce cuncta comprehendantur quae in regione coelesti vel stellifera Dei nutui praesto sunt; cf. Is. 40,26 : educit in numero militiam eorum et omnes ex nomine vocat; Bar. 3,34. 35 : stellae dederunt lumen in custodiis suis et laetatae sunt; vocatae sunt et dixerunt : adsumus et luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas. — Porro varia illa enumerantur quae in regione sublunari efficiuntur v. 64 « *benedicite omnis imber et ros Domino; laudate...* v. 65 *benedicite omnes spiritus Dei Domino; laudate...* »; — πάντα τὰ πνεύματα i. e. venti omnes; cf. Ps. 148,8 : spiritus procellarum; « venti laudant Deum quia magnus est eorum usus et utilitas » (*Lap.*); ita bene de ventis explicant *Theod. Mald. Sanct. Per. Lap. Men. Calm. Loch, Troch.* etc.; v. 66 « *benedicite ignis et aestus Domino; laudate...* v. 67 *benedicite frigus et aestus Domino; laudate...* v. 68 *benedicite rores et pruina Domino; laudate...* v. 69 *benedicite gelu et frigus Domino; laudate...* v. 70 *benedicite glacies et nives Domino; laudate...* »! — textus hic fere cum LXX congruit, excipe tamen quod in v. 67 non *aestus* sed ψῦχος habetur, quae vox iterum in v. 69 recurrit; ceterum apud Theodotionem legitur ψῦχος καὶ καῦμα in v. 69, frigus et aestus; apud LXX ῥῖγος καὶ ψῦχος; hoc ex hebr. קרח וקר, illud ex קרח ויקד fluxisse videtur (*Wiederholt*). Cum in v. 66 ignis et aestus iungantur, in v. 67 textus LXX praeferendus videtur quo pariter similia inter se sociantur. In textu Theodotionis prout legitur in codice vaticano et cui quoque *Syrus* et vet. lat. concordant non habentur v. 67 et 68 et alius quoque versuum ordo cernitur : v. 66. 71. 72. 69. 70. 73 secundum numerationem *vulg.*; evitatur igitur quaedam earundem rerum repetitio, ita ut textus Theodotionis praestet una illa emendatione in v. 69 ex LXX adiecta. Qui fuerit textus primitivus

coniectura valde probabili statui potest; hymnus enim certo ordine est conscriptus in quo easdem res saepius esse recensitas non poteris supponere. Quare collatis inter se textibus LXX et Theodotionis dices poni ignem et aestum, gelu et frigus, glacies et nives i. e. v. 66. 69. 70 *vulg*. reliquis omissis.

Uti vicissitudo tempestatis (v. 66-70), ita diei noctisque laudem Dei celebrare iubetur v. 71 « *benedicite noctes et dies Domino; laudate*... v. 72 *benedicite lux et tenebrae Domino; laudate*... v. 73 *benedicite fulgura et nubes Domino; laudate*... »! — apud Theodotionem fulgura et nubes melius collocantur ad reliqua quae tempestatem variam designant, scil. post frigus et aestum, pruinas (πάχναι) et nives. Noctes priore loco ponuntur quia Hebraei diem a vespera incipiebant (cf. Gen. 8,22. Deut. 28,66. 1 Reg. 25,16. 3 Reg. 8,29. Neh. 1,6; 4, 22. Is. 27,3; 34, 10. Act. 26,7. 1 Thess. 2,9; 3,10 etc.); adiungitur chiastice v. 72 : lux et tenebrae.

Dein transitur ad terram et ad ea quae in ea reperiuntur v. 74 « *benedicat terra Dominum; laudet et superexaltet eum in saecula;* v. 75 *benedicite montes et colles Domino; laudate*... v. 76 *benedicite universa germinantia in terra Domino; laudate*... v. 77 *benedicite fontes Domino; laudate*..., v. 78 *benedicite maria et flumina Domino; laudate*... v. 79 *benedicite cete et omnia quae moventur in aquis Domino; laudate*... v. 80 *benedicite omnes volucres coeli Domino; laudate*... v. 81 *benedicite omnes bestiae et pecora Domino; laudate*... »! — apud Theodotionem et in vet. lat. maria (vel mare) et flumina ponuntur ante fontes, qui ordo non displicet, quia quae sunt ampliora vel magis generalia priorem locum in hoc carmine sibi vindicare solent; vide v. 57. 74. 82. Apud LXX adduntur in v. 77 ὄμβροι, forte quia imbribus fontes redduntur perennes, et in v. 81 praeter omnes bestias τὰ κτήνη τετράποδα καὶ θηρία τῆς γῆς; θηρία intellige bestias feroces, κτήνη cicures et domesticas, iumenta, uti vet. lat. habet.

Demum ipsi quoque homines generatim, dein populus electus eiusque ordines varii ad Dei praeconia concinenda invitantur v. 82 « *benedicite filii hominum Domino; laudate*... v. 83 *benedicat Israel Dominum; laudet et superexaltet eum in saecula;* v. 84 *benedicite sacerdotes Domini Domino; laudate*... v. 85 *benedicite servi Domini Domino; laudate*... v. 86 *benedicite spiritus et animae iustorum Domino; laudate*... v. 87 *benedicite sancti et humiles corde Domino; laudate*... »! — de populo Israel speciali mentione efferuntur ii qui vi muneris ad Dei laudes canendas tenentur et nomine populi eas persolvunt : sacerdotes et servi, quos levitas aliosque templi servos, na-

thinaeos (cf. 1 Par. 9,2. Esdr. 2,43; 7,7; 8,20 etc.) dici probabilissimum est. Cum in v. 87 et seq. sermo continuetur de hominibus inter vivos constitutis, vix assumi potest cum *Theod. Calm.* intelligi in v. 86 animas sanctorum a corpore segregatas; verum satius erit verba ita explicare, ut iusti omnibus suis viribus animi et corporis Deum laudare iubeantur; πνεύματα igitur intellige intellectum et voluntatem, ψυχάς vires in sensibus positas et in corpore vivo residentes vel affectus et appetitus quos inferiores et sensitivos vocant. Tali enim partium divisione significari solet totum hominem cum omnibus suis facultatibus totaque indole se Dei laudi et gloriae promovendae consecrare debere; simili modo enumeratur spiritus, anima, corpus 1 Thess. 5,23 et in praecepto de dilectione Dei recensentur cor, anima, mens, virtus tota (Marc. 12,30) et vide Hebr. 4,12. Ex eiusmodi partium distributione et enumeratione magna dicendi vis enascitur eaque uti solemus si quid toto conatu et omni contentione fieri vel peragi volumus; unde ridiculum est cum *Fritzsche* colligere ex mentione spiritus et animae trichotomiam quam vocant clare h. l. supponi ac doceri a s. auctore.

Post eos qui vi muneris ad Dei praeconia deputati sunt, ii nominantur qui speciali modo Deo accepti ideoque quam maxime apti sunt ut dignas Deo laudes persolvant : iusti, pii, afflicti; voce ὅσιος saepe redditur חָסִיד qua appellatione praeprimis pii Dei cultores designantur; quare eadem significatio etiam hic erit praeferenda. Vocabulo ταπεινός (humilis) redditur satis frequenter עָנִי et עָנָו afflictus, oppressus, miser, pauper; cum addatur *corde*, is describitur qui corde tristis et dolore magno afflictus est. Talis autem si aerumnas aequo animo fert singulari ratione Deo est acceptus; ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu (Is. 66,2)? tali peculiari modo consolationes Dei promittuntur (Is. 61,2. 3. Matth. 5,5). — Sacerdotes *Domini*, servi *Domini* legitur apud Theodotionem in plerisque codicibus (excepto vaticano); idem praebent versiones veteres; LXX : sacerdotes *servi* Domini, sed in v. 85 εὐλογεῖτε δοῦλοι τὸν Κύριον.

Denique ab ipsis iuvenibus carmini aliqua adduntur quae e praesenti opportunitate quasi sua sponte nascuntur v. 88 « *benedicite Anania, Azaria, Misael Domino; laudate et superexaltate eum in saecula! quia eruit nos de inferno et salvos fecit de manu mortis et liberavit nos de medio ardentis flammae et de medio ignis eruit nos;* v. 89 *confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius;* v. 90 *benedicite omnes religiosi Domino, Deo deorum; laudate et confitemini ei, quia in omnia saecula misericordia eius* » ! —

de inferno, ἐξ ᾅδου i. e. ex scheol quo nomine domicilium mortuorum designari solet; in tale enim discrimen proiecti sunt, ut nisi Deus miraculo opem tulisset iam in scheol habitarent. Verba in v. 89 deprompta sunt ex Ps. 105,1; 106,1; 117,1; 135,1 seq. 1 Par. 16,34. 41. 2 Par. 7,3. 6; 20,21. Unde hoc quoque versu comprobatur iuvenes Deo laudes et gratias persolvisse precandi formulis in usu positis. In fine demum omnes σεβόμενοι, omnes Dei cultores invitantur ad Deum laudandum qui apte vocatur Deus deorum, cum salute cultoribus suis mire praestita suam suorumque causam contra idololatras egregie tuitus sit. Iuvenes autem dum misericordiam Dei repetito celebrant aperte profitentur, non suis meritis, sed gratia et favore Dei miserentis gratuitoque salvantis sibi obtingere incolumitatem.

e) **Rex potentiam Dei admiratur 3, 91-97.**

Prae flammarum globulis qui ex maximo illo incendio erumpebant (v. 19. 22. 46-48) diutius nihil conspectum esse ex iis quae in media fornace fiebant satis per se patet; unde donec vastum illud incendium consumpta materia paulatim imminueretur, tempus erat sufficiens cantico illi recitando. Quare temere aliqui obiiciunt quaerentes quomodo toto illo tempore ad orationem fundendam impenso neque rex neque ceteri animadverterint iuvenes salvos sanosque in fornace consistere? quasi hac ratione ostenderent perperam intrusum esse hymnum. Verum res uti in aliis textibus excepto hebraeo habetur optime consistit. Nam quis non videt eos qui a longe fornacem spectabant diutius prae incendii magnitudine nihil nisi flammas erumpentes fumique turbinem potuisse aspicere et solum post aliquod tempus imminuta flammarum vi fieri potuisse, ut quis per ostium fornacis prospiciens iuvenes in media fornace stantes animadverteret? Necessario igitur tempus aliquod interponi oportet inter v. 23 et 91. Quare post precationem iuvenum optime sequitur v. 91 « *Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit et surrexit propere et ait optimatibus suis : nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? qui respondentes regi dixerunt : vere rex;* v. 92 *respondit et ait : ecce ego video quattuor viros solutos et ambulantes in medio ignis et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis filio dei* » ! — apud LXX et Theodotionem etiam effertur regem eos audisse concinentes hymnum. Cum quattuor cernat in fornace, interrogat, ut certus sit solum tres esse in ignem missos. Quarti speciem et figuram maiestate prae reliquis eminentem describit dicens eum forma et splendore genus referre divinum, eum esse filium deorum; ita scil. verte et explica בר אלהין, uti

teste *S. Hier.* etiam Symmachus reddidit, id quod ad regis cogitandi rationem plane convenit. LXX angelum Dei pro filio exhibent. Censent veteres multi ipsum Dei Filium ad iuvenes in fornacem descendisse (cf. *S. Hier. Per. Mald.*); at ex v. 49 angelus Domini descendit et angelus Domini quamvis saepe personam Dei gerat et Dei nomine loquatur, tamen nequit dici Filius Dei, sed vere angelus erat (vide quae dixi ad Is. 63,9). Ceterum adverte eam sententiam de quarto clare ostendere in textu hebr. esse lacunam et necessario in primo textu praecessisse id quod apud LXX, Theodotionem et in *vulg.* v. 49 legitur. Censent *S. Hier. Mald. Sanct.* eos optimates quorum accusatione in fornacem missi sint etiam a rege esse interrogatos, idque consilio divino factum, ut eorundem confessione immunes extraherentur; at ex textu id colligi nequit, cum in v. 8 solum viri Chaldaei accusatores nominentur, nostro autem loco rex interroget הדברוהי quam vocem alii de consiliariis regis, alii de aulicis explicant; Theodotio μεγιστᾶνες, LXX φίλοι reddunt. Pronum est e re ipsa eos intelligere qui ex aulicis proxime regi adstabant. Ceterum vide ad v. 94, in quo iidem quarto loco inter magistratus et praefectos nobiles recensentur. — De ipso miraculo audi *S. Hier.* : « rursum dicam : o quam sapiens ignis, quam inenarrabilis Dei potentia! vinculis stricta sunt corpora, uruntur vincula, corpora non uruntur »!

Rex iam agnoscit potentiam Dei v. 93 « *tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis et ait : Sidrach, Misach et Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini et venite! statimque egressi sunt Sidrach, Misach et Abdenago de medio ignis* »; — cur et per quem servati sint incolumes profitetur eos vocans servos Dei altissimi, qua Dei appellatione Deum reliquis diis superiorem et potentiorem agnoscit; LXX id explicite offerunt οἱ παῖδες τοῦ θεοῦ τῶν θεῶν τοῦ ὑψίστου. Eos incolumes mirantur omnes v. 94 « *et congregati satrapae et magistratus et iudices et potentes regis contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum et capillus capitis eorum non esset adustus et sarabala eorum non fuissent immutata et odor ignis non transisset per eos* »; — de nominibus dignitatum vide ad v. 3; sarabala in v. 21 *S. Hier.* vertit braccas; vocem peregrinam σαράβαρα LXX et Theodotio retinuerunt. Vide quomodo plane ad naturam conformetur narratio; fit enim in re mira et stupenda ut singula magna animorum admiratione iterum iterumque examinentur; ita illi ne vestigium quidem ignis vehementissimi in ulla re inveniri haud satis mirari possunt. Et cum eos ita coram se praesentes adstare videret rex, eventus magnitudinem magis magisque percipiens ipse quoque in Dei laudes prorumpit v. 95 « *et erum-*

pens Nabuchodonosor ait : benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach et Abdenago, qui misit angelum suum et eruit servos suos qui crediderunt in eum et verbum regis immutaverunt et tradiderunt corpora sua ne servirent et ne adorarent omnem deum excepto Deo suo; v. 96 *a me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus et lingua quaecumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago dispereat et domus eius vastetur; neque enim est alius Deus qui possit ita salvare* »; — laudat rex iuvenes quod patrio suo deo tanto studio fideles fuerint, ut cum ipso vitae discrimine alium deum colere renuerint; dein etiam fatetur non esse alium deum adeo potentem, ut ex tali periculo possit suos cultores servare. Loquitur itaque rex uti ex gentium opinione res considerabatur : patrius deus quem Sidrach colit cultori suo opem tulit pro fide servata; verum longe abest ab agnitione *unius* Dei et vanitatis idolorum. Unde etiam in decreto non huius Dei cultum praescribit, sed solum ne blasphemetur prohibet. — Verbum i. e. mandatum regis *immutare* i. e. negligere, transgredi. Hoc itaque decreto Iudaeis concedebatur, ut reos agerent coram iudicibus quicumque opprobria iacerent in Iahve; itaque ut idem facerent quod viri Chaldaei contra iuvenes faciebant v. 8. Poena proponitur, ut in frusta fiat, in frusta concidatur et domus eius in sterquilinium vertatur (*Vat. Mar. Calm.*); cf. 2,5.

Iuvenes autem illos favore suo prosecutus rex ad ampliores dignitates provexit v. 97 « *tunc rex promovit Sidrach, Misach et Abdenago in provincia Babylonis* »; — proprie ex textu : prosperum successum eis dedit, eos fecit prosperare, eos reddidit felices; Theodotio κατεύθυνε; *S. Hier.* : « qui dicunt supra tres pueros non iudices provinciarum sed praefectos operum singulorum fuisse in Babylone, hic volunt etiam eos provinciarum iudices constitutos »; secundum LXX constituuntur ἄρχοντες et accipiunt potestatem super totam regionem. In qua re prosper ille successus constiterit, s. auctor non refert, cum eius consilium in rei narratione solum fuerit ostendere, quomodo Deus suam potentiam gentibus manifestaverit et servorum suorum fidem eximie remuneratus suos a periculo eripuerit. Hoc eventu religio et cultus Iudaeorum in tuto collocabatur et si qui ex Chaldaeis persecutionem in Iudaeos movere in animo habebant, a proposito suo sibi iam esse quantocius recedendum intellexerunt regis decreto promulgato. Itaque comprobatur quantam Deus curam exsulum gesserit. Notat *Hip.* : « ut enim Deum ipsum glorificaverunt dum sese morti traderent, sic vicissim ipsimet non tantum a Deo sed etiam a rege glorificati sunt et alienae barbaraeque gentes Deum colere didicerunt ». *Theod.* addit eos iuvenes

praepositos esse omnibus Iudaeis in regno Nabuchodonosor; « tanta sui colendi studiosos providentia Dominus gubernat; et merito exclamabant hi sancti adolescentes : non est confusio iis qui in te confisi sunt! hinc nos etiam tantam habeamus spem, ut omni creaturae simul opificem et gubernatorem praeferamus, sintque nobis beati hi adolescentes utilitatis exemplum, pietatis exemplar, duces ad Deum et ad ea quae a Deo iis qui digni sunt suppeditantur »!

3. *Somnium et insania regis* 3, 98-4, 34.

ARG. — Narrat rex somnium quod habuerit de arbore magna ab angelo succisa (3,98-4,15); quod somnium Daniel interpretatur de ipso rege, cui castigatio divina immineat, ut morbo insaniae percussus bestiae in modum vivat per aliquod tempus nisi peccata sua expianda curaverit (4,16-24); uti praedictum erat ita regi evenit; poena autem illa emendatus Deo supplicat et regno restituitur (4,25-34).

Morbi genus quo rex correptus est 4,22. 30 est insania zoanthropica quae vocari solet vel lycanthropia aut potius boanthropia. Constat enim et veterum testimoniis et recentiorum medicorum experientia fieri quandoque, ut homines eo insaniae ac mentis perturbationis genere corripiantur quo sibi videantur mutati esse in aliquam bestiam, ita ut lupi, canis, felis aliarumque bestiarum voces modosque se gerendi imitentur. Id praeprimis saepius observatum est in iis qui a bestiis rabie correptis mordebantur; aliqui qui v. g. rabidi canis morsu laesi erant incipiebant more canino latrare, manibus pedibusque incedere; alii quos a rabiosis lupis, vaccis, suibus, felibus, gallis laesos esse perhibent horum animalium voces, motus, vivendi et se nutriendi rationem imitatione exprimebant (vide eius rei exempla et testimonia apud *Friedreich,* Zur Bibel, 1848 I p. 315). Sed idem etiam obtingere potest mentis quadam abalienatione et perturbatione. Varia eius amentiae exempla collegerunt *Pusey,* Daniel the Prophet, Lecture 7, *Friedreich* l. c. *Vigouroux, Heb.* p. 160. 161.

Cum igitur constet eiusmodi amentiam quandoque inveniri, non erit dubitandum quin quod de rege hoc capite narratur ad talem insaniam referendum sit. Regem amentia esse percussum plerique interpretum statuunt. Ita iam *S. Ephr.* notat ad 4,30 regem propter amentiam suam et tumultuationem ab hominibus esse eiectum; simili modo *Theod.* eum φρενοβλαβείᾳ καὶ παραπληξίᾳ esse percussum, *S. Hier.* in amentiam versum esse docent. Eadem ratione loquuntur *Mald. Sanct. Sa, Est. Per. Mar. Lap. Men. Gord. Tir.* etc.; eius morbum

lycanthropiam vocat *Calm.* in dissertatione de metamorphosi Nabuchodonosoris et eodem nomine recentiores rem designare solent vel eam generatim insaniam zoanthropicam appellant. Quamdiu rex in ea mentis perturbatae conditione fuerit, definiri nequit, cum non constet quomodo *septem tempora* 4,29 sint explicanda. Dum eo morbo laborabat, in hortis et silvis illis oberrasse eum censendum erit quae palatium regium circumdabant. Eius autem insaniam non omnino populum babylonium latere potuisse, praesertim si per longius tempus protrahebatur, facile intelligitur. Si autem ea de re rumores varii sparsi erant, prorsus consultum erat ut rex sanitati restitutus rem prout erat populo proponeret; id quod eo facilius fieri potuit quia morbus eius divinitus praenuntiatus et divino beneficio iterum ablatus erat; unde regi non tam dedecori sed potius honori cedere apud populum videri poterat.

Publico igitur regis decreto eventus ille annuntiatur, quod edictum in libro Danielis hoc loco refertur. In parte priore 3,98-4,15 et in fine 4,31-34 ipse rex loquitur; quare has partes ipsum illud edictum nobis exhibere non est cur in dubium vocetur. Sed quaeri potest num in media quoque parte ipsius edicti verba referantur. Subito enim a v. 16 seq. alius apparet dicendi modus; iam non ipse rex loquens inducitur, sed de eo refertur, uti in narratione solet: rex ait... omnia haec venerunt super regem... in aula Babylonis deambulabat etc. Quare non videtur improbabile mediam illam partem nobis non ipsius edicti verbis proponi, verum Danielem id suis verbis fusius accuratiusque narrare quod forte in ipso decreto solum paucis et strictim innuebatur magis quam indicabatur. Satis enim probabile videtur regem de ipso morbo pauca solum fecisse verba nec tam explicite belluinam vivendi rationem descripsisse nec aperte monuisse a se neglectum esse quod Daniel suasisset ad castigationem divinam a se avertendam. Quae omnia Daniel narratione sua complevit. Ipso autem diverso scribendi modo in v. 16 et deinceps satis indicat Daniel a se iam non verba regis referri. Id mihi saltem probabile videtur. Alii tamen omnia ipsis edicti verbis describi existimant; at nullibi reperire potui quomodo mutatus ille narrandi modus commode explicaretur. Nam quod aliquibus placuit (*Kliefoth, Rohl.*) regem tertia loqui persona de se quia in amentia sui non compos nec sibi conscius fuisset, magis subtile est neque ad v. 16 applicari potest. Quare non reprehendendus videtur *Lenormant* qui v. 16-30 scriptori Iudaeo attribuit, *Loch, Vigouroux* saltem v. 25-30 narratori adscribunt; *Heb.* autem probabile existimat regem superbia insignem in hac ipsa epistolae parte v. 16-30 de suo morbo quaedam minus sincere aut saltem brevius retulisse, auctorem vero libri ne falsi quid-

quam et ipse docere videretur vel ut plenior esset narratio, historiam rerum gestarum huic regiae orationi proprio marte substituisse.

Iam *S. Hier.* commemorat ab aliquibus obiici nihil tale in historiis Chaldaeorum contineri, idque etiam a quibusdam recentioribus repetitur. Sed iam *Per. Mald. Sanct.* respondent nos Chaldaeorum historiam minime integram dilucidamque habere; atque revera ita res se habet. Berossi qui tempore Alexandri magni vixit pauca solum restant fragmenta apud Iosephum, Eusebium aliosque servata; verum neque Iosephus neque Eusebius ipsos Berossi libros adhibebant, sed solum ex iis hauriebant quae Alexander polyhistor ex iis excerpserat. Proinde minime mirum est, si nullum de ea re Berossi testimonium afferri potest; immo regis morbus fortasse non adeo diu duravit, Daniel vel quicumque demum interea res regni administrabant, cum scirent regem sanitati iri restitutum, nomine regis gubernabant; si igitur tempus illud sine ulla rerum perturbatione transigebatur, minime erat, cur morbus ille posterioribus rerum scriptoribus innotuisset. Praeter Berossum Iosephus commemorat annales Phoenicum et Philostratum, Megasthenem et Dioclem qui de rege Nabuchodonosor narraverint. Sed certe nemo iure exspectabit apud hos de morbo illo mentionem factam esse. Annales Phoenicum et Philostratus ea solum referebant quae rex contra Phoenices gessit; Megasthenes autem rerum indicarum, Diocles persicarum commentarios scripserunt, qui igitur minime censendi sunt res regis accuratius perscripsisse.

At in fragmento quodam Abydeni quod nobis Eusebius servavit (Praep. ev. 9,41; *M.* 21,761) eius morbi vestigium et memoriam deprehendi verosimile est. Refert enim Abydenus a Chaldaeis tradi Nabuchodonosor expeditionibus bellicis peractis cum palatium conscendisset divinitus afflatum oraculum hoc effudisse : « persicus veniet mulus qui daemonum vestrorum usus auxilio durum cervicibus vestris iugum imponet; atque huius cladis auctor erit etiam Medus, quo antea Assyrii magnopere gloriabantur. Utinam ipse priusquam cives meos ita proderet... abreptus invias per solitudines erro vagaretur, ubi nullius neque urbis neque hominis vestigium appareat, sed ferae dumtaxat libere pascantur volucresque circumvolent, adeoque solus inter scopulos ac voragines iactaretur... haec effatus hominum ex oculis repente sublatus evanuit ». Qua in fabula aliquid latere videtur morbi illius atque insaniae regis. Primum quod narrationem Danielis nobis in memoriam revocat est quod ἀναβὰς ἐπὶ τὰ βασιλήια a numine divino corripitur; in regio palatio deambulans urbemque magna superbia contemplatus plaga divinitus inflicta percutitur. Quod Chaldaei ferunt eum divinitus correptum oraculum fudisse, ex eo ortum esse potest

quia revera somnio quodam prophetico ipse suam sortem sibi indicari divinitus expertus est; praeterea morbus ita praedictus et coelitus inflictus postea ab adulatoribus vel ab iis qui omnia in laudem regis et suae gentis vertere gestiebant, tamquam afflatus quidem divinus quo rex esset correptus repraesentari potuit. Alterum quod in ista fabula singulare est, in eo consistit quod adversario illi et hosti venturo praecise illam imprecatur poenam quam ipse subiit. Num fortuito mythum hunc excogitatum esse dicemus? Nonne propius adiacet subesse ibi rei olim factae memoriam, verum id quod in proprio rege ignominiosum videbatur ita esse demum transmutatum, ut rex id imprecaretur adversario? Tertio denique notandum est dici παραχρῆμα ἠφάνιστο: repente disparuit; id quod cum rex amentia illa subito corriperetur, subditis suis extra aulam regiam degentibus ita videri necessario debuit. Hoc saltem aequus rerum existimator concedet narratione Danielis supposita quid fabulae illi apud Abydenum subsit facile deprehendi, neque minus quomodo ex eventu illo fabula sit exornata.

Praeterea mentione haud indignum est quod *Oppert* (Expédition en Mésopotamie I p. 187) proposuit et quod aliis quoque haud improbabile videtur. Neriglissor enim, gener Nabuchodonosor regis et post Evilmerodach rex babylonius, patrem suum Bel-zikir-uskum, in monumentis publicis vocat regem Babylonis. At nullibi eius pater in serie regum babyloniorum recensetur; ex altera parte nequit assumi sine ullo fundamento ei a filio summum attribui imperium quod olim tenuerit. Id autem eum tenuisse usurpatione, cum Nabuchodonosor regni gubernacula adeo firmiter tractaret, non est probabile. Unde res commode ita expeditur, ut dum Nabuchodonosor morbo erat correptus, regnum administrasse dicatur; inde enim explicatur cur a filio eiusmodi titulo potuerit ornari et cur in serie regum tamen non annumeratus sit. Addi potest aliquibus probabile videri istum Neriglissor vel Nergal-sar-usur esse eundem, de quo Ier. 39,3. 13 (hebr.) et qui rab-mag princeps magorum vocatur (cf. *G. Rawlinson*, History of Herodotus, I p. 425; *Hommel*, Geschichte Bab. und Assyr. p. 777). Iam ex Berosso scimus Chaldaeos i. e. magos post mortem Nabopolassar patris Nabuchodonosor usque ad adventum Nabuchodonosor regis administrasse res imperii (καταλαβὼν δὲ τὰ πράγματα διοικούμενα ὑπὸ Χαλδαίων); unde probabile est etiam tempore amentiae regis magos nomine regis gubernasse vel principem magorum ad regni gubernacula tractanda accessisse. Neriglissor autem erat princeps magorum; quare probabile est eius patrem in eadem fuisse constitutum dignitate; quare ut talis gubernabat nomine regis et regio titulo a filio honoratur. Quae coniectura probabilitate haud carere videtur. Quidquid autem est, id saltem efficitur ex historia nihil colligi posse quod narrationi de regis insania iure opponatur, potius indicia quaedam reperiri quibus comprobetur. Inter ea indicia vero non erit computandum

cum aliquibus quod dicit Berossus de rege Nabuchodonosor : ἐμπεσὼν εἰς ἀρρωστίαν μετηλλάξατο τὸν βίον; putabant enim in eo aliquid peculiare cerni debere quod dicat regem in infirmitatem incidisse, quia vires in senectute deficere hominesque ante mortem defectu virium laborare communis sit mortalium sors, quam proinde in rege non speciali modo commemorasse opus erat, nisi singularem quandam atque insuetam voluisset indicare infirmitatem. At tale quid frustra adverti statim existimabis, si recordatus fueris eundem Berossum simili modo de morte patris, de Nabopolassar, scripsisse : τῷ δὲ πατρὶ αὐτοῦ συνέβη... ἀρρωστήσαντι μεταλλάξαι τὸν βίον.

a) **Somnium regis 3, 98-4, 15.**

A 3,98 novae rei narrationem incipere, in aperto est idque veteres iam bene perspexerunt (cf. *Theod. Mald. Mar. Sa, Lap. Tir. Calm.*). Unde divisio capitum in nostris bibliorum editionibus usitata haud digna est laude. Errorem hunc in modum ortum esse *Mald.* censet : « eos qui haec duo capita secuerunt illud forte fefellit quod cum v. 96 de regis decreto mentio facta esset, statim forma quaedam decreti sequeretur, neque animadverterunt sententiam verbaque dissidere; duo igitur decreta Nabuchodonosor posuit; alterum propter miraculum fornacis cuius verba propheta non recitat, alterum ob interpretationem somnii ». In priore et ultima edicti parte locutiones leguntur quae prope ad dicendi genus in s. litteris usurpatum et a Daniele adhibitum accedunt; ita quae de signis ac miraculis dicuntur, pariter : regnum eius regnum sempiternum et potestas eius in generationem et generationem (3,100 et 4,31 cf. Dan. 2,44; 7,14. Ps. 144,13) et quae 4,32 habentur fere ex Is. 40,17; 24,21; 43,13 deprompta esse videntur. Quare aliqui opinati sunt edictum hoc ab ipso Daniele esse compositum et a rege promulgatum. Verum quominus eius auctorem Danielem dicamus, aliis prohibemur locis quos quomodo Daniel conscripserit explicari nequit; nam 4,5 aperte notiones idololatricae proponuntur et eae quidem non in sermone regio, uti 4,6, sed in ipsa narratione; quare existimari nequit eam sententiam esse a Daniele profectam. At similitudo illa aliter declarari potest. Cum Nabuchodonosor laudem Dei Danielis hoc edicto populis annuntiare vellet, censeri potest quaesivisse ex Daniele qua ratione iste Deus de se sermonem fieri vellet; quo facto illas sententias Daniel regi suggessit vel scribas regios eas iussit litteris consignare. Qua in opinione nihil est a verosimili alienum. Si enim agitur de modo quo deus aliquis coli vult, eius dei sacerdos interrogatur; simili ratione pronum est assumere a rege qui de Deo Israel edere edictum volebat interrogatum esse huius Dei prophetam, quomodo de illo Deo sermo et actio gra-

tiarum debeat confici. Praeterea adverte non mirum esse si rex suadente Daniele eas laudes et praeconia Deo tribuit, quia suos quoque deos in aliis edictis verbis amplissimis laudat et celebrat. Ita v. g. in magna inscriptione Nabuchodonosor loquitur : « *Marduk,* deus magnus, exaltavit ad regnum caput meum; ego tibi benedico, ego creatura manus tuae; tu imperium in homines mihi tradidisti; fac ut supremum tuum imperium magis magisque splendeat, adorationem tuae divinitatis propaga... *Ilu*, gloria coeli et terrae, deus summus, deus cui cura est coeli et terrae... *Nabu,* custos legionum coeli et terrae, tradidit manui meae sceptrum iustitiae ad gubernandos homines; dominator supremus qui sceptrum iustitiae confert » etc. (cf. *Brunengo* l. c. II p. 252-255). Ceterum exemplis sat multis constat in aliis quoque inscriptionibus diis et deabus titulos assignari pompa et maiestate insignes.

Quando eventus ille contigerit, accurate nequit definiri. Sed ex ipso edicto elucet accidisse postquam urbem maxima illa pompa et magnificentia exornavit. LXX 4,1 annum 18 regni eius assignant; unde amentiam regis mox post urbem Ierusalem destructam evenisse indicant; sed facile suspicaberis eam temporis determinationem enatam esse ex opinione regem insania esse punitum propter urbem templumque destructum; at haec causa in textu minime assignatur. Cum e contra magnas illas in urbe Babylon aedificationes 4,27 iam factas esse indicetur, tempus posterius oportet assumi. — In ipso edicto primum fausta apprecatur subditis suis et mirabilia Dei in se facta se velle cum illis communicare edicit v. 98 « *Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus et linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur!* v. 99 *signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus; placuit ergo mihi praedicare* v. 100 *signa eius quia magna sunt et mirabilia eius quia fortia, et regnum eius regnum sempiternum et potestas eius in generationem et generationem* »; — textum verte : signa et mirabilia quae fecit mecum Deus excelsus placet mihi praedicare; signa eius quam magna! et mirabilia eius quam potentia! qui modus loquendi magis aptus est ad admirationem regis modo sanati describendam, postquam omnia quae ei in somnio et per Danielem praedicta erant in se expertus est. Praemittit salutationem[1], uti Esdr. 4,17; 7,12 fit; uti Romani imperium suum orbem terrarum vocabant, ita ille quoque regnum suum amplissimum communi quadam exaggeratione designat; ceterum vide de illa enumeratione 3,4.

1. In inscriptionibus cuneiformibus edictum quoddam regium ab his verbis incipit : salutatio mea delectet cor vestrum; *Meinhold* ad h. l.

Signa et prodigia dictio est in s. litteris saepius obvia Deut. 6,22; 7, 19 etc.; quae sicut reliqua in v. 100 ad Danielem, uti supra dixi, commode refertur quippe qui regem docuerit quomodo de Deo Israel et operibus eius loqui oporteret. Qua opportunitate veri Dei gloria et potentia gentibus annuntiatur, uti antea etiam saepius v. g. per Ionam prophetam declarata est.

Iam quae signa et portenta in se facta sint exponere aggreditur 4,1 « *ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea et florens in palatio meo;* v. 2 *somnium vidi quod perterruit me et cogitationes meae in strato meo et visiones capitis mei conturbaverunt me* »; — רַעְנַן proprie *virens* de arbore virente, cui saepius res prosperae comparantur; Ps. 1, 3. Ier. 17,8; quae comparatio h. l. propter somnium v. 8. 9 proxime adiacet. In terrore illo iam innuitur somnium non fuisse vulgare, verum maius aliquid eo portendi, idque divinitus immissum (*Mald.*), cum apparitio divina terrorem soleat incutere. Plurali numero cogitationes dicit et visiones quia uno somnio multa vidit, quibus animus in varias cogitationes et angustias coniiciebatur. De locutione vide 2, 28; 7,15. Quare interpretes somniorum qui se esse iactabant convocat v. 3 « *et per me propositum est decretum ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis et ut solutionem somnii indicarent mihi;* v. 4 *tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldaei et aruspices et somnium narravi in conspectu eorum et solutionem eius non indicaverunt mihi,* v. 5 *donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel cui nomen Baltassar secundum nomen dei mei qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso et somnium coram ipso locutus sum* »; — de טעם vide quae notavi ad Ion. 3,8 (Proph. min. I p. 383); nomina in v. 4 vide 2,2. 27. Quaerunt, cur non statim ab initio Daniel sit vocatus, cum rex experientia doctus tamen sciverit magos non posse interpretari somnia. At scimus regem prout inscriptionibus suis palam et saepe profitetur magna religione veneratum esse Marduk deum magnum et Nabu dominatorem supremum et Ilu gloriam coeli et terrae et Nana deam magnam et Rammam deum qui abundantiam praestet regionibus et Sin qui iudicia dirigat et Samas qui sensum inspiret iustitiae etc. (cf. *Brunengo* l. c. p. 255). Unde consequens erat ut servis deorum ac sacerdotibus etiam vim quandam et potentiam adscriberet, qua a diis essent insigniti vel quam a diis sacrificiis et supplicationibus impetrare possent. Uti igitur rex post rem cap. 2 narratam minime recessit a cultu deorum, ita minime abiecit superstitionem qua magis et incantatoribus vim quandam numinis inesse credebat. Magos igitur esse vocatos non est quod miremur. Id potius mirum videri potest eiusmodi veteratores somnio narrato non prompte ali-

quam rerum explicationem commentos esse. Sed cum tam multa et varia somnio exhiberentur, opinari licet eos non statim invenire potuisse unam explicationem omnium rerum continuam et bene cohaerentem quae obvia sua probabilitate commendaretur et regi probari posset. Rem debere proponi et fingi quae regem et imperium spectaret sane perspexerunt; at qualem? profecto difficile erat omnia concordi ratione ad unum eventum faustum redigere. Haerebant igitur magi, titubabant, inter se dissentiebant, nihil quod inter se connexum et aptum esset proferebant.

Cur Daniel non statim cum reliquis advocatus sit, vario modo declarant. Eum fuisse aliqui monent principem magorum; principem autem non omnibus magorum comitiis interfuisse, sed solum ad res maiores et graviores accitum esse. At nonne somnium quo rex adeo perturbabatur res maior et gravior videri potuit? Alii censent regem prius consulto explorare voluisse possentne magi sua scientia rem enodare; esse enim e rei natura ut prius subsidia adhibeantur humana, quibus deficientibus ad altiora ac divina recurrere soleant homines. Alii prae festinatione Danielem non esse vocatum qui forte ubinam esset non statim inveniri potuerit probabile existimant, vel regem oblitum esse quid olim Daniel praestitisset ideoque eius solum esse recordatum, cum reliqui magi haererent ancipites. Demum *Kranichfeld* prophetam consulto a rege non esse vocatum opinatur, quia rex suspicatus quid a Deo Israel sibi eo somnio portenderetur antea explorare voluerit, possetne ope magorum infaustum illud omen averti vel in partem faustam trahi. Quae explicatio subtilior est. Ratio autem cur Daniel non cum magis se regi sisteret eadem fuisse videtur quae cap. 2; rex idololatra somnium ab uno deorum sibi immissum ratus servos atque interpretes deorum accersit; inter hos autem Daniel non connumeratur, neque putandum est Danielem ad ea magorum comitia vel negotia unquam accessisse in quibus suas artes magicas et superstitiosas incantationes et auguria vana exercebant. Unde eo sensu ad magorum consortium vel academiam, ut *Mald.* loquitur, non pertinebat neque in numero augurum et ceterorum qui superstitioso divinandi genere utebantur ille habebatur; quare cum horum convocaretur collegium, hi soli veniebant (sim. *Mald. Rohl.* — aliorum opiniones recenset *Keil*).

Apud LXX a v. 2 usque ad v. 7 cuncta desunt. In v. 5 Theodotio habet ἕως ἦλθε Δανιήλ; *S. Chrys. Theod.* uti etiam codd. 22. 23. 34 al. praebent ἕως οὗ ἕτερος εἰςῆλθεν ἐνώπιόν μου Δανιήλ; ita etiam teste *S. Hier.* (qui tamen falso legit ἑταῖρος et ideo *collegam* interpretatus est) reliqui verterunt. In textu ועד אחרין id quod vertunt *donec postremo*

ingressus est vel *donec tandem* (*Mald. Sa, Mar. Calm. Rohl. Troch. Z. Keil, Meinhold*); *Syrus* praebet solum *usque dum;* Theodotio aliique legerunt אחרן alius, uti *qeri* habet. Cum edictum regium omnibus populis, gentibus et linguis imperii babylonici destinetur, proinde etiam Iudaeis, nomen Iudaeis notum, Daniel, apponitur cui appellatio in aula usitata additur. De nomine Baltassar vide 1,7; cum rex dicat eum secundum nomen dei sui esse appellatum, nomen hoc babylonicum Balatsu-usur non verti debet : vitam eius protege, sed Belit regem protege (vide ad 1,5) vel tamquam per compendium scriptum vel dictum accipiendum erit pro pleniore nomine Bel-balatsu-usur (Bel, vitam eius protege; cf. *Delitzsch* apud Baer p. IX). Hic in *dei mei* et in spiritu *deorum sanctorum* quem Daniel habere dicitur regem idololatram audimus loquentem aperte; neque dici potest cum *M. Geier* designationem deorum *sanctorum* esse haustam ex theologia israelitica; etiam in inscriptionibus phoeniciis dii sancti leguntur (cf. Corpus inscript. semit. I p. 14 lin. 22). Vertit Theodotio πνεῦμα θεοῦ ἅγιον, contra quam versionem iam *S. Hier.* monet in lingua chaldaica legi *elain cadisin* quod deos sanctos significet; « nec mirum si erret Nabuchodonosor et quidquid super se cernit non Deum, sed deos arbitretur »; audierat enim a magis solos deos posse indicare somnium quod rex habuerit 2,11; Danielem igitur spiritum deorum habere sibi persuasit.

Quare cur ab ipso solutionem exspectet declarat v. 6 « *Baltassar princeps ariolorum, quoniam ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te et omne sacramentum non est impossibile tibi, visiones somniorum meorum quas vidi et solutionem earum narra* »! — de compellatione et dignitate Daniel vide 2,48; nullum secretum, nulla res abscondita tibi facit negotium, tibi creat molestiam; visiones narrare idem est quod enarrare, earum pandere vim et significationem, ita ex contextu, cum rex ipse quid viderit exponat; unde *et solutionem* mere est epexegeticum (de quo usu ו vide Ier. 36,27. Lament. 3,26); eodem modo magi intellexerant 2,5. 6. Dein a v. 7-14 exponitur somnium; v. 7 « *visio capitis mei in cubili meo : videbam et ecce arbor in medio terrae et altitudo eius nimia* »; — in textu : visiones capitis mei super stratum meum, scil. quod attinet; in monumentis assyriacis saepe cernitur exsculpta arbor sacra quam duo genii custodiunt; narrat Herodotus Astyagi et Xerxi imagine arboris somnia esse oblata (1,108; 3,19); symbolo cedri apud Ezechielem magnificentia Assur describitur (31,3 seq.); cf. Is. 6,13. Ez. 17,22; 19,10. Arborem hanc magnam cernit rex magis magisque in altum crescere donec fastigio coelum attingere videretur; ita ex textu : *crescebat arbor et*

roborabatur; v. 8 « *magna arbor et fortis et proceritas eius contingens coelum; aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae* »; — ita LXX quoque ἡ ὅρασις αὐτοῦ; adeo magna erat ut usque ad extremum terrae esset conspicua. Theodotio vertit τὸ κῦτος αὐτοῦ, latitudo eius vel ambitus; et eo modo *Z.* quoque חֲזוֹתֵהּ intelligi vult, quae tamen notio a voce aliena est neque eo extunditur quod vocem explicat de spatio quo longissime oculi conspectum ferunt.

Ad arboris proceritatem reliqua accedebant ornamenta v. 9 « *folia eius pulcherrima et fructus eius nimius et esca universorum in ea; subter eam habitabant animalia et bestiae et in ramis eius conversabantur volucres coeli et ex ea vescebatur omnis caro* »; — proprie : *sub ea umbram capiebant bestiae agri* (cf. *Vat. Mar.* et recentiores), id quod ad folium arboris pulchrum vel frondes bene congruit; etiam LXX habent : rami eius longitudine erant quasi stadiorum triginta καὶ ὑποκάτω αὐτοῦ ἐσκίαζον πάντα τὰ θηρία τῆς γῆς. Omnibus igitur et umbram et habitaculum gratum et alimenta praebebat.

Verum alia iam aperitur scena v. 10 « *videbam in visione capitis mei super stratum meum et ecce vigil et sanctus de coelo descendit* »; — etiam hic explica *et* sicuti in v. 6 : vigil vel custos isque sanctus. Eo nomine designantur angeli quippe qui rebus humanis invigilent; LXX h. l. scribunt *angelum* in virtute e coelo esse missum; Theodotio vocem retinuit εἴρ[1]; reliqui interpretes ἐγρήγορον verterunt (cf. *Field*), unde quandoque apud Patres angeli vocantur ἐγρήγοροι. Cum angelus ipse in v. 14 ea voce utatur, rex ex eius sermone nomen hoc didicit neque opus est ad vocis usum declarandum recurrere ad Babyloniorum θεοὺς βουλαίους, de quibus Diodorus siculus 2,30 refert et qui de rebus humanis curam gerere censebantur. Nomen *vigil* vel *custos* alibi ad angelum designandum non adhibetur, at etiam ex appellatione θεῶν βουλαίων nequit explicari; res vero nomine declarata satis exponitur Dan. 10,12-21 in iis quae de angelis provinciarum praepositis narrat, atque angelos sedulo vigilare et curam agere rerum hu-

---

1. *S. Chrys.* explicat εἴρ φῶς μέγα καὶ λαμπηδόνα. Etiam Suidae εἴρ est λαμπηδών; cf. *M.* 56,216 not.; ergo איר? et *S. Hier.* notat : « consuetudo autem graeci latinique sermonis *irin* vocat quae per multicolorem arcum ad terras descendere dicitur ». Et Iob 36,30 אִיר in codice alexandrino τόξον exprimitur. Cotelerius putavit nomen angeli in libro Pastoris Hermae vis. 4, cap. 2,4 referri posse ad ἐγρήγορον male olim exaratum et angelum bestiis praepositum huic Danielis loco originem debere; verum alia vide apud *Funk*, opera Patrum apostolic., ad illum Hermae locum. — Alii עִיר quandoque explicant צִיר *nuntius* Is. 18,2; 57,9. Abd. 1. Prov. 13,17, ita ut hebr. צ sicut solet transierit in aramaicum ע, prout ארץ in ארעא etc.; at obstat acceptio et explicatio veterum quae adeo concors est.

manarum etiam ex Zach. 1,8 seq. 3,1 seq. 4,1 seq. concluditur. Neque in sententia vel decreto vigilum v. 14 fatum continetur τῶν θεῶν βουλαίων, uti contendunt *Z. Keil;* sed sententia haec satis declaratur ex munere et negotio angelorum quod ipse Daniel cap. 10 describit.

Nuntius ille coelo delapsus sententiam in arborem fert v. 11 « *clamavit fortiter et sic ait : succidite arborem et praecidite ramos eius; excutite folia eius et dispergite fructus eius; fugiant bestiae quae subter eam sunt et volucres de ramis eius!* v. 12 *verumtamen germen radicum eius in terra sinite et alligetur vinculo ferreo et aereo in herbis quae foris sunt et rore coeli tingatur et cum feris pars eius in herba terrae;* v. 13 *cor eius ab humano commutetur et cor ferae detur ei et septem tempora mutentur super eum* »! — in v. 12 transitus fit ad rem designatam relicta metaphora, uti saepius adverti potest a tropo subito transiri ad locutionem propriam vel etiam tropum et rem misceri; cf. Ez. 31,11; 32,5. Matth. 22,13. Luc. 12,46 etc. Nam alligari vinculo ferreo et constringi arboris truncum ne fissuras agat et diffindatur, ut explicat *Lengerke,* satis est et ridiculum et superfluum; dein esse in herbis agri vel campi (hebr.) et rore irrigari de arboris stirpe et de ipsa arbore per se intelligitur neque id est arbori nocivum, at in ea rerum serie aliquid enuntiatur quod damnum et vastationem affert. In textu non legitur *alligetur,* sed : et in vinculo ferreo et aereo, in gramine campi, ita ut suppleri debeat *sinite;* Theodotionis versio non praebet *tingatur*, sed *cubabit,* quae vox ad antecedentia membra bene aptatur; *Theod. :* in vinculo ferreo et aereo, in herba, in rore coeli αὐλισθήσεται pernoctabit. Regem amentia captum vinculis quoque esse constrictum plerique ex hoc loco colligunt (*S. Hier. Theod. Mald. Sanct. Calm. Rohl.*); alii vincula metaphorice explicant de ipsa amentiae conditione : sic ille morabitur in ferarum pascuis assidue, sic erit affixus feno in agris quasi eo in loco constrictus esset vinculis ferreis; atque eam vocem quandoque metaphorice usurpari certum est v. g. Ps. 115,16 dirupisti vincula mea, Iob 36,8 vinciri funibus paupertatis, Sap. 17,17 catena tenebrarum omnes erant colligati et nostro loco addi potest postmodum in v. 30 quo de amentia regis narratur nullam fieri vinculorum mentionem. Nihilominus priorem sententiam censeo veram. Furiosum enim et amentem quandoque vinculis esse constringendum patet; morbus quo rex laborabat revera aliquoties rabiem secum affert; reliqua membra v. 12 sensu proprio sunt intelligenda, uti patet et in v. 30 explicite statuitur. In exemplis allatis voce addita (paupertatis, tenebrarum) vel contextu, uti Ps. 115,16 statim usus vocis metaphoricus apparet;

at nihil tale in nostro loco. Neque tamen cogitandum est regem amentem continuo fuisse ligatum; sufficit verbis ut una alterave vice ob maiorem furorem sit vinculis innodatus.

Homines eo morbi genere correptos bestiarum escas devorare experientia comprobatum est[1]; unde regem herbas devorasse non est mirum vel eum, ut v. 30 dicitur, fenum ut bovem comedisse. Neque tamen id ita oportet concipi quasi contra naturam gramine vel feno, tamquam unico alimento per totum amentiae tempus fuerit sustentatus, uti aliqui veterum miraculum statuentes verba intellexerunt. Verbis sua stat veritas, si saepius gramine vel feno vescebatur; praeterea non inutile erit advertere עשׂב *herbam* latiorem habere significationem, ita ut olera et plantae quae ab hominibus comeduntur etiam ea voce comprehendantur; ita Gen. 1,29 ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen et universa ligna, ut sint vobis in escam; item Gen. 3,18. Ps. 104,14 hebr. Iste nisus et appetitus mores, ingenium, vivendi ac comedendi rationem bestiarum imitandi describitur in v. 13 : cor eius mutabitur a corde hominis i. e. sensum et mentem rationemque hominis quasi exuet, induet autem *cor*, sentiendi appetendique modum ferae. Narratur puellam epilepsi laborantem hausto sanguine felis in amentiam incidisse qua se felem esse existimaret et felis vocem gestusque corporis et mures venandi studium assidue imitaretur (cf. *Friedreich* l. c. p. 315); en eiusmodi puella dici potest *cor* hominis iam non habere, sed cor felis.

In ea autem conditione et cum corde ferino *septem tempora* transigere debebit rex. Temporis determinatio est vaga et indefinita; septem dicuntur, cum numerus septenarius tamquam numerus sacer ad opus Dei declarandum adhibeatur et in rebus sacris saepe usurpetur (cf. Gen. 21,28; 41,2 seq. 50,10. Ex. 12, 15; 29,30; 37,23. Lev. 8,11. 33; 13, 4 seq. 15,13 ; 23,15 ; 25,8 etc.). Idem numerus etiam apud Babylonios sacer habebatur; apparet v. g. in septem stellis, ex quibus septem dies hebdomadis nominantur, in septem portis inferi per quas Istar transit, in septem spiritibus etc. (cf. *Lenormant,* La magie chez les Chaldéens p. 17; *Hommel,* Die semitischen Voelker I p. 512; *Tiele,* Bab.-assyr. Geschichte p. 517. 525); immo adverti potest numerum septenarium in sculptis imaginibus saepe exhiberi; ita palma depingitur cum sep-

---

1. Narrat v. g. *Roesch* a se visam esse feminam mente alienatam quae gramen comederit; « an dem Grasfressen ist Nichts zu markten und zu deuten, es ist ein auch jetzt noch, z. B. an einer Frau in der württembergischen Irrenanstalt in Zwiefalten, meinem früheren geistlichen Wirkungskreis, bei Geistesstörung beobachtetes Krankheitszeichen » (Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft, XV 1861 p. 521).

tem ramis; rami et folia arboris sacrae numero septenario determinantur; idem in aliis arboribus depingendis notatur (*Schrader,* Keilinschriften u. A. T. 2 ed. p. 21. 22). Quamdiu igitur rex eo morbo afflictus fuerit definiri nequit; id solum asseritur eum per longius tempus, quamdiu Deo placuerit ad poenam superbiae infligendam et ad regem erudiendum, iri punitum. Immo ex v. 22 *donec scias...* consequi videtur septem illa tempora etiam aliquo modo determinari regis arbitrio, i. e. eum afflictum iri donec maiestatem Dei animo humili agnoscat et veneretur; cf. v. 31.

A multis septem tempora explicantur totidem anni. Ita iam verterunt LXX καὶ ἑπτὰ ἔτη βοσκηθῇ σὺν αὐτοῖς, dum apud Theodotionem καιροὶ leguntur. Annos intelligunt *S. Hier.* ad v. 34; *Vat. Mald. Sanct. Mar. Sa, Per. Lap. Men. Tir. Gord. Calm. Loch, Palmer, Hitz. Z.;* pro qua acceptione aliqui (*Calm. Hitz. Z.*) provocant ad 7,25 et 12,7. 11; censent scil. tempus et tempora et dimidium temporis ibi determinari numero dierum mille ducentorum nonaginta; quo numero tres anni et annus dimidius circiter exprimuntur; unde concludunt tempus poni pro anno. At nullo modo constat vatem dictionem illam voluisse explicare in 1290 diebus. Quare haec acceptio omnino manet incerta. Alii, uti iam *S. Ephr. Chrys. Theod.* tres annos cum dimidio malunt intelligere, annum scil. dividi in duo tempora hiemem et aestatem; « septem igitur huiuscemodi partes tres annos cum dimidio perficiunt » (*Theod.*); idem proponit *Clarius* provocans ad morem Persarum qui annum aestate et hieme descripserint; eidem sententiae calculum adiicit *Brunengo* II p. 338 (« atteso che in Caldea l'anno dividevasi in due sole stagione, inverno e state; *Harris Rule,* Oriental Records p. 225 »). Alii tempus tribus mensibus definiunt, unde 7 tempora menses 21 efficiunt; alii 7 tempora septem menses, vel etiam solum septem hebdomades explicari posse censent (cf. *Lap. Calm. Troch. Z.*). Verum si attenditur ad usum numeri septenarii, ad notionem plane indeterminatam *temporis*, et ad v. 22, consultius erit affirmare tempus amentiae ratione quadam designari symbolica, qua sanctum Dei consilium exprimi statuatur.

Quo autem consilio calamitas illa immittatur exponitur v. 14 « *in sententia vigilum decretum est et sermo sanctorum et petitio, donec cognoscant viventes quoniam dominatur Excelsus in regno hominum et cuicumque voluerit dabit illud et humillimum hominem constituet super eum* » ; — ex lege parallelismi verte : *in decreto vigilum nuntius et in effato sanctorum* (legitur in codd. etiam במאמר) *postulatio* i. e. nuntius iste affertur ex statuto angelorum et sancti instanter decretum istud postularunt; ex eadem lege colligitur vigiles et sanctos nominari eosdem ; cf. v 10. Cur autem illi custodes qui singulis provinciis sunt praepositi (10,13 seq.) eiusmodi sententiam in regem a

Domino expetierint, declaratur עד דברת די i. e. ad eam rem ut cognoscant viventes etc.; bene gr. ἵνα γνῶσιν; desiderant scil. ut Dei gloria et maiestas innotescat gentibus; id vero fit si rex Dei potentiam in se experitur et agnoscit eamque palam praedicat; quare ipse doceri debet Deum auferre posse et regnum et mentem, restituere autem ei qui humiliter de se sentiens dominium Dei supremum profitetur. Proinde rex reipsa discere debebit Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam; vide v. 22. 31. Explica *super eum* quod male versum est pro *super id*, scil. super regnum; gr. ἐπ' αὐτὴν (βασιλείαν). Cum Babyloniorum religione genii tutelares sat multi crederentur exsistere quorum variae effigies in monumentis quoque recenter repertis visuntur. sermo nuntii illius coelitus delapsi ita conformatur, ut rex quantum satis erat eum capere et intelligere potuerit.

Somnio exposito rex eius poscit interpretationem v. 15 « *hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex; tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus, quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi; tu autem potes quia spiritus deorum sanctorum in te est* »! — *tale* somnium, adeo scil. mirum, multiplex, plenum aenigmatis vidi; *festinus* in textu non legitur neque apud Theodotionem. Danielem divinis donis ornatum profitetur, sed modo idololatriam sapiente; cf. v. 6. Textus LXX in hac parte multum a chald. recedit; quare *S. Hier.* monet : « unde iudicio magistrorum Ecclesiae editio eorum in hoc volumine repudiata est et Theodotionis vulgo legitur quae et hebraeo et ceteris translatoribus congruit. Unde et Origenes in nono stromatum volumine asserit se quae sequuntur ab hoc loco (scil. 4,6) in propheta Daniele non iuxta LXX interpretes qui multum ab hebraica veritate discordant, sed iuxta Theodotionis editionem disserere ».

b) **Interpretatio somnii 4, 16-24.**

Somnio audito Daniel apparet tremefactus; illustratus scil. a Deo quid regi immineat cognoscit et miseranda regis sorte tangitur dolens quod tam dira regi portenderentur (*Lap.*); unde attonitus haeret nec statim annuntiat regi eventum adeo infaustum. Eum terreri rex advertit et formidare; quare animum ei addit monens ne interpretatione somnii concipiat metum; quibus verbis rex simul declarat nihil esse pro ipso periculi quidquid tandem dicendum sibi esse existimaverit. Alias enim saepe fit ut vates qui infausta nuntiat reddatur exosus et iram vindictamque potentium incurrat (cf. 3 Reg. 22,26 seq.). Quae autem erat regis babylonii superbia et tyrannis, dubitari poterat num

animo pacato suam auditurus esset reprehensionem et sortem adeo ignominiosam. Quare Daniel prudenter aliquam nectit moram seseque turbatum ac perterritum esse manifestat, ut rex se infausta quoque velle audire palam edicat vel ut ipso Danielis habitu eius animus iam ad nuntium tristem praeparetur audiendum; v. 16 « *Tunc Daniel cuius nomen Baltassar coepit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora et cogitationes eius conturbabant eum; respondens autem rex ait: Baltassar, somnium et interpretatio eius non conturbent te! respondit Baltassar et dixit: domine mi, somnium his qui te oderunt et interpretatio eius hostibus tuis sit* »! — verte : *tunc Daniel obstupuit* circiter per unam horam, ita כְּשָׁעָה vertunt etiam LXX et Theodotio cum *S. Hier.* et ita vertendum esse etiam recentiores aliqui affirmant (*Troch. Hitz. Z. Meinhold* etiam *G. Rawlinson,* Herodotus II p. 282), dum alii vocem eo sensu accipiunt quo 3,6 adhibetur : quasi per unum momentum (*Rohl. Keil*). Sed si solum per unum momentum haesit obstupefactus, non explicatur, cur rex necessarium duxerit eum exhortari eique animum addere ne timeat enarrare somnium. Longior momento mora requiritur, ut rex animum Danielis esse cogitationibus terrefactum advertat. At ex altera parte spatium fere unius horae quo Daniel tacitus coram rege constiterit etiam a probabilitate alienum est. Verum quidem est notionem horae apud veteres non adeo fixam certamque esse, quia unumquemque diem et longiorem et breviorem i. e. tempus ab ortu solis usque ad occasum horis duodecim dividebant. Quare vox etiam flecti potest ad notionem alicuius morae vel generatim alicuius partis temporis. Adde hebr. אחד et aram. חד etiam usurpari notione pronominis indefiniti *aliquis, quidam* (cf. 2,31; 6,18. Esdr. 4,8) et fere ita ut articulo indefinito exprimi posse videatur; igitur merito vertere poteris *per aliquam moram,* per aliquod tempus (cf. *Calm. Ros. Ges.* Thes. p. 1456). Daniel suo responso iam clare indicat dira quaedam pro rege portendi, cum dicat : somnium et id quod eo significatur potius eveniat inimicis tuis et osoribus!

Iam Daniel prius v. 17. 18 fere iisdem verbis somnium incipit repetere, ut ostendat id bene a se esse perceptum, qua re ipsa quoque explicatio redditur magis efficax et certa quia audit rex eam minime ferri de re vaga vel non satis percepta; v. 17 « *arborem quam vidisti sublimem atque robustam cuius altitudo pertingit ad coelum et aspectus illius in omnem terram*, v. 18 *et rami eius pulcherrimi et fructus eius nimius et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiae agri et in ramis eius commorantes aves coeli* »; — cf. v. 8. 9; hic solum dicitur *in omnem terram,* non ad terminum omnis terrae, uti v. 8; in v. 18 legitur תדור *habitat* bestia agri pro תטלל in v. 9; pariter

ישׁכּנן pro ידרון v. 9; repetita illa escae mentio in v. 9 hic pariter omittitur. Magnifica ista arbor regem significat v. 19 « *tu es rex qui magnificatus es et invaluisti et magnitudo tua crevit et pervenit usque ad coelum et potestas tua in terminos universae terrae* » ; — in textu : ad terminum terrae; in bestiis et volucribus variae gentes designantur quae sub imperio regis vivebant. Cum rex solus tamquam dominus ac herus, reliqui omnes ut servi considerarentur, etiam illa quae possidebant et quibus nutriebantur quasi ea a rege accepta haberent censebantur; insuper expeditionibus bellicis praedam et spolia suis subditis rex providebat; quare *esca omnium in ea*. Haec acceptio et verbis et rei ipsi congruit; quamvis *escam* Daniel explicite non interpretetur, tamen vix censendum erit eam addi solum ornatus causa, uti in parabolis quandoque aliqua efferuntur ad dictionem exornandam et imaginem expoliendam. Ceterum in potestate quam Daniel regi attribuit etiam illud includitur quod in esca significatur. In dominatione usque ad terminum terrae modum loquendi habes aequalium vatis, quem ex eorum mente et notionibus explicare oportet et ex usu communi, uti alias saepe; cf. Gen. 7,19. 3 Reg. 4,34. Act. 2, 5 etc. id quod eo minus mirum videri debet quia ipse Christus reginam Saba a finibus terrae venire dicit ad audiendam sapientiam Salomonis (Matth. 12,42).

In sorte arboris sors regis delineatur v. 20 « *quod autem vidit rex vigilem et sanctum descendere de coelo et dicere : succidite arborem et dissipate illam; attamen germen radicum eius in terra dimittite, et vinciatur ferro et aere in herbis foris et rore coeli conspergatur et cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora mutentur super eum* » ; — in textu : *et cum feris campi sit pars eius;* vide v. 11-13 qui versus brevius repetuntur; verba eadem quae supra usurpantur, solum excipe חַבְּלוּהִי; v. 21 « *haec est interpretatio sententiae Altissimi quae pervenit super dominum meum regem* » ; — in textu : haec est interpretatio, rex, et decretum Excelsi etc.; v. 22 « *eiicient te ab hominibus et cum bestiis ferisque erit habitatio tua et fenum ut bos comedes et rore coeli infunderis; septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum et cuicumque voluerit det illud* » ; — in textu proprie : et herbam instar boum te comedere (gustare) facient et de rore coeli te tingentes; v. 23 « *quod autem praecepit ut relinqueretur germen radicum eius, id est arboris : regnum tuum tibi manebit postquam cognoveris potestatem esse coelestem* » ; — regnum tuum tibi (iterum) *surget,* tibi resurget, tibi denuo dabitur, *ex quo* cognoveris esse potentes vel *dominantes coelos* vel Deum coelorum habere dominationem super re-

gnum hominum; cf. v. 22. Nota poni *coelos,* ubi antea Excelsus dicebatur; simili modo in N. T. regnum Dei et regnum coelorum dicitur, sicuti apud talmudistas frequenter coelum usurpatur pro nomine Dei (cf. *Buxtorf,* lex. chald. c. 2440; *Levy,* Chald. Woerterb. II p. 493).

Verum minas has et castigationem posse averti et proinde, uti saepe solet (cf. Ier. 18,7-10. Ez. 33,13-16), proponi non ita ut absolute debeant impleri, sed ita ut conditio quaedam ab homine praestanda eas possit effectu privare, ex monitione ad regem facta consequitur v. 24 « *quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi et peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet delictis tuis* »; — vertunt sat multi : peccata tua *per iustitiam* (ita *Mald. Sa, Mar. Lap. Tir. Calm. Troch. Z. Keil* et multi protestantes); igitur regi commendatur, ut eam colat virtutem quae in dominatore praecipua est, ut iuste gubernet, iustitiam administret, iustitiam ubique tueatur et stabiliat; cum ea autem coniungat misericordiam in afflictos et miseros. Duae virtutes ei proponuntur ab indole et ingenio tyrannorum et despotarum sat alienae, qui nempe arbitrium suum et suas cupiditates ac libidines tamquam summam regendi ac imperandi normam statuere solent. Audacter loquitur Daniel regi eique peccata et iniquitates obiicit, quas voces ad se directas et applicatas rex probabiliter nunquam audiverat. Si itaque cum multis צדקה ea notione retinemus qua sine dubio vox apud priscos Hebraeos valuit et frequenter in s. litteris legitur, iustitiae et misericordiae ope regem posse peccata redimere docetur i. e. peccata exsolvere, pro culpis et poenis debitis Deo hanc praebere satisfactionem, hoc pretium pendere et ita se a peccatis et poenis debitis quibus constringatur redimere. Unde apertissime docet vates fieri posse ut quis exercitio virtutum iustitiae et misericordiae expiet culpas et poenas quas meruerit a se avertat, utique ope et adiutorio gratiae Dei quae pro Dei bonitate nemini deerit.

Alii vocem צדקה vertunt liberalitatem, beneficentiam, quem sensum iam exprimunt LXX, *Theodotio, S. Hier.* vertentes eleemosynas. Quae notio, uti ex LXX et Theodotione patet, voci tempore posteriore certo inerat et in libris talmudicis satis frequens est. Neque ea significatio a LXX solum hoc loco effertur, sed vox etiam redditur ἐλεημοσύνη apud LXX Deut. 6,25; 24,13. Ps. 23,5; 32,5; 102,6. Is. 1,27; 28,17; 59,16 et etiam Dan. 9,16. Atque pluribus in locis vocem ad notionem benignitatis et misericordiae proxime accedere negari nequit. Nostro vero loco illud praeterea habetur quod lege parallelismi ea significatio valde commendatur quam pro hoc loco sequuntur *Rohl. Ges.* Thes. p. 1151; *Hitz. Fürst, Meinhold.* Ceterum quod spectat doctri-

nam de utilitate beneficentiae et misericordiae parum vel nihil interest, utram sententiam elegeris. In secundo enim membro quam clarissime exponitur beneficentia et misericordia in pauperes et afflictos iniquitates redimi. Quare falsum est quod aliqui protestantes (*Z. Keil*) catholicis obiiciunt ex « falsa » vocis illius de eleemosyna interpretatione fulciri falso doctrinam catholicam bona opera esse meritoria. Primo enim plane non liquet eam versionem esse falsam; dein quam parum in ea versione textus insistatur a catholicis interpretibus, supra iam ostensum est, quia praecipui interpretes *Mald. Sa, Mar. Lap. Tir. Calm.* vocem aram. *iustitiam* vertunt qui tamen omnes eandem doctrinam catholicam firmiter tenent.

Ges. Thes. p. 1151 de voce hebr. inter alia haec scribit : « passim spec. est benignitas et misericordia Ps. 11,4; 24,5; liberalitas Prov. 10,2. Mich. 6,5 ». Pro nostro Danielis loco voci non attribuit nisi notionem liberalitatis, beneficentiae; « ita saepe apud talmud. et rabbinos ». *Fürst* in concord. hebr. p. 942 de nostra voce צְדָקָה haec habet : « probitas, iustitia; plerumque beneficentia, munificentia (quam significationem, uti in neohebraica, sic etiam in prisca lingua usitatam fuisse coniici potest ex n. pr. Matatja a Nebukadnezare in synonymum Zidkija mutatum) »; idem in lexico etiam voci hebr. inter alia significationem adscribit benignitatis, liberalitatis Ps. 7,11; 25,4. Prov. 10,2. Os. 10,12. Eandem notionem voci syriacae זדקא qua *Syrus* utitur inesse, scil. significare speciatim beneficium, stipem, eleemosynas docet quoque *Bernstein* in lexico syr. chrestomathiae Kirsch. p. 142; cf. *Payne Smith*, Thes. syr. c. 1085.

Sunt qui doctrinam de utilitate operum misericordiae ad poenas avertendas e nostro loco removere studeant alia explicatione verbi פְּרַק : abrumpe peccata tua, vel abiice, depone, ab iis cessa, finem eis impone, dum scil. iam non peccatis, sed iustitiae et misericordiae operam das; ita iam Calvinus, ut refert *Mald.*, et similiter *Geier, Starke, Haevernick, Lengerke, Kranichfeld, Keil, Meinhold;* at immerito. Nam פרק iam in hebr. habet notionem eripiendi ex periculo, liberandi Ps. 136,24. Lament. 5,8; in usu autem aram. haec vox non occurrit nisi in significatu liberandi; in targumim constanter adhibetur pro hebr. גָּאַל, פָּדָה, הוֹשִׁיעַ; quare optime verterunt LXX et *Theodotio* λύτρωσαι et *vulg.* redime. Idcirco etiam plerique recentiorum hanc intepretationem unice proponunt quae sola usu vocis aram. comprobatur. Stat ergo, dicamus cum *Mald.*, ecclesiastica una apostolica et prophetica sententia posse nos Deo, vi quidem meritorum Christi, unde quidquid gratiae, quidquid iustitiae, quidquid meritorum est proficiscitur, sed tamen posse nos Deo bonis operibus satisfacere decretasque poenas ab eo declinare, quidquid haeretici delirent. Qua ratione utilis sit beneficentia, *Per.* pluribus ad h. l. exponit.

Ad huius loci doctrinam iuvat etiam afferre quae habet *Bellarminus*, de

poenitentia lib. 4 cap. 8 (de controversiis III p. 1105, Parisiis 1608) : « locus Danielis duobus modis exponi solet; uno modo ut per peccatum intelligatur culpa sive inimicitia cum Deo; et tunc significatur illis verbis posse hominem poenitentem per eleemosynas placare Deum ex congruo atque ab eo gratiam reconciliationis impetrare...; alio modo exponuntur a nonnullis verba ea, ut per peccatum sola poena intelligatur. Ceterum plenus commentarius erit si verba Danielis intelligamus de perfecta remissione quoad culpam et poenam, ita ut cohortatio sit ad magnas et frequentes eleemosynas quibus primum disponatur rex ad reconciliationem, deinde etiam poenam ex condigno redimat ». Voces peccati et iniquitatis ita quandoque adhiberi solent in s. litteris, ut ipsum reatum peccati et culpae et quod cum reatu intime nectitur debitum poenae exprimant; quandoque potius poena peccati iis designatur (vide quae notavi in Comment. Is. I p. 114). Hoc loco ex modo loquendi totum id optime intelligetur quod culpa et poena constituitur; ut ex malo illo possit emergere, viam indicat vates ad Dei misericordiam sibi conciliandam, qua ab imminente poena illa temporali servetur.

Contendit *Keil* redimere peccata sensu carere, quia illa sola redimantur quae quis pro se possidere velit, uti primogenita redimere, agrum redimere etc. Sed vehementer fallitur; nam alium sensum iam indicat *S. Hier.* vertens Prov. 16,6 : misericordia et veritate redimitur iniquitas; simili modo dicitur redimere vexationem, scil. ut pretio soluto ab ea liberemur. Ceterum si *Keil* demum explicat : libera te a peccato per iustitiam etc., nonne ea versione demum, invitus quidem, ad nostram revertitur acceptionem? si enim per iustitiam et misericordiam se valet liberare a peccatis, quid hoc est aliud nisi operibus istis Deum posse placari, ut condonet, ignoscat, avertat? Item vertit *Meinhold :* redde innocua tua peccata; id quod sane nihil aliud est nisi : damna et poenas peccatorum averte exercitio virtutum. Quare stat bonis operibus rite factis nos posse aliquid a Deo impetrare et eam merendi vel Deum propitiandi rationem a propheta doceri ac commendari. De utilitate eleemosynae vide Tob. 4,7 seq. 12,8. 9; 14,11. Eccli. 3,33; 17,18; 29,15.

Iustitia autem et misericordia afflictis impensa regem posse a Deo impetrare, ut et poena avertatur et continua sibi prosperitas resque secundae concedantur, vates ultimo membro v. 24 declarat, quod verte : *si esse debebit diuturnitas prosperitati tuae* i. e. si vis ut prosperitas tua stet vel prorogetur (cf. apud *Vat. Sa, Mar. Lap. Tir. Rohl. Troch. Hitz. Z. Keil*), quem sensum longiore circuitu LXX exprimunt : ut detur tibi indulgentia et sis multo tempore in throno regni tui neve te perdat. *S. Hier.* in sua versione eum reddit sensum quem Theodotio secutus est : ἴσως ἔσται μακρόθυμος τοῖς παραπτώμασί σου ὁ θεός quae interpretatio ita ex textu colligitur : vocem אַרְכָּא eo modo esse acceptam quo אֶרֶךְ אַפַּיִם longanimitas; vocem autem שְׁלֵוְתָךְ expli-

catam esse ex שלה errare, peccare, uti verbum legitur supra 3,29. At vox haec referri debet ad hebr. שְׁלֵוָה pax, tranquillitas. *Syrus* habet: donec removeat a te delicta tua; id quod pariter facile ex textu declaratur; veteres quidam (*Saadias* apud *Mald. Vat. Mar.*) etiam vertunt: *sanitas* erit delictis tuis vel sanatio i. e. אֲרֻכָה; cf. Is. 58,8. Ier. 8,22; 30,17; 33,6. Ostenditur itaque regi quomodo minas prophetice portentas possit effugere; neque enim Deus, ut *S. Hier.* ait, hominibus sed vitiis irascitur quae cum in homine non fuerint nequaquam punit quod mutatum est; atque minas saepe intelligi conditione tali supposita idem exemplo Ezechiae regis quem Isaias dixerat esse moriturum Is. 38,1 et exemplo Ninivitarum Ion. 3,4 demonstrat. Et *Theod.*: « vis, inquit, clementiae fructum percipere? hanc eandem erga eos ostende qui unam tecum sortiti sunt naturam; ita enim iudici persuadere poteris ut minas exstinguat neque sinat eas ad exitum perduci ».

c) Regis amentia et sanatio 4, 25-34.

A propheta edoctus erat quomodo effugere posset poenam somnio portentam. Admonitionem rex neglexit; v. 25 « *Omnia haec venerunt super Nabuchodonosor regem* »; — neque tamen statim Deus sententiam in eum latam exsecutus est; verum tempus indicatur divinae longanimitatis (*Theod.*); vide quam sit Deus ad vindictam tardus qui tam est ad misericordiam festinus et pronus (*Sanct.*). Anni unius spatium ei conceditur ut resipiscat (*Sanct. Lap. Calm.*); at frustra; qui in magna sua inscriptione de se dicit: reveritus deum Marduk, dominum meum, humiliavi cor meum in Babel, urbe ab eo protecta (*Brunengo* l. c. p. 258), Deo Danielis eiusque consilio noluit obsequi; v. 26 « *post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat;* v. 27 *responditque rex et ait: nonne haec est Babylon magna quam ego aedificavi in domum regni, in robore fortitudinis meae et in gloria decoris mei* »? — in textu: *super palatio regni Babylonis erat deambulans;* urbem dicit a se splendide aedificatam atque munitam, ut sit domus vel domicilium regia magnificentia et pompa dignum; gloriatur de sua potentia urbemque regia pompa ornatam dicit *ad gloriam maiestatis* suae. Quod veteres de magnitudine et splendore urbis Babel referunt, amplissime confirmatur inquisitionibus recentiorum et ipsis regis inscriptionibus. Uti Iosephus refert (Ant. 10,11. 1; c. Ap. 1,19) ex Berosso, rex ex bellorum spoliis templum Beli ceteraque templa magnifice exornavit, urbem autem plane renovavit (ἀνακαινίσας); haec et quae apud ipsum de munitionibus urbis narran-

tur, explicatius leguntur in magna regis inscriptione (cf. *Brunengo* l. c. p. 252-260; *Vigouroux* l. c. p. 297 etc.). Ita sumptuosa ac splendida templa erexit in urbe diis Bel, Marduk, Nabu, Sin, Samas, Ramman, Mylitta, Nana etc.; multa alia quoque aliis in urbibus. Dein urbem summopere munivit. Moenia et valla quae iam pater eius partim exstruxerat perfecit et auxit; praeterea murum erexit altissimum quattuor millia cubitorum a moenibus urbis exterioribus distantem quo partem urbis orientalem circumdedit; secundum eum murum fossam duxit moenibus septam. Hisce munitionibus urbem hostibus fore inaccessam speravit. Sibi vero palatium aedificavit magnificentissimum; prius palatium a patre iam aedificatum auxit et exornavit tecto atque ianuis ex trabibus cedrinis confectis, liminibus atque cardinibus aereis; huic palatio alterum adiunxit magnificentius. In magna eius inscriptione legitur (col. 6 in fine) : ego sum Nabukudu-ussur, rex Bab-Ilu qui a Marduk magno dominatore destinatus fui ad urbem suam Bab-Ilu reddendam gloriosam, et col. 9 : palatium hoc aedificavi ad admirationem hominum; et col. 7 : Bab-Ilu, urbem oculorum meorum exornavi, palatia eius instauravi ad admirationem hominum etc.; unde elucet quantopere verba v. 27 rei veritati concordent.

Praeterea quae hisce innui explicatius enarrantur a *G. Rawlinson,* Five Monarchies 2 ed. III p. 57 seq.; *Tiele,* Bab-assyr. Geschichte p. 441-454 : das grosse Babel Nebukadrezars. — Ex veteribus de iis aedificiis praeter Berossum referunt Herodotus 1,178 seq., Ktesias apud Diodorum siculum 2,7 seq., Abydenus apud Eusebium, Praep. ev. 9,41 (*M.* 21,761). Aliorum (Plinii, Strabonis, Curtii, Aristotelis) locos *Per.* affert. Cum Berossi narratio quam Iosephus l. c. nobis servavit inscriptione magna regis magnopere confirmetur, eam apponere non piget : « ipse (Nabuchodonosor) postquam de belli manubiis Beli templum aliaque largiter ornaverat urbemque Babylonis quae iam erat nova etiam altera addita instauraverat, ne possent posthac qui ad urbem istam venirent obsidendam abacto flumine eam facilius aggredi, ternos quidem interiori urbi ternosque pariter exteriori murorum ambitus circumdedit, partim quidem e cocto latere et bitumine partim vero ex eodem latere solo. Cumque urbem bene munivisset et portas magnifice exornasset, paternae regiae contiguam aliam exstruxit supereminentem et altitudine et omni splendore. Longum fortasse esset eius descriptionem facere; suffecerit dicere hoc opus et magnitudine et omni rerum paratu eximium intra dies perfectum esse quindecim. In hac autem regia pilas e lapidibus exstruxit excelsas easdemque omnis generis arboribus consitas, ut speciem montibus quam simillimam referrent elaboravit facto etiam paradiso qui nuncupatur pensilis, quod uxor eius utpote in Mediae locis educata montosi situs desiderio teneretur ». Ita quidem ille.

Etiam in inscriptione col. 8 mentio est quindecim dierum quo spatio positis fundamentis muri palatii sunt erecti. Nihil autem eousque in inscriptionibus est repertum de hortis pensilibus; nam quod in annalibus Nabonidi legitur, ab eo cum e Babylone sese reciperet relictum esse praefectum qui horti domusque curam gereret, eius rei testimonium minime praebet, quamvis aliqui id censeant; sed cum domo regia hortum esse coniunctum adeo obvium est, ut de hortis illis pensilibus nemini in mentem possit venire (cf. *Tiele* l. c. p. 453).

Rex superbe gloriatus « deprehenditur a Deo in flagranti delicto ne quam posset excusationem praetexere, quod eo gravius est quod erat iam per prophetam admonitus et unius anni spatio et peccatorum suorum et admonitionis prophetae et divinarum comminationum oblitus; denuntiatur igitur illi poena non iam dormienti sed vigilanti, non praeterita peccata corrigenti sed nova ea superbia augenti, non per aenigmata sed aperte, non prophetica sed divina voce de coelesti tribunali pronuntiata, et ne quid ambiguitatis esse putet vox ad eum nominatim appellatum dirigitur » (*Mald.*) v. 28 « *cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de coelo ruit : tibi dicitur Nabuchodonosor rex : regnum tuum transibit a te* v. 29 *et ab hominibus eiicient te et cum bestiis et feris erit habitatio tua, fenum quasi bos comedes et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum et cuicumque voluerit det illud* »; — vide v. 12. 13. 20. 22; regnum tuum *transiit* a te; « ipsum adhuc *regem* vocat et praesentem adhuc gloriam et haud multo post futuram ignominiam ostendens » (*Theod.*); « arrogans gloriatio statim punitur a Domino » (*S. Hier.*) v. 30 « *eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor et ex hominibus abiectus est et fenum ut bos comedit et rore coeli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent et ungues eius quasi avium* »; — de שַׁעָה hora vide 3,6; 4,16. In capillis et unguibus excrescentibus declaratur quantopere per illam amentiam exterior hominis forma et habitus fuerit neglectus. Duo haec ad morbi conditionem apte convenire experientia quoque constat. Qui enim continuo sub dio versantur imbribus et soli expositi neque capillos tondent neque pectunt, eorum crines densitate magna et duritie excrescunt et ferum aspectum demum praebent[1]; quare ob duritiem pennis avium conferri possunt.

---

1. Advertit *Vigouroux*, Les livres saints et la critique rationaliste IV p. 331 : « l'expérience constate et tous ceux qui ont visité des maisons d'aliénés ont pu remarquer que les fous sont souvent hirsutes. Il est aussi certain que les ongles, si on ne les taille point, se recourbent

Theodotio comparationem leonis h. l. habet, LXX autem ungues quasi leonis ei attribuunt. Ungues etiam quandoque morbis dementiae maiorem in modum excrescunt et longiores facti incurvantur ita ut formam uncorum avium induere videantur (vide *Friedreich* l. c. p. 316; *Heb.* p. 156). Morbo itaque zoanthropico correptus in hortis et campis palatio vicinis oberravit hominum societatem fugiens et ob amentiam et rabiem ab iis quoque vitatus.

Amentibus quoque lucida quae dicunt intervalla conceduntur; haud raro quoque post annum, rarius post duos vel tres annos sanitati restituuntur ii qui subita quadam mentis perturbatione corripiuntur. Cum autem regi morbus divinitus infligeretur, simulatque poena castigatus animum ad Deum advertit et eius maiestate ac nutu omnia pendere agnovit, a turpi morbo liberatus est v. 31 « *igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad coelum levavi et sensus meus redditus est mihi et Altissimo benedixi et viventem in sempiternum laudavi et glorificavi, quia potestas eius potestas sempiterna et regnum eius in generationem et generationem*, v. 32 *et omnes habitatores terrae apud eum in nihilum reputati sunt; iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus coeli quam in habitatoribus terrae et non est qui resistat manui eius et dicat ei : quare fecisti* »? — ad finem dierum i. e. tempore quod Deus statuerat elapso; fructus castigationis ille describitur qui supra indicabatur v. 14. 22; bene notat *S. Hier.* (iam aliquorum acceptionem praevertens et evertens) : « quando autem dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse sed mentem »; usus rationis plenus est ei redditus, cum e misero statu quasi evigilans oculos et mentem levaret ad Deum eiusque agnosceret maiestatem. De locutionibus vide quae supra p. 137 seq. notata sunt. Virtutes coeli explica sicut alias exercitum coeli vel agmina coelestia; proprie *percutere in manu;* dein impedire, prohibere, quae est locutio talmudicis quoque usitata. Nota quantopere hoc edicto regio Dei vita aeterna et potestas in cuncta coelestia et terrestria et omnipotentia et summa libertas populis praedicetur.

Cum pleno usu rationis et sanatione etiam regnum honoremque pristinum iterum nactus est v. 33 « *in ipso tempore sensus meus reversus est ad me et ad honorem regni mei decoremque perveni et figura mea reversa est ad me et optimates mei et magistratus mei requisierunt me et in regno meo restitutus sum et magnificentia amplior addita est mihi* »; — in textu : *et ad honorem regni mei maiestas mea et splen-*

et deviennent assez semblables de cette manière à des griffes d'oiseaux. Je connais en ce moment un homme atteint d'une maladie mentale, dont les ongles sont en cet état et dont la barbe peut rappeler celle de Nabuchodonosor ».

dor meus reversus est ad me; figuram explica ex textu *splendorem*, colorem, pulchritudinem; « neque enim in bestiae formam mutatus erat, ut quidam putarunt » (*Mar.* sim. *Vat.*); forma eius rediit, antea enim erat deformis (*Sa*) vel figura rediit abstersis scil. sordibus, resecatis unguibus et pilorum silva qua horrebat (*Men.*). Theodotio : ἡ μορφή, LXX ἡ δόξα; de זיו vide 5,6. 9. 10; 7,28 quibus in locis *S. Hier.* faciem, vultum vertit; color nitidus, splendor ac vigor designatur.

Concluditur edictum laude divina v. 34 « *nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo et magnifico et glorifico regem coeli, quia omnia opera eius vera et viae eius iudicia et gradientes in superbia potest humiliare* »; — in omnibus operibus relucet Dei veritas et iustitia; viae i. e. ratio eius agendi est iusta; « intellexit quare poenas sustinuerit et idcirco se humiliatum quia contra Deum superbierit » (*S. Hier.*). Neque mirum est quod rex potentiam Dei Danielis varie expertus ita loquitur, cum idem rex in sua inscriptione magna multam reverentiam deorum prae se ferat et inter alia ita precetur : o Marduk, domine sublimis, dominator terribilis, benedic operi manus meae, exaudi preces meas! tua ope adiutus, Marduk, deus sublimis, hanc regiam aedificavi; in eam intret omnis prosperitas; ibi habitem sine dolore, ibi inveniam requiem et videam stirpem meam multiplicari; ibi colligam tributa immensa regum terrarum totius mundi a stella occidentis usque ad stellam Nabu quae est ad orientem solem; ne unquam rebelles triumphent neve unquam veniam impietati concedam; utinam dominentur incolae Bab-Ilu usque ad dies remotissimos (cf. *Brunengo* l. c. p. 259. 260).

4. *Baltassar regis convivium et caedes. Cap.* 5.

ARG. — Baltassar temulentus cum convivis vasa templi Domini ex Ierusalem ablata profanat; apparet manus scribens in pariete; nemo magorum scripturam potest interpretari; monente regina Daniel advocatur (5,1-12). Daniel eam explicat : quia Baltassar exemplo Nabuchodonosor non est eruditus, sed Deum Israel contumelia affecit, aufertur regnum ab ipso et datur Medis ac Persis. Interpretatione data honoratur Daniel; at rex eadem nocte occiditur; succedit in regnum Darius Medus (5,13-31).

Nabuchodonosor regi successit filius eius Evilmerodach (Avil-Marduk i. e. vir vel servus dei Marduk) qui teste Berosso ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς regnavit et iam anno regni altero insidiis structis a Neriglissor

(Nergal-sar-usur i. e. Nergal regem protege) qui erat gener Nabuchodonosor regis occisus est; ipse Neriglissor teste Berosso annos quattuor tenuit imperium (560-556), qui anni eius etiam inscriptionibus confirmantur (vide Proleg. I; *Tiele* l. c. p. 424). Uti supra iam dictum est, patrem suum vocat regem Babylonis; unde infertur haud improbabiliter eum tempore amentiae regis res imperii administrasse (vide supra p. 136). Cum Neriglissor e vita excederet, filius eius Labaṛosoarchos (ceterum nomen varie fertur; aliqui assyriologi legunt Labasi-Marduk; alii Lahabbasi, Lakirbasi, Larimbasi-Marduk) puerulus erat, contra quem teste Berosso coniuratio facta est, ita quidem ut novem mensibus post mortem Neriglissor unus ex coniuratis Nabonidus rerum potiretur atque rex salutaretur. Nabonidus per septemdecim annos regnavit (555-538). Ex inscriptione Nabonidi recenter reperta didicimus quod a veteribus, Berosso etc. non erat memoriae proditum, Nabonido filium fuisse nomine Bil-sar-usur (Bel regem protege) quod nomen hebraico בֵּלְשַׁאצַּר in nostro cap. 5 congruit. Ex alia inscriptione discimus annis 7. 9. 10. 11 Nabonidi fuisse filium regis cum primoribus et exercitu in terra Akkad, ipsum vero regem moratum esse in civitate quadam Tema (Teva?). Nomen quidem istius filii regis non legitur, sed sine dubio est idem Baltassar quem rex in alia inscriptione primogenitum suum vocat et pro quo favorem dei Sin implorat, ut is reverentiam divinitatis suae in eius corde ponat, ne unquam malum sequatur. Ex eo autem quod tempore belli cum Medis exercitui praesit et quod regni primores apud ipsum versentur, iure concluditur eum in regni quasi consortium esse assumptum; ita censent *G. Rawlinson* (Five Monarchies, III p. 70), *Maspéro* (Histoire ancienne des peuples de l'Orient, p. 519), *Ménant* (Babylon et la Chaldée p. 258), *Oppert* (Le peuple et la langue des Mèdes, p. 168), *Lenormant* (Manuel II p. 242) quos citat et sequitur *Brunengo* l. c. p. 384; similiter *Tiele* l. c. p. 464, *Schrader*, Keilinschriften u. A. T. ad Dan. 5, *Vigouroux, D.*; immo *Delattre* putat verti posse et debere non filius regis, sed fils-roi i. e. vice-roi, roi associé (habalsarru; Salomon, Assurbanipal, Balthasar, Bruxelles 1883 p. 7).

Ultimo tempore belli cum Cyro Nabonidus in pugna ad Rutu victus est et fugam cepit; filius eius Baltassar in ipsa urbe Babylone exercitui praeerat. Post victoriam de Nabonido reportatam Ugbaru i. e. Gobryas, satrapes regionis cui nomen Gutium, cum exercitu Cyri versus Babylonem profectus est ad eam urbem obsidendam et capiendam. Cur eo tempore Baltassar vocetur rex a Daniele, ex iis quae antea de filio regis qui exercitui praeerat dicta sunt facile consequitur. Vocatur itaque rex utpote in consortium regni assumptus regisque socius. Inde

quoque elucet, cur demum Daniel tamquam *tertius*[1] in regno honoretur.

Quae cum ex fontibus historicis eruantur, dubitari nequit quin Baltassar de quo Daniel loquitur filius sit Nabonidi, ultimi regis Babylonis ante expugnationem per Cyrum factam. Id quippe etiam clare indicatur in v. 28 : divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis, quibus verbis ultima fata regni babylonici declarantur. Verum quomodo filius Nabonidi dici potest filius Nabuchodonosor et Nabuchodonosor pater eius? quae appellatio saepius in hoc capite reperitur. Prius adverti debet apud Assyrios eodem modo quo quandoque in s. litteris vocari patrem regem quendam antecessorem; ita in inscriptionibus Iehu vocatur filius Omri, cum tamen Iehu solum fuerit successor regum ex domo Omri; similiter Merodach Baladan appellatur filius Iakin; vide quae notavi in Comment. Is. II p. 52; alia exempla pro ea re affert *Schrader,* Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 207. Minime autem est cur negemus eandem appellationem etiam apud Babylonios fuisse in usu positam; instituta enim, mores, usus apud utrumque populum fere eadem exstitisse satis constat. Neque tamen opus est hanc appellationem patris solum eo explicare quod Nabuchodonosor celeberrimus rex inter antecessores habebatur. Ex inscriptione cui nomen est a Behistun Darius I narrat bis in Babylonia rebellionem excitatam fuisse a duobus qui clamaverint : ego sum Nabuchodonosor, filius Nabonidi[2]. Cum igitur isti eo nomine assumpto regnum et thronum usurpare conarentur, Nabonidus filium habuisse censendus est superstitem eo nomine appellatum. Eo autem valde probabile quoque efficitur uxorem Nabonidi unam fuisse ex filiabus Nabuchodonosor. Si tali coniugio Nabonidus erat honoratus, etiam facile explicatur, cur a coniuratis ei honor regni et throni sit collatus. Quare non est improbabile Baltassar fuisse filium natum ex filia regis Nabuchodonosor; unde appellatio illa sua sponte derivatur (cf. *G. Rawlinson,* Herodotus, I p. 432; *Brunengo* l. c. p. 378; *Heb.* p. 176).

Habemus igitur ex monumentis filium Nabonidi primogenitum Baltassar,

---

1. Iam 1875 notavit *Delattre* (Revue catholique de Louvain, 39 p. 540) : relevons un mot jeté au hasard et à notre avis très significatif. Balthasar promet à Daniel de l'élever à la troisième place du royaume, c'est-à-dire à la première après celle des deux rois. Dans une circonstance semblable, Pharaon donne à Joseph la *seconde* place; *Delattre*, Salomon etc. p. 7.

2. Vide *Spiegel,* die altpers. Keilinschriften, p. 10 : Babylonius Naditabira, filius Aina, rebellavit Babylone, ita mentitus est : ego sum Nabukudracara, filius Nabunita; et p. 28 : vir, Arakha nomine, Armenus, filius Handita, rebellavit; sic mentitus est : ego sum Nabukadracara, filius Nabunita etc.

habemus filium eius imperii participem, cum exercitui praesit et primores apud eum versentur; inde cur Daniel tertius in regno declaretur explicatur. Itaque veterum quibus ea documenta praesto non erant coniecturas de Baltassar negligere possumus; eum scil. vel eundem putarunt cum Nabonido (*Iosephus,* Ant. 10,11. 2) vel eum filium esse Labosordach (*S. Hier.*) vel fratrem Evilmerodach (*Theod.*) vel eius filium (*Pererius, Mald. Gord. Ros.*), vel etiam eum eundem faciunt cum Evilmerodach (*Lap. Hofmann, Haevernick,*Neue krit. Untersuch. p. 71; aliter in comment.; *Niebuhr,* Geschichte Assur's u. Babel's p. 91; *Oehler, Hupfeld, Zündel, Kranichfeld, Kliefoth* aliique quos citat et sequitur *Z.* p. 32; *Keil*). Varias sententias etiam *D.* recenset p. 41-63.

Hanc sententiam Baltassar alio nomine vocari Evilmerodach ex recentissimis multum defendit *J. Fabre d'Envieu,* Le livre du prophète Daniel, Paris 1888 p. 358-409; res gestas autem hoc modo concipit : quod Daniel narrat 5,28 seq. non pertinere ad ultimum fatum regni baylonici, verum referri coniurationem qua Evilmerodach teste Berosso sit e vivis sublatus, et Neriglissor esse eundem quem Daniel appellet Darium Medum; Dan. 5, 28 autem ita explicat : esse dissidia in regno; regnum iam tradi alicui Medo (Neriglissor) et postea tempore indeterminato transiturum esse ad Persam quendam vel ad Persas; « Daniel se contente d'indiquer la Médie et la Perse qui ont produit les deux instruments dont Dieu se servira pour désorganiser et pour ruiner la monarchie chaldéenne. Les deux expressions du texte peuvent tout aussi bien désigner deux individus, un Mède et un Perse, que des Mèdes et des Perses. Rien ne montre que Daniel ait eu uniquement en vue l'ensemble des armées qui conquirent Babylone. Si l'on ne s'est pas arrêté au sens premier et fondamental, c'est parce qu'on a lu Daniel avec la préoccupation d'y trouver le récit de la conquête immédiate des armées médo-perses sous Cyrus » (p. 363).

At haec sententia nequit admitti. Primo enim non potest ostendi ullo documento Evilmerodach etiam alterum nomen gessisse Baltassar. Plura quidem *d'Envieu* affert quibus ostendat reges et plura gessisse quandoque nomina et mutasse nomina; at haec etsi omnia solida essent atque accurata (id quod nemo dixerit) solum ostenderent fortasse potuisse Evilmerodach duplici vel triplici nomine appellari. At cum habeamus ex monumentis Baltassar, cur indulgeamus vanis coniecturis? Dein teste Berosso Evilmerodach solum per duos annos regnavit; Daniel autem anno *tertio* regni Baltassar regis, cum esset in Susis, visionem habuit. Non est cur Berossi testimonium in dubium vocetur; insuper tabulis contractuum inventis confirmatur; nam ultra regni eius annum secundum eiusmodi tabulae repertae non sunt, sed quattuor ex primo, quinque ex secundo eius anno (cf. *Strassmaier,* Die babylonischen Inschriften im Museum zu Liverpool, p. 5. 19; *Tiele,*l. c. p. 424. 464); etiam in canone qui dicitur Ptolemaei solum duo anni regni eius assignantur. Porro Daniel Baltassar regi est incognitus; id patet ex modo quo regina ei de Daniele loquitur v. 11. 12 et ex interrogatione qua rex eum salutat : tu es Daniel etc. et ex repetita locutione : ego *audivi* de

te v. 13-16. Iam vero quis censebit filio Nabuchodonosor regis vatem fuisse ignotum? Id de Baltassar filio Nabonidi concipi potest; de filio Nabuchodonosor qui post mortem patris in regno successit nequit cogitari. Demum cur Daniel *tertius* in regno constituatur, in ea sententia nulla potest ratio afferri; potest autem, si Baltassar filius Nabonidi a Daniele designatur. Denique nullum reperitur ullibi vestigium post Evilmerodach hominem ex gente Medorum imperium summum usurpasse; nomen Nergal-sar-uşur certe non prodit originem ex Media, et altero nomine vocatum esse Neriglissor Darium pariter gratuito excogitatum est. Adde patrem eius appellari regem Babylonis; num Medi iam tempore Nabuchodonosor imperium tenebant babylonicum? Dein quae Dan. 5,28 leguntur: regnum tuum datum est לְמָדַי וּפָרָס eam explicationem quam *d'Envieu* proponit non admittunt, cum verba haec semper de regno medo-persico adhibeantur; vide Dan. 6,9. 13. 16; 8,20. Esth. 1,3. 14. 19; 10,2. 1 Mach. 1,1; quare necessario etiam Dan. 5,28 assumi debet dictio de eodem regno medo-persico. Vide quoque *D.* p. 79. 81.

a) **Convivium regis et scriptura in pariete 5, 1-12.**

Cur Daniel multis omissis ad Baltassar transeat, iam *Theod.* adnotat non omnino historiam conscribere vati in animo esse sed prophetiam; « quamobrem ne omnia quidem quae a Nabuchodonosor gesta sunt litteris consignavit sed illa dumtaxat quorum necessaria utilitatis ergo erat memoria; quando itaque maximum etiam in Baltassar Deus ostendit miraculum, quod et idoneum esset ad ingenerandum timorem cum reverentia non solum iis qui tunc vivebant sed etiam posteris, quodque duceret ad veram pietatem, non existimavit aequum esse tantum beneficium silentio occultare »; v. 1 « *Baltassar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille et unusquisque secundum suam bibebat aetatem* »; — in textu : *et coram mille vinum bibebat* (cf. *Mald. Mar. Lap.*); Theodotio : καὶ κατέναντι τῶν χιλίων ὁ οἶνος καὶ πίνων Βαλτάσαρ εἶπεν; aliter itaque iungit. Ipse *S. Hier.* notat ceteros interpretes transtulisse : bibebat ipse rex vinum coram cunctis principibus quos vocaverat. Dicitur *coram* iis, ut significetur regem in loco editiore ac separato consedisse, ita ut convivae ex eius regione essent (cf. *Est. Rohl. Hitz. Z. Keil*). Quod *S. Hier.* habet *secundum aetatem,* explicant eo quod אַלְפָּא explanaverit eodem sensu quo אַלּוּף princeps stirpis vel familiae : secundum quod quisque erat senior et dignior, priore aut posteriore loco accumbebat (cf. *Mald. Lap. Rohl.*); *Ros.* autem coniectat eum in textu Theodotionis pro χιλίων legisse ἡλικιων; verum hoc neque cum eo quod *S. Hier.* de ceteris interpretibus dicit componi potest neque explicat versionem eius; nam aram. לְקֳבֵל verti *secundum,*

id non est adeo mirum; sed κατέναντι ita reddi quis probabile censebit? In *mille* convivis magnificentia regis et opes ostentantur; cf. Esth. 1,4; referente Ktesia (apud Athen. Deipnos. 4,146) quindecim millia quotidie de mensa regis Persarum edebant; Alexander ad convivium nuptiale decem millia invitasse dicitur narrante Curtio (cf. *Z. Keil*). Ceterum Babylonios vino et luxuriei valde fuisse addictos, scriptores sacri et profani satis superque produnt; cf. Is. 14,11 hebr. 21,5; 47,1. Herod. 1,193 seq. Curt. 5,1; vide *Rawlinson*, Five Mon. 3, 19 seq.

Rex vino incalescens effertur insolentia v. 2 « *praecepit ergo iam temulentus ut afferrentur vasa aurea et argentea quae asportaverat Nabuchodonosor pater eius de templo quod fuit in Ierusalem, ut biberent in eis rex et optimates eius uxoresque eius et concubinae* »; — « noster interpres sensum non verba reddidit quae sic leguntur : dixit *in gustu* aut in decreto vini i. e. vino id consilii suggerente » (*Mald.*); de טעם vide 3,10 et Ion. 3,7. De vasis cf. 1,2. Ier. 52,19; 4 Reg. 25, 15. Mores babylonii in eo quoque accurate exprimuntur quod non solum concubinae sed uxores quoque cum viris mensae accubuisse dicuntur; magna enim erat apud Babylonios mulieribus libertas (ne dicam licentia) concessa [1]. Vasa esse allata ut Deo Israel utpote devicto a diis opprobrium inferretur, iam eo constat quod sacra vasa ad usum adhibebant profanum et praesertim ex laudibus quas diis suis tribuebant; v. 3 « *tunc allata sunt vasa aurea et argentea quae asportaverat de templo quod fuerat in Ierusalem et biberunt in eis rex et optimates eius, uxores et concubinae illius;* v. 4 *bibebant vinum et laudabant deos suos aureos et argenteos, aereos, ferreos, ligneosque et lapideos* »; — nexum attende : bibebant e vasis Domini et laudabant deos suos; ergo in Dei contumeliam ei idola praeferentes; quare Daniel v. 23 : adversus Dominatorem coeli elevatus es etc.

Advertit *S. Hier.* : « quamdiu vasa fuerunt in idolio Babylonis, non est iratus Dominus; videbantur enim rem Dei secundum pravam quidem opinionem, tamen divino cultui consecrasse; postquam autem humanis usibus divina contaminant statim poena sequitur post sacrilegium; laudant autem deos suos insultantes Deo Iudaeorum quod illis victoriam tribuentibus bibebant in vasis eius »; id quod eo magis culpabile evasit quia Deus per Danielem iam saepius suam ostenderat

---

1. Etiam in monumentis cernuntur rex et regina in sede sublimiore mensae accumbentes et pocula manibus tenentes; cf. *Vigouroux* l. c. p. 475. Xenophon quoque (Cyrop. 5,2. 28) et Curtius 5,1. 38 mulieres conviviis Babyloniorum interfuisse narrant; vide quoque *Rawlinson* l. c.

potentiam in aula regis, quorum testimoniorum ac documentorum ut omnes essent ignari fieri non potuit; quare v. 5 « *in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulae regiae, et rex aspiciebat articulos manus scribentis;* v. 6 *tunc facies regis commutata est et cogitationes eius conturbabant eum et compages renum eius solvebantur et genua eius ad se invicem collidebantur* »; — de שעה vide 3,6. In maximo regis terrore duo significantur : rem quam videat esse ordinis altioris, praeternaturalis; nam eiusmodi apparitiones mortalibus terrorem solent incutere; vide Is. 6,5. Ez. 2,1. Dan. 8,17; 10,8; quod autem tanto horrore corripitur, inde fit quia pessimi facinoris perpetrati sibi conscius est; unde statim infausta sibi portendi intelligit; mala enim conscientia semper timida est. Igitur senserat cum mandatum illud daret a se Deum insolenter provocari et contumelia affici. Dicitur contra candelabrum vel e regione eius; ita enim in pariete opposito et lumine collustrato digiti scribentes (aram.) a rege clare cerni poterant; videntur *super calcem parietis palatii* (aram.); generatim quidem parietes palatiorum, quantum ex ruinis concludi potest, varie ornati erant et marmore vestiti et sculpturis; at etiam inventae sunt aulae quarum parietes calce obtecti erant (*Layard,* Discoveries in Niniveh and Babylon p. 651). In v. 6 proprie : colores eius immutati sunt ei; scil. faciei color et habitus; pro hilaritate et lascivia pallor quasi mortis et horror successit; de זיו vide ad 4,33. Extremus autem timor et tremor describitur nodis vel ligaminibus lumborum solutis et genibus inter se collidentibus et confligentibus; significatur vires eum penitus defecisse ita ut erectus iam non stare posset sed in se quasi concideret, dum genibus intremiscentibus metus ingens pariter exprimitur. Fuerunt qui apparitionem hanc ex sola mentis regis perturbatione explicarent quippe qui vino onustus aliquid portentosi sibi visus esset videre (cf. *Kranichfeld*), aut qui censerent scripturam iam ex longo tempore parieti insculptam et antiquo scribendi genere confectam tum subito luminis proiectu a rege esse visam, quam utpote vetustissimo scribendi modo exaratam nemo legere valuisset nisi Daniel qui plus reliquis antiquitatis et scientiae fuisset gnarus. At talia deliramenta recitasse refutasse est.

Regis terror etiam bene describitur in voce magna qua ad consuetam superstitionem recurrens magos arcessi iubet v. 7 « *exclamavit itaque rex fortiter ut introducerent magos, Chaldaeos et aruspices; et proloquens rex ait sapientibus Babylonis : quicumque legerit scripturam hanc et interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur et torquem auream habebit in collo et tertius in regno meo*

erit »! — proprie : et tertius in regno meo *dominabitur;* cf. v. 16.29 תַּלְתָּא; eodem modo h. l. תלתי explicari oportet, non *triumvir,* quasi Daniel solum unus e collegio trium principum electus esset; de tali principum collegio sermo est 6,3 quod a Dario Medo institutum perhibetur, quare falso aliqui (*Hitz. Z.*) tale collegium iam sub Baltassar exstitisse statuentes praemium in eo reponunt, ut ei annumeretur. Quae ad eam sententiam persuadendam afferunt ex discrimine scriptionis תלתי et תליתי leviora sunt; *tertium* explicuit Theodotio idemque etiam LXX : dabitur ei potestas tertiae partis regni. De variis magorum etc. nominibus vide 2,2. 27. Vestiri purpura honori censebatur maximo; cf. Esth. 8,15. 1 Mach. 10,20; torques vero aureus insigne erat dignitatis longe spectatissimum quod a principibus concederetur, ut ait *Calm.* adductis locis Gen. 41,42. Esth. 6,8. Xenoph. Anab. 1,2. 27; 5. 8; 8,29. At scripturam legere non poterant v. 8 « *tunc ingressi omnes sapientes regis non potuerunt nec scripturam legere nec interpretationem indicare regi;* v. 9 *unde rex Baltassar satis conturbatus est et vultus illius immutatus est, sed et optimates eius turbabantur* » ; — maioris terroris causa exstitit sapientium inopia, in qua percipiebatur deos regi iratos et infensos opem et subsidium negare; unde maior regis terror et principum quoque perturbatio. Cum sapientes scripturam ne legere quidem potuerint, quaerunt multi quo litterarum genere fuerit conscripta, vetere quodam et iam inusitato et incognito vel hebraico Babyloniis ignoto; aut intellexerintne singulas quidem litteras, verum cum sensum quendam aut cohaerentiam efformare non potuerint, litteras legere[1] i. e. ad certas quasdam voces et sententias coniungere et voces efferre fuerintne impotentes. Cum quae causa fuerit in textu non assignetur, res certo definiri nequit; sed satis est hoc ultimum assumere; vide v. 15; alii signa quaedam statuunt symbolica, genus scribendi aenigmaticum. Quidquid demum statuitur, illustratione divina opus erat, ut Daniel eam daret interpretationem quae eventu mox est comprobata.

Magnus sane in aula convivii exstitit tumultus quaerentium, consultantium, coniectantium de scriptura; interruptam esse convivii hilaritatem et compotantium lasciviam subito terrore cito per palatium innotuit; unde v. 10 « *regina autem pro re quae acciderat regi et op-*

---

1. Hoc, ut in se facile et obvium, *Per.* praefert : « quocirca existimo, quod dicitur non potuisse eos legere scripturam, id non de simplici et qualicumque lectione, sed de ea quae sit cum intellectu verborum, certam aliquam ex ipsis verbis sententiam exprimendo, esse accipiendum. Non enim illi legentes scripturam scire poterant, quam separatim singula eius verba sententiam redderent, aut quomodo inter se connecti et copulari ad certum aliquem sensum eliciendum deberent ».

timatibus eius domum convivii ingressa est et proloquens ait : rex in aeternum vive! non te conturbent cogitationes tuae neque facies tua immutetur »! — reginam hic vocari matrem regis a plerisque recte existimatur; nam ut *Theod. Mar. Men. Troch.* monent, uxores regis convivio intererant v. 2; mater autem regis etiam regina vocari poterat et magna pollebat auctoritate (*Mald. Sa, Lap. Tir. Loch, Rohl. Heb. Hitz. Z. Keil* etc.). Pro aetate et dignitate abstinebat a compotationis licentia. Cum regis mater de rebus Nabuchodonosor eam habeat notitiam, confirmatur opinio quae supra ex aliis quoque statuta est uxorem Nabonidi filiam fuisse regis magni. « Hanc Iosephus aviam Baltassaris, Origenes matrem scribunt; unde et novit praeterita quae rex ignorabat; evigilet ergo Porphyrius qui eam Baltassaris somniatur uxorem et illudit plus scire quam maritum » (*S. Hier.*). Verti potest accuratius : regina propter sermones regis et optimatum etc.; facies i. e. color faciei זִיו 4,33; in aeternum vive, de qua dictione vide quae dixi ad Bar. 1,11.

In consilii inopia ipsa optimum consilium praebet v. 11 « *est vir in regno tuo qui spiritum deorum sanctorum habet in se et in diebus patris tui scientia et sapientia inventae sunt in eo; nam et rex Nabuchodonosor pater tuus principem magorum, incantatorum, Chaldaeorum et aruspicum constituit eum, pater inquam tuus, o rex,* v. 12 *quia spiritus amplior et prudentia intelligentiaque et interpretatio somniorum et ostensio secretorum ac solutio ligatorum inventae sunt in eo, hoc est in Daniele, cui rex posuit nomen Baltassar; nunc igitur Daniel vocetur et interpretationem narrabit* »; — cf. 3,5. 6; 2,48; 2,2. 27; in textu : in diebus patris tui intelligentia (proprie : illuminatio) et prudentia et sapientia sicut sapientia deorum inventae sunt in eo. Adverte modum dicendi ampliorem et enarrationem diffusam; iis enim ostenditur regi nihil notum esse de Daniele aut saltem parum; neque obstat quod 8,27 Daniel dicitur fecisse opera regis i. e. habuisse munus quoddam in rerum administratione; sunt enim ubique magistratus quos regem omnes plane cognitos habere nemo suspicabitur. Mater regis, filia Nabuchodonosor, singula perspecta habet; tantae enim rei memoria e mente filiae vel filii excidere non poterat; filium vero Nabonidi de ea parum curasse et si sciverit eam post tot annos oblitum esse non est quod in dubium vocemus. Cur Nabuchodonosor *pater* possit vocari supra dictum est p. 158. Eum loquendi modum usitatum fuisse *Schrader, Tiele* bene norunt; at quo facilius liber Danielis tribui possit tempori posteriori et argui falsitatis, eum hoc loco agnoscere renuunt (cf. *Schrader* Keilinschriften u. A. T. 2 ed. p. 189. 435; *Tiele* l. c. p. 463). Sed bene iam advertit Petrus archidiaconus : « non

facit errorem scientibus s. Scripturae consuetudinem qua patres omnes proavi et maiores vocantur » (quaestiones in Dan.; *M.* 96,1347).

b) **Scriptura explicatur 5, 13-31.**

Verbis quoque regis proditur Danielem regi esse incognitum; v. 13 « *Igitur introductus est Daniel coram rege; ad quem praefatus rex ait : tu es Daniel de filiis captivitatis Iudae quem adduxit pater meus rex de Iudaea?* v. 14 *audivi de te quoniam spiritum deorum habeas et scientia intelligentiaque ac sapientia ampliores inventae sunt in te;* v. 15 *et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent et interpretationem eius indicarent mihi et nequiverunt sensum huius sermonis edicere;* v. 16 *porro ego audivi de te quod possis obscura interpretari et ligata dissolvere; si ergo vales scripturam legere et interpretationem eius indicare mihi, purpura vestieris et torquem auream circa collum tuum habebis et tertius in regno meo princeps eris* »; — unde originem Danielis scit, de qua nihil regina dixerat? cum regina nomen inferret Daniel et nominis mutati mentionem, rex rerum sub rege magno gestarum haud plane ignarus, id colligere poterat; vel si rei olim a Daniele praestitae solum oblitus erat, sermone reginae memoria eius refricata est. Ex eo autem quod nunc eum dicat filium captivitatis Iudae [1] inferre Danielem regi omnino notum fuisse, ex ipsa interrogatione et modo loquendi *audivi de te* etc. excluditur. Ad rem notat *Mald.* : « non solum tamquam hominem ignotum sed parum etiam honorifice eum alloquitur, contra quam fecerat Nabuchodonosor 4,6, ex qua re licet diversum utriusque regis ingenium cognoscere ». Neque deos vocat *sanctos* qua reverenti appellatione regina tamen praeierat; in qua omissione indolem de-

1. Rem ita expendit *Heb.* : « regem sane non latuit avi sui Nabuchodonosor humilis e solio deiectio (5,22). Inde tamen minime sequitur Danielem qui hoc in negotio interpretis tantum munere functus erat ad ipsius notitiam pervenisse. Nullibi insuper asseritur prophetam per rerum discrimina quibus mortuo Nabuchodonosor regnum babylonicum obnoxium fuerat, pristinum suum locum servasse; ita forsan acciderit ut Baltassar ipsum prorsus etiam ignoraverit. Porro si contendas prophetam in aula babylonica mansisse, alium etiam modum omnia componendi ipse textus noster suppeditat. Innuit enim regina filium suum alloquens Danieli nomen impositum esse Baltassar, rex vero prophetam interrogat sitne ipse Daniel de filiis captivitatis Iudae. Hinc suspicio oritur fieri potuisse, ut rex de Danielis Iudaei olim sapienter dictis et factis quaedam audiverit, simul etiam aliquatenus noverit aulae suae praepositum cui nomen Baltassar, ignoraverit tamen hunc virum eundem esse cum Daniele Iudaeo. Spectata enim indole Danielis principum favoris minime studiosi, spectata simul rerum perturbatione regnantibus vicissim Evilmerodach, Neriglissor, Laborosoarchodo ac Nabonedo Babylone exorta, manifestum est hanc hypothesim nulla veritatis specie esse destitutam ».

prehendes parum reverentem deorum quam in contumelia Deo Israel illata etiam exhibuit, ea in re alienus a patre Nabonido qui inscriptionibus testantibus cura maxima deorum fana instaurat (*Brunengo* l. c. p. 389 seq.; *Tiele* l. c. 459 seq.).

Daniel quoque aliter cum eo agit quam egerat cum Nabuchodonosor; huius enim sortem miseratus est et attonitus haesit quamvis regno iterum fuerit restituendus 4,16; nihil tale nunc regi exhibet; regis insolentia enim et lascivia qua sacrilegium in Deum admiserat commiserationis affectum exstinguit; praeterea Daniel ex Ieremiae vaticinio tempus adesse scit liberationis Iudaeorum; quare interitus regni babylonici ei non potest non esse acceptus et faustus. Animum se gerere ab honoris dignitatisque desiderio et aestimatione alienum ostendit, quo interpretatio eius quoque ab omni specie fraudis vindicatur v. 17 « *ad quae respondens Daniel ait coram rege : munera tua sint tibi et dona domus tuae alteri da! scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem eius ostendam tibi* » ; — in textu : dona tua alteri da; sed Theodotio quoque habet *domus tuae;* cf. נבזביתך. Non vult Daniel vendere donum prophetiae, sed quod gratis accepit gratis dare (*Mald.*), iam illo tempore, ut *S. Hier.* dicit, praeceptum evangelicum sequens; quare *Theod.* eam Danielis vocem vocat apostolicam ; « alioquin tristia nuntiantem indecens erat libenter dona suscipere » (*S. Hier.*).

Prius ea in medium profert quibus regis insolentia magno supplicio digna probatur; ea quae Nabuchodonosori acciderant et regis edicto publice annuntiata erant rex non poterat ignorare, etsi Danielis memoria ei exciderat; unde acriter reprehenditur quod eo exemplo ac supplicio non fuit eruditus et de Dei reverentia edoctus v. 18 « *o rex, Deus altissimus regnum et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo;* v. 19 *et propter magnificentiam quam dederat ei universi populi, tribus et linguae tremebant et metuebant eum; quos volebat interficiebat et quos volebat percutiebat et quos volebat exaltabat et quos volebat humiliabat* » ; — cum Ieremias iam anno primo Nabuchodonosor vaticinatus esset : servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis (25,11), facile persuaderi poterat cuique eum ex Dei nutu et voluntate regiones sibi subiecisse. Pro *percutiebat* habet *Syrus :* quos volebat servabat (vivificabat), ita ut perfecta concinnitas habeatur in utroque membro inter se opposito. Ita quoque textus traditus explicari debet; quare pro *mas.* מָחֵא scribe vel מַחְיֵא vel fortasse etiam ut lectio habet varians מְחָא; eius versionis iam meminit *Vat.* eamque iure praeferunt recentiores (*Rohl. Troch. Hitz. Z. Keil, Meinhold* etc.). In verbis animadverte cum *Calm.* supremam istorum principum potestatem et absolutam. Haud immerito Ieremias saepius monet Deum

velle ut iugo Babyloniorum colla subdant 27,8. 11; 28,14 : iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum.

Etiam clarius ei innotescere poterat Dei gubernatio rerum in supplicio regi magno inflicto v. 20 « *quando autem elevatum est cor eius et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui et gloria eius ablata est* v. 21 *et a filiis hominum eiectus est, sed et cor eius cum bestiis positum est et cum onagris erat habitatio eius; fenum quoque ut bos comedebat et rore coeli corpus eius infectum est, donec cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum et quemcumque voluerit suscitabit super illud* »; — explica: cor eius bestiis aequale factum est; pro feris campi vel agri una ponitur species; cf. 4,22. 30; v. 22 « *tu quoque filius eius Baltassar non humiliasti cor tuum, cum scires haec omnia;* v. 23 *sed adversum Dominatorem coeli elevatus es et vasa domus eius allata sunt coram te et tu et optimates tui et uxores tuae et concubinae tuae vinum bibistis in eis; deos quoque argenteos et aureos et aereos, ferreos ligneosque et lapideos qui non vident neque audiunt neque sentiunt laudasti; porro Deum qui habet flatum tuum in manu sua et omnes vias tuas non glorificasti* »; — Deum igitur cognoscere potuit et debuit. Graviter effertur quae sit diversitas Dei vivi et idolorum mortuorum; Deus qui habet *flatum tuum* i. e. vitam tuam in sua potestate; vita enim halitu et spiratione se manifestat, spiritu intercluso exstinguitur; cf. Is. 2,22; pariter *viae omnes* i. e. omnes cogitandi agendique rationes Dei substant potestati et iudicio. Idola describuntur fere ut Deut. 4,28. Ps. 113,5-8; 134, 15-17. Quia igitur tali Deo intulit contumeliam nihil eruditus exemplo Nabuchodonosor v. 24 « *idcirco ab eo missus est articulus manus quae scripsit hoc quod exaratum est* »; — proprie : et scriptura haec exarata est.

Nota quanta libertate et animi fortitudine vates loquatur. Gravissimo prooemio hoc praemisso et animis ad Dei iudicia intelligenda praeparatis scripturam legit et interpretatur v. 25 « *haec est autem scriptura quae digesta est: MANE, THECEL, PHARES;* v. 26 *et haec est interpretatio sermonis : MANE : numeravit Deus regnum tuum et complevit illud;* v. 27 *THECEL : appensus es in statera et inventus es minus habens;* v. 28 *PHARES : divisum est regnum tuum et datum est Medis ac Persis* »; — מְנֵא (id quod geminatur in textu), תְּקֵל et in v. 28 פְּרֵס participia sunt passiva : *numeratum, appensum, divisum.* Prius quidem ex regulis grammatices rite formatur; reliqua huic conformantur, cum secundum grammaticam usumque exspectandum esset תְּקִיל et פְּרִיס; verum praeter conformationem ad priorem vocem etiam, uti explicatione data colligitur, id intentum esse vide-

tur, ut ipso sono fiat allusio ad תְּקֵל a קלל levem esse, minus habere ponderis, et ad פְּרַס Persa. Ceterum in v. 25 legitur in textu וּפַרְסִין *et dividentes.* Explicatur itaque : *numeratum :* numeravit Deus dies tuae dominationis et dominationem tuam finivit; loquendi forma *numeratum* id quod firmiter decretum et stabilitum est exprimitur; *complevit* i. e. ad finem adduxit; *appensum* i. e. appensus in bilance, iusto Dei iudicio et statera examinatus es et exploratus; opera tua sunt expensa; at inventus es deficiens, iusto pondere minor ceu nummus adulterinus; nam carens iustitia et probitate in statera Dei cum omni sua pompa appensus inventus est levis et vanus (*Lap.*); quare demum audit v. 28 *divisum :* regnum tuum a te transfertur, abscinditur, datur a Deo Medo et Persae. De usu et significatione vocum מָדַי וּפָרַס iam supra p. 160 dixi; semper regnum medo-persicum ita designatur et hoc loco insuper allusio cernitur explicita ad Persas.

Haec explicatio communiter proponitur et a grammaticis (*Winer,* Grammatik des bibl. Chaldaismus § 12; *Kautzsch*, Grammatik des Biblisch-aramaeischen § 29) et a lexicographis et ab interpretibus et simili ratione iam a LXX : ἠρίθμηται, κατελογίσθη, ἐξῆρται, dum Theodotio verba textus retinuit μανή, θεκέλ, φάρες. Nuper tamen alia acceptio in medium prolata est. *Clermont-Ganneau* tres illas voces significare pondera affirmat et verti debere : mina, siclus, dimidia mina; mina et siclus (scheqel, aram. תקלא) etiam alias inter pondera recensentur; פרס notione dimidiandi, dimidii apud rabbinos adhibetur (cf. *Buxtorf,* Lex.; *Levy,* Chald. Woerterb. s. v.); praeterea Ganneau in pondere assyriaco quod aequivalet minae dimidiae inscriptum se legisse testatur *peres.* Insuper *Noeldeke* monet תְּקֵל et פְּרֵס nullo modo posse in numerum participiorum referri, verum esse substantiva rite efformata (Zeitschrift für Assyriologie 1886 4 fascic.). Unde secundum hanc interpretationem vocum Deus sententiam suam ponderibus illis symbolice exprimit (cf. Zeitschrift für katholische Theologie 1887 p. 394). At prior explicatio etsi formae duarum vocum grammaticali non adeo congruit, tamen multo propius ad Danielis interpretationem accedere videtur. Parumper alio modo *Hoffmann* v. 25 concipit : mina, mina in nummis siclorum et (duae) minae dimidiae; תקל scil. esse appositionem ad alterum מנא; unde : mina : Deus regnum tibi tradidit integrum ac prosperum; siclus : appensus es in statera et repertus es deficiens; minae dimidiae : divisit regnum tuum et dedit Medo et Persae (vide Zeitschrift für kath. Theol. l. c. p. 591).

« Neque mirum, si Balthasar audiens tristia solverit praemium quod

pollicitus est; aut enim longo post tempore credidit ventura quae dixerat, aut dum Dei prophetam honorat sperat se veniam consecuturum » (*S. Hier.*). Daniel autem honores oblatos admittit non tam quia peracta interpretatione suspicio mendacii aut adulationis nulla erat (*Mar.*), quam ut in se honoretur Deus cuius propheta erat, « ut Dei gloriam ea ratione illustret et ut illa purpura et ille aureus torques divinae sententiae explicataeque ab eo scripturae testis sit » (*Mald.*) v. 29 « *tunc iubente rege indutus est Daniel purpura et circumdata est torques aurea collo eius et praedicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo* »; — ex verbis sequitur honorem ei statim collatum esse et promulgatum coram mille convivis in aula convivii. Neque fingendum est caede repentina regem impeditum esse quominus Danielem honoraret (*Haevernick*), vel totum hoc solum constitutum esse pro sequenti die vel praecones multa nocte per urbem clamantes honorem Danielis omnibus promulgasse. Cur Daniel honorem admiserit, *S. Hier.* hanc quoque affert rationem, « ut Dario qui erat successurus in regnum fieret notior et per notitiam honoratior » i. e. ut ea auctoritate et honore praeditus Dei gloriam et bonum populi sui apud novum dominatorem efficacius promovere posset.

Sententia cito est exsecutioni mandata v. 30 « *eadem nocte interfectus est Baltassar rex chaldaeus;* v. 31 *et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos* »; — Nabonidus enim proelio a Cyro victus sese cum paucis receperat Borsippam (Birs Nimrud); filius eius cum magna exercitus parte urbem Babylonem ingressus erat. Eius pugnae et fugae Nabonidi et veteres, Berossus et Herodotus, et ipsa illa inscriptio cui nomen est annales Nabonidi mentionem faciunt (cf. *Brunengo* l. c. p. 429 seq.); ex ea quoque discimus proelium factum esse mense tammuz, die 14 civitatem munitam Sippara (Sepharvaim) portas aperuisse Persis et die 16 Ugbaru (Gobryam) cum exercitu Cyri profectum esse versus Babylonem; proinde circa initium mensis iulii; Cyrum autem mense marcheschvan die tertio Babylonem ingressum esse et pacem promisisse et Gobryam satrapen instituisse, proinde circa medium mensem octobrem, forte die 19, ut *Hommel* censet (Geschichte Bab. u. Assyr. p. 785). Haec si ita se habent, ea quae veteres de obsidione urbis, de Euphrate flumine diducto, de ingressu Medorum et Persarum in urbem clam, dum Babylonii conviviis et luxuriei vacarent, concorditer narrant, collocanda erunt inter mensem iulium et octobrem. Ea igitur nocte qua per fluvium diductum et imminutum ingressi sunt milites in urbem obsessam et suis munitionibus nimis confisam, interfectus est Baltassar; eius convivium omnino congruit narrationi a veteribus traditae, de qua vide quae notavi ad Is. 21,5

et 44,27 et ad Ier. 51,31 seq. et cf. *Brunengo* p. 421-436; *Vigouroux* l. c. p. 472 seq.

De Dario Medo quaestio acerrima agitatur. Daniel tam distincte loquitur, immo aetatem eius assignat, ut si legeretur apud auctorem profanum, nemo rem narratam in dubium vocaret. At si agitur de sacro auctore, de re solum in s. litteris commemorata, res apud multos plane alia esse videtur; eventum narrari clamant apud nullum scriptorem commemoratum, proinde fictum, quasi s. auctor tum solum mereretur fidem cum eius narratio a profano quodam scriptore comprobaretur. Quid tandem obstat quominus assumatur Cyrum non statim per se regni vel provinciae Babyloniae gubernacula tractasse, sed ea tractanda commisisse Medo cuidam nobili, Dario nomine? Quo honore collato alicui Medo et Medos honoravit quos non ita pridem suo subiecerat imperio et forte Babyloniis rem gratam praestitit et se ipsum qui aliis negotiis satis esset occupatus a multis curis liberavit. Utique in inscriptionibus Darius Medus rex Babylonis nondum est repertus. Fieri etiam potest, ut casu quodam vel errore nomen Darii, utpote magis notum, pro nomine alio sit substitutum. Uti ex inscriptionibus patet quas *Strassmaier* descripsit, in primo anno Cyri regis Babel etiam simul cum eo Kambuzia (vir ex Kambuja) tamquam sar Babilu, rex Babel, designatur. Num eo nomine Cambyses, pater Cyri, vel Cambyses, eius filius declaratur? Quidquid est, ea inscriptione saltem ostenditur ab indole Cyri non fuisse alienum alterum quendam in regni consortium assumere. Ceterum in textu habetur : et Darius *accepit* regnum, quae dictio ad eum bene accommodatur qui a Cyro instituitur, ut pro ipso et ipsius nomine titulo regio res administret. Cum in textu non legatur *successit*, cum insuper apud LXX et in bibliis hebr. iste versus coniungatur cum sequenti narratione cap. 6, fuerunt qui negarent a Daniele asseri statim post Baltassar regnasse Darium Medum, verum eum collocari posse et debere prorsus alio tempore et versione *vulg.* creari errorem. At id temere asseritur. Nam versus 31 omnino requiritur eo loco et eo quoque sensu quo in *vulg.* ut oraculum eventu ostendatur impletum; uti enim caede Baltassar regis narrata impletur illud *numeratum* et *appensum* in v. 26. 27, ita regno a Dario suscepto habetur impletio tertiae vocis *divisum* vel *dividentes*. Praeterea in ipso textu particula coniunctionis ו sententia *et* Darius accepit arcte adnectitur ad antecedentia, dum 6,1 absolute inchoatur שְׁפַר placuit. Si qui autem opinantur nullo modo asseri a Daniele Darium regem fuisse Babylonis et proinde 5,31-6,27 referri debere non ad Babylonem sed ad Ecbatana et ad regem Medorum, illi non legisse videntur 9,1 : in anno primo Darii... de semine Medorum

qui imperavit super regnum Chaldaeorum, quo versu simul confirmatur, in *vulg.* 5,31 sensum rite esse expressum, si dicitur *successit.*

Aliqui affirmarunt Cyrum non assumpsisse titulum regis Babylonis nisi anno tertio ab urbe capta idque probari contractibus privatis; indeque igitur haberi argumentum alicuius interregni quod Daniel attribuat Dario Medo. Ita Lenormant et Babelon quos citant et sequuntur *Vig.* l. c. p. 483 et *Brunengo* p. 473. At id iam dici nequit ex quo *Strassmaier* plurimas inscriptiones ex tempore Cyri publici iuris fecit. Nam in iis contractibus Cyrus iam anno accessionis vocatur rex Babylonis, quae appellatio eodem anno etiam cum alia commutatur rex regionum vel utraque etiam coniunctim legitur. Ita inscriptione n. 3 legitur : arah kislimu ûmu 7 tu shanat rish sharrûti Kurrashu shar Bâbilu i. e. mense kisleu die 7 anni initii (accessionis) regni Cyri regis Babylonis; et ex die 24 eiusdem anni et eiusdem mensis alia legitur inscriptio in qua Cyrus nominatur shar mâtâti et die 5 mensis adar eiusdem anni in inscriptione n. 6 uterque titulus coniungitur. Idem cernitur in inscriptionibus ex primo anno regni eius; in inscriptione n. 11 a die 4 nisan primi anni appellatur rex Babylonis; item n. 18 a die 30 mensis abu; n. 19 a die 16 mensis tischri iterum uterque titulus iungitur etc. Iam, uti *Epping* probat (Astronomisches aus Babylon, Freiburg i. Br. 1889 p. 182 nota), septimus annus Cambysis regis correspondet anno 523 a. Ch[1].; de Cambyse autem, ut *Strassmaier* mecum communicavit, exsistunt inscriptiones a die 12 mensis sexti eius anni accessionis usque ad diem 27 mensis schebat anni octavi regni eius i. e. Cambyses iam regnavit die 12 mensis sexti anni 530 et regnavit saltem usque ad diem 27 mensis schebat anni 522 a. Ch. De Cyro autem exsistunt inscriptiones ab anno accessionis eius usque ad annum 9 regni eius mensem tammuz diem 27 i. e. Cyrus regnare incepit 538 vel 539 et regnavit saltem usque ad diem 27 tammuz 529 vel 530 a. Ch. Ante eum regnavit Nabonidus; de eo exsistunt inscriptiones ab anno accessionis eius mense tertio die 18 usque ad annum regni 17 mensem octavum (marcheschvan) diem 10 i. e. ultima inscriptio quae nomen fert Nabonidi est a die 10 mensis octavi anni 538 vel 539 et post 14 dies, die 24 eiusdem mensis iam inscriptio exsistit nomine Cyri.

Sed qui tandem censendus est Darius Medus? Variis sententiis quae propositae sunt perpensis illa videtur probabilior et melioribus nixa indiciis qua statuitur Cyaxarem II filium Astyagis Medorum regis esse eum quem Daniel nominet Darium. Hanc sententiam quam multi

---

1. Discrimen a canone Ptolemaei est anni unius. Secundum eum enim annus eius septimus est annus 522; verum ex tabula astronomica anni septimi eas astrorum positiones intellexit *Epping* quae non conveniant nisi in annum 523 a. Ch. Unde initium quoque regni Cyri vel in annum 539 vel 538 incidit.

veterum iam statuerunt (cf. *Iosephus*, Ant. 10,11. 4; *S. Hier.* ad 8,3; *Alb. Mald.* ad 9,1; *Mar. Per. Lap. Tir. Calm.*) etiam sat multi recentiorum praeferunt (cf. *Loch, Brunengo, D. Ges. Bertholdt, Hengstenberg, Lengerke, Haevernick, Auberlen, Kranichfeld, Kliefoth, Zoeckler, Keil, Seager*, Transactions of the Society of bibl. Archaeology 1878, VI p. 118 etc.); alii eam saltem valde probabilem dicunt et quae cum Danielis narratione apte componatur (*Troch. Heb.*). Exstitisse Cyaxarem, filium Astyagis eiusque successorem regemque Mediae, ex Xenophontis Cyropaedia colligitur, in quo libro satis frequenter eius fit mentio. Verum quidem est eo in libro minime omnia ad rei veritatem describi; at adverte multa ex narratis vere evenisse, et praeprimis ex viris quorum partes ibi exponat v. g. utriusque Cambysis, Astyagis, Croesi, Gobryae, Hystaspi nullum esse pro arbitrio fictum; cur ergo id in uno Cyaxare, de quo toties mentio fit (cf. I,4,9. 22; 5, 2; III, 3,13. 20; IV,5,8; V,1. 1 etc.), praesertim cum adeo intime res et mores Cyaxaris cum rebus a Cyro[1] gestis connectantur? Verum est eum ab Herodoto non commemorari; at iure notat *Ges.* « solere Herodotum praetermissis mediocribus hominibus ex longa rerum serie nonnisi unum alterumve memorare reliquis eminentiorem, ut aliunde constat et ipsa Babyloniae historia docet ex qua unius Nitocris reginae mentionem iniicit, reliquos reges usque ad Labynetum ne Nebucadnezare quidem excepto silentio transit » (Thes. p. 350). Atque ex iis quae nunc comperta habemus monumentis et inscriptionibus explicatis Herodotum et plurima non narrare et saepius decipi pariter certum est. Unde eius auctoritate narratio Xenophontis non convellitur qui etiam profitetur se ea enarrare ὅσα οὖν καὶ ἐπυθόμεθα καὶ ᾐσθῆσθαι δοκοῦμεν.

Iam ex narratione Xenophontis Cyrus bellum gerit contra Babylonios quasi dux exercitus Cyaxaris (V, 5,1; VI, 1,6). Urbe expugnata

---

1. Omnino concedi potest, immo probabilissime debet concedi, Xenophontem ut omnem mali speciem a suo heroe longissime removeret, res a Cyro contra Astyagem gestas haud fideliter descripsisse, verum modum quo illum regno privaverit satis obtexisse. Sed inde nondum sequitur quod v. g. *d'Envieu* vult p. 464, Cyaxarem solum ad hoc esse excogitatum et effictum a Xenophonte ut crudelitatem qua usus esset Cyrus contra Astyagem dissimularet (pour masquer la brutalité du roi de Perse envers Astyage). Si enim id tantum intendisset Xenophon, non opus erat fingere filium Astyagis; potius ea fictione ei quod optaret impedimentum opposuisse censendus esset. Nam inducens eum qui nunquam exstitisset et de quo nemo unquam quidquam audivisset, toti suae narrationi suspicionem fraudis aspersisset, quam tamen evitare prudentiae erat; eam vero satis removit si partes praecipuas agendas attribuit viris illis qui eo tempore floruisse et cum Cyro negotia pertractasse revera dicebantur. — Insuper qui Herodotum prorsus sequi malunt, non videntur attendere historiam Cyri *mythis ac fabulis* inspergi apud eum.

Cyaxari munera obtulit eique significavit palatium ei paratum esse Babylone, ut si eo iret ibi quasi domi habitaret (VIII, 5,17) i. e. ut si more regum orientalium sedem regiam pro aliquo tempore Babylonem vellet transferre, ibi haberet palatium regia maiestate dignum. Unde secundum Xenophontem non Cyaxares imperium babylonicum expugnat, sed a Cyro accipit imperium expugnatum, sicut Daniel dicit de Dario. Describitur Darius eo tempore natus annos 62; Cyaxares aliquanto maior natus erat Cyro; πρεσβύτερός εἰμι Κύρου, ipse dicit VI, 1,6; iam vero eo tempore Cyrus annos natus erat 60, cum anno 529 a. Ch. diem obiret natus annos 70; quare aetas Dario adscripta omnino convenit in Cyaxaren. Eum tum temporis aetate iam satis provectae fuisse etiam eo patet, quia referente Xenophonte Cyaxares cum non haberet prolem masculam Cyro etiam tradit Mediam totam; proinde ea aetate erat ut iam non speraret sibi posse filium gigni (VIII, 5,19). Atque iis quoque moribus describitur Cyaxares quibus ea quae de Dario Danielis legimus facile explicantur. Cyaxares enim vir perhibetur voluptatibus deditus, negotiorum gerendorum negligens, Cyro rerum gerendarum curam cedens et ab eius nutu et imperio fere pendens; ita quoque Darius cp. 6 totus a primoribus regitur eorumque voluntati cuncta concedit. Quare excepto nomine reliqua satis inter se congruunt. Cum LXX praebeant nomen Artaxerxes simul cum altero Darii nomine, suspicio oritur hoc loco quoque in textu Danielis nomen genuinum non esse traditum. De hac quaestione bene agit *D.* p. 81 seq.

Demum bene notat *Heb.* ex eo quod Daniel regem in medium profert a nullo alio scriptore eo nomine designatum valide comprobari narrationem libri nequaquam esse opus supposititium; « agnoscunt enim rationalistae auctorem huius libri Scripturas sacras Iudaeorum legisse. Iam vero iuxta illam hypothesim pronum erat ut ipse opus suum commendaturus plane exscriberet Isaiam qui Babylonem a Cyro expugnandam praedixerat, alium autem regem Darium coaevis suis ignotum producere sedulo cavisset, ne commenta ipsis obtrudere videretur. Si igitur auctor noster secus agendum esse duxerit, istud ea sola de causa acciderit, quod res prout eas gestas esse cognoverat accurate referre prae ceteris intenderit ».

Uti fit in re obscura et dubia, varia proposita sunt ad quaestionem hanc de Dario Medo solvendam. In periodico Transactions of the Soc. of bibl. Arch. 1878, VI p. 122 Ernest de Bunsen ponit quaestionem num non censeri possit Darium et Cyrum esse unum eundemque. *Raska* autem (Chronologie der Bibel, p. 121 seq.) censet 5,31 et 11,1 a Daniele esse scriptum non Darium, sed Cyrum Medum; nomen autem Cyri per errorem postmodum in

nomen Darii esse mutatum, quia 6,1 seq. revera sermo fiat de Dario, Dario scil. Hystaspi filio quem 6,1.28 et 9,1 intelligendum esse existimat. Hanc opinionem ideo amplectitur, quia nullibi mentio fiat alicuius Darii qui expugnata Babylone imperium capessierit, dum e contra omnibus testimoniis sacris et profanis Cyrus regnasse dicatur, qui eo tempore fere etiam annos 62 natus fuerit. At mirum est et plane incredibile amanuenses pro nomine noto Cyri posuisse aliud nomen; dein 6,28 nullo pacto Darius, filius Hystaspi intelligi potest; dicitur enim : Daniel prospere egit in regno Darii et in regno Cyri Persae; ipsa collocatione iam prohibemur quominus Darium Hystaspi filium designari opinemur. Praeterea nota Cyrum dici Persam hic et 10,1 regem Persarum; unde plane evadit improbabile Danielem 5,31 scripsisse Cyrum Medum et eodem modo 11,1.

Alii ubique Darium filium Hystaspi intelligendum esse volunt; ita Genebrard et Clavier, quos pro ea opinione allegat Trochon p. 24, et recentiori tempore *Bosanquet*, Transactions l. c. p. 79. 123, cui consentit *Sayce* p. 122. At id est oppido falsum. Nam Darius Hystaspi filius certissime non est Medus, sed ut ipse in inscriptione cui a Behistun nomen est saepius affirmat ex prosapia Achaemenidarum, igitur ex eodem genere quo Cyrus, ex genere antiquo regum Persarum (cf. *Spiegel*, Altpers. Keilinschriften p. 3); dein obstat quod modo monui verborum collocatio 6, 28; pariter 11,1 quo angelus in tertio anno Cyri regis Persarum dicit se iam anno primo Darii Medi adstitisse Michaeli adiutorem. Quomodo igitur fieri posset, ut Darius iste sit Darius filius Hystaspi? Pariter militant contra eam opinionem quae iam exposita sunt de nexu qui intercedit inter 5,31 et antecedentia. Proinde nisi Daniel secum ipse pugnare dicendus est, haec sententia procul est abiicienda; cf. *D*. p. 77.

Alii in Dario Medo ipsum cerni posse Astyagen existimant. Eam sententiam ut certam habet *Niebuhr*, Geschichte Assur's und Babel's p. 92. 224, ut probabilem *Palmieri*, de veritate historica libri Iudith aliisque s. Script. locis p. 63; pro ea sententia ex veteribus allegantur quoque *Syncellus* et *Cedrenus*; et Syncellus quidem in Chronographia p. 205 (in ed. Dindorf p. 387) dicit Darium Medum etiam esse Astyagen; at p. 209 (393) legitur Ναβονάδιος ὁ καὶ Ἀστυάγης Δαρεῖος Ἀσσουήρου καὶ Ἀρταξέρξης ἔτη ιζ′ et eodem fere modo dicit Cedrenus p. 142 (ed. Bonnae 1838 p. 249) : Darius Medus etiam Artaxerxes et Astyages et Nabogiadus appellatur; idem Estheram formae gratia uxorem duxit. Unde horum testimonia pro ea opinione nullius sunt auctoritatis. Neque ea sententia cum computatione temporum conciliari potest. Nam Darius Medus cum Babylon expugnatur natus est annos 62; eodem tempore Cyrus, qui anno 529 moritur natus 70 annos, iam est sexagenarius; sed quis credere potest Astyagen solum annis duobus natu maiorem esse Cyro? Alii etiam ex eo argumentum ducunt quod Herodotus 1,74 narrat, Astyagen anno illo quo bellum inter Alyatten et Cyaxaren finitum sit in matrimonium duxisse filiam Alyattis Aryenin vel saltem sponsalia facta esse inter filium Cyaxaris, Astyagen, et filiam Alyattis. Iam eventum hunc multi adscribunt anno 610 vel 603; unde patet anno 538 Astyagen

nimis aetate provectum fuisse (cf. *Brunengo* p. 232. 466). At haec argumentatio non est satis tuta. Uti Herodotus narrat sexto anno belli inter Alyatten et Cyaxaren pugna commissa dies subito in noctem mutatus est; evenit enim solis defectio quam Thales milesius praedixisse fertur. Iam ista solis defectio investigationibus a Zech, Airy, Hind factis evenisse dicitur die 28 mensis maii an. 584 (cf. *Klein*, das Sonnensystem, 1871 p. 27; *Stein*, Herodotus. 1883 p. 91); quae ab aliis pro anno 610 statuitur, in Asia minore parum animadvertebatur. Praeterea Thales diem obiit an. 548 aetate provectus quidem, at vix adeo annis onustus ut iam pro anno 610 solis defectionem vel praedicere vel explicare potuisse censendus sit. Quare minime certum est illam pugnam factam esse an. 610; unde ex illo eventu pro nostra quaestione nihil concluditur.

In inscriptione cui nomen est annales Nabonidi legitur Gubaru (Ugbaru) Gobryam vid. esse a Cyro institutum gubernatorem urbis. Unde pronum erat concludere in Gobrya demum repertum esse Darium Medum. Atque hanc sententiam multis propugnavit *Babelon* (cf. *Brunengo* p. 469), eique adstipulantur *Vigouroux* et *Trochon* qui eam sententiam tamquam certam proponit (Daniel p. 26). At ea quoque sententia multis premitur difficultatibus. Nam secundum Herodotum Gobryas non est Medus sed unus ex primoribus Persarum (3,70), est unus ex septem coniuratis qui contra magum Pseudo-Smerdim consurgunt et Gobryas coniuratos alloquitur dicens : ἀρχόμεθα μὲν ἐόντες Πέρσαι ὑπὸ Μήδου ἀνδρὸς μάγου (3,73); igitur rem dicit esse non ferendam, ut nos Persae a Medo imperio subigamur, unde certe prodit se non esse Medum origine; etiam Darius in inscriptione supra iam allegata Gobryam appellat Persam (Gaubaruva Pârça; *Spiegel* l. c. p. 36). Xenophon autem Gobryam appellat Assyrium (Cyrop. IV, 6,1. 2) eique in expugnanda urbe magnas attribuit partes (VII, 5,24 seq.); eum autem vocans Assyrium originem ei adscribere potest chaldaicam vel babylonicam, neque tamen medicam. Porro si Gobryas iam fuisset annorum 62 cum Babylon expugnaretur, certe mirum valde esset quod in coniuratione contra Pseudo-Smerdim partes agere posset adeo magnas licet annis oppressus, immo quod sub Dario filio Hystaspi tamquam unus e primoribus regisque consiliariis maxime familiaribus floreret (Herod. 4,132. 134). Igitur sequi videtur Gobryam illum de quo loquitur Herodotus non posse censeri Darium Medum. Proinde si illum Ugbaru vel Gubura qui in inscriptionibus nominatur existimaveris esse Darium Medum, cave in illo videas Gobryam Herodoti.

Alii demum tutius censent Darium Medum cum nullo ex iis omnibus comparare, verum statuere eum esse principem reliquis rerum scriptoribus ignotum. Huic sententiae favent *Heb.* p. 193. 197 et *Rohl.;* virum ex Medis regia forsan prosapia ortum electum esse a Cyro, quo arctius interim gentem illam simul cum Persis in unum regnum foederatum ditioni suae adstrictam retineret; « cum igitur Darius ille vices tantum regis gesserit nec quidquam praeclare patrasse videatur, intelligitur memoriam illius ab antiquis non esse servatam » (*Heb.*). Atque revera quod Cyrus Medo alicui summam conferebat in regnum babylonicum potestatem, valde aptum erat

ad Medos imperio suo magis magisque conciliandos. Ista dignitas Medo collata est honor quo regno medico iam demortuo vel potius exstincto parentatur a Cyro.

Denique de sententia quam recentissime protulit *d'Envieu*, Darium Medum esse Neriglissor, iam supra p. 159 dictum est, eandemque *D.* quoque bene oppugnat p. 79-81.

5. *Daniel in lacum leonum coniectus servatur. Cap.* 6.

ARG. — Daniel sua sapientia et honore a rege sibi habito invidiam excitat principum; quare eum perdere volentes regem ad ferendum decretum permovent ne quis per triginta dies a deo aliquo quidquam petat nisi a solo rege. Daniel autem consuetas ad Deum preces minime omittit; quare spreti regii mandati accusatus mittitur in lacum leonum (6,1-17). Postero die rex de eius sorte sollicitus eum incolumem servatum esse deprehendit vehementer gavisus; accusatores mittuntur in lacum et devorantur a leonibus; rex autem edicto publico Deum Danielis honorari iubet (6,18-28). — Ostenditur hac narratione quomodo Deus qui se regibus chaldaicis potentem manifestavit etiam in regno medo-persico non cesset suam maiestatem gentibus ob oculos ponere; vide Proleg.

a) **Danieli insidiae parantur 6, 1-17.**

Quomodo factum sit, ut Daniel etiam in honore esset apud novum regem, *Theod.* explicat ex splendore pietatis quae ubicumque sit proprios emittat radios, *S. Hier.* autem eo quod rex audierit signum et portentum quod Baltassar acciderat et interpretationem quam Daniel exposuerat et quomodo Medorum regnum Persarumque praedixerit. Utrique causae adiunge prudentiam Danielis et rerum gerendarum experientiam regi mox esse perspectam. Mores autem regis in hac narratione ii describuntur qui Cyaxarem, Astyagis filium, a Xenophonte descriptum prorsus referunt; hominem enim cernimus negotiorum curam a se longe amandantem, quietis ac voluptatis studio fere unice intentum, ad aliorum arbitrium decernentem, prudenti consideratione destitutum, aliorum impetui cedentem invitum, cum in se nihil habeat firmitatis vel constantiae (cf. 6,2. 9. 14-18 et vide Cyrop. IV, 1,13 seq. 5,8; V, 5,2. 35. 38. 41 seq.).

Qua de causa Daniel invidiam principum incurrerit exponitur v. 1 « *Placuit Dario et constituit super regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo,* v. 2 *et super eos principes tres ex*

quibus Daniel unus erat, ut satrapae illis redderent rationem et rex non sustineret molestiam; v. 3 *igitur Daniel superabat omnes principes et satrapas, quia spiritus Dei amplior erat in illo;* v. 4 *porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum; unde principes et satrapae quaerebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere regis; nullamque causam et suspicionem reperire potuerunt eo quod fidelis esset et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo* »; — LXX praebent satrapas 127, qui numerus ei qui habetur Esth. 1,1 conformatus esse videtur; immo *Iosephus* Ant. 10,11,4 statuit 360, fortasse ex errore unicuique ex tribus principibus 120 attribuens. Hanc narrationem tamquam fictam traducit *Hitz.*; teste enim Xenophonte Cyrum primum misisse satrapas in provincias subiectas eosque sex solum; teste autem Herodoto Darium primum totum regnum divisisse in 20 provincias; unde narrationem hanc argui falsitatis. At Xenophon loco allegato i. e. Cyrop. VIII, 6,1. 7 ne verbulo quidem indicat Cyrum *primum* instituisse ut satrapae provincias subiectas gubernarent; e contra ita rem narrat ut de institutione omnibus iam nota et consueta loqui videatur. Atque profecto, num quisquam credet a Cyro primum repertum et in usum inductum fuisse, ut maius regnum non ab uno administraretur, sed ut in variis regionibus constituerentur magistratus? Quid quod iam apud Isaiam Assyrius de regno suo loquitur : numquid non principes mei simul reges sunt (10,9)? Et Berossus quoque scribit patrem Nabuchodonosor, regem Nabopolassar certiorem esse factum de rebellione quam movisset satrapes ab eo institutus in Aegypto et in regionibus Syriae et Phoenices (cf. *Iosephus,* Ant. 10, 11,1; c. Ap. 1,19. 20). Neque verum est Cyrum solum sex satrapas misisse; nam Xenophon tantum de iis refert quos Cyrus ablegavit in Arabiam et in Asiam minorem; de aliis regni persici provinciis, Babylonia, Assyria, Media, Syria non loquitur; quare falso ex Xenophonte colligitur regnum persicum solum in sex satrapias divisum fuisse. Etiam Herodotus nullo modo a Dario primum regnum esse in provincias distinctum affirmat, sed solum narrat eum constituisse viginti ἀρχάς, τὰς αὐτοὶ καλέουσι σατραπηΐας 3,89. Ceterum regnum babylonicum iam sub Nabuchodonosor in varias provincias esse descriptum discimus ex 2,48. 49 et 3,2 quo loco Daniel pro eiusmodi magistratu eo nomine utitur quod postmodum more Persarum adhibitum est. Numerum autem provinciarum alio tempore alium fuisse eo quoque ostenditur quia sub ipso Dario filio Hystaspi alius et alius nobis offertur : Herodotus 20 fuisse dicit; in inscriptione persepolitana praeter Persiam enumerantur 29, in inscriptione de Behistun 23 (*Spiegel* l. c. p. 4. 50); tempore Xerxis 127 fuisse ex libro Esther (1,

1; 8,9) comperimus. Quare a Dario Medo fuisse constitutas 120 nullo modo impugnari merito potest.

Hisce 120 satrapis tres praeposuit principes quibus ratio esset reddenda de tributis et vectigalibus, ne scil. rex damno afficeretur; de voce נזק vide Esdr. 4,13. 15. 22 et Esth. 7,4, quibus in locis sermo est de nocumento vel molestia et difficultate quae regi inferretur; eo sensu hic quoque vertit Theodotio ὅπως μὴ ἐνοχλῆται : ne regi molestia crearetur. Unus ex istis triumviris erat Daniel qui officio suo sapienter fungendo longo intervallo ceteros superabat, quia spiritus praecellens in eo erat; vide 5,12. Unde rex iam cogitabat eum super duos illos praesides extollere et toti regno praeficere. Verum iste favor regius aliorum movit invidiam. Duo illi alii praesides et satrapae — certe non omnes 120, ut *Hitz.* ad narrationem risui exponendam vult — sed qui casu in aula aderant vel a duobus praesidibus in auxilium advocabantur vel utpote subditi Danieli censebantur facilius in eo aliquid vituperii deprehendere posse, sedulo quaerebant causam quandam accusationis contra Danielem *ex parte regni* (ita in textu; *Vat. Mald.* et *regni* quoque habent codices et editiones *vulg.* priscae complures : complutensis, paris. lovan. Hentenii; cf. *Lucas* brugensis) i. e. ut invenirent aliquid quod de regno male administrato Danieli possent obiicere. Eodem modo explica *ex latere regis* vel ex parte regis, si scil. in regis servitio vel in honore regi praestando aliquam committeret negligentiam. At nullam causam vel crimen (proprie : corruptionem, rem prave factam) reperire poterant, quia Daniel in munere fidelis erat neque ullam culpam vel rem perperam gestam admittebat. « Et hoc testimonium datum est beato Danieli non ab iis tantum qui eum diligebant, sed etiam ab iis qui eius vitae insidiabantur » (*Theod.*).

Aegre ferunt quod alienigena adeo honoretur a rege eumque sibi praeponi nullo modo ferendum esse statuunt. Cognoscentes autem eius religionem quomodo insidiae ei strui possint inter se expendunt v. 5 « *dixerunt ergo viri illi : non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui* »; — non inveniemus contra eum *causam ullam*, nisi etc.; felix conversatio, notat hic *S. Hier.*, in qua inimici nullam reperiunt occasionem, nisi forte in legitimis Dei; igitur pro crimine observationem legis divinae ei obiici oportet (*Mald.*), aliquid statuendum est contra legem Dei sui, quia tunc legi Dei sui adhaerebit et incidet in legem hominis (*Alb.*); v. 6 « *tunc principes et satrapae surripuerunt regi et sic locuti sunt ei : Dari rex in aeternum vive* »! — verbum הַרְגִּשׁוּ explica : cum impetu vel tumultuantes regem adierunt, vehementer et instanter ab eo postula-

runt, ut decerneret quod volebant; *surripere* exponit *S. Hier.* : non enim hoc locuti sunt quod agere cogitabant, sed per honorem regis inimico moliuntur insidias; v. 7 « *consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus et satrapae, senatores et iudices, ut decretum imperatorium exeat et edictum, ut omnis qui petierit aliquam petitionem a quocumque deo et homine usque ad triginta dies, nisi a te rex, mittatur in lacum leonum;* v. 8 *nunc itaque rex confirma sententiam et scribe decretum, ut non immutetur quod statutum est a Medis et Persis nec praevaricari cuiquam liceat* »! — regis mentem multitudine in suas partes pertrahere et quasi opprimere student; unde tam sedulam faciunt variorum magistratuum enumerationem, in qua simul egregie mentiuntur; nam cum Daniel unus princeps ex tribus nihil tale suaserit, iam non *omnes* principes consilium inierunt; vide v. 2; de aliis nominibus cf. 3,2; eos uti insigni exaggeratione iam eo patet quia decretum extorquere volunt ad unum Daniel perdendum; quare iis minime curae fuit, ut eiusmodi decretum per totum regnum promulgaretur. Ad eorum intentum sufficiebat, si in una aula regis ita annuntiabatur, ut Daniel illud audiret.

De eo decreto tamquam de re plane ridicula et quae vel mandari vel explorari nulla ratione possit sed plane sit absurda et insulsa, *Hitz.* aliique rationalistae rident et narrationem tamquam figmentum reiiciunt. At immerito. Nam decretum eo modo debet considerari et expendi qui indicatur clare in ipsa narratione. Solum volunt perdere Danielem. Ad hoc autem satis erat si rex eiusmodi decretum statueret, si Daniel id comperiret et contra illud ageret. Ad hoc non opus erat, ut per totum regnum promulgaretur. Nam postulare ut nemo in toto regno per 30 dies aliquam rem peteret nisi a rege, id utique quam maxime insanum fuisset. Nihilominus tale quid posse alicui tyranno in mentem venire, vide Proleg. At regi persuadere, ut aulicis id imperaret qua re simul omnium in regem reverentia et obedientia probaretur et detegi posset si qui forte minus fidi regique devoti inter eos exsisterent, non est a verisimili alienum; idque eo magis, quia non de quacumque petitione agitur, sed de tali precatione qua rex tamquam aliquod numen honoraretur et agnosceretur. Iam vero reges quandoque in numero deorum habebantur; id constat de regibus Aegypti (vide quae notavi ad Ez. 20,3 in Comment. p. 302) et aliqua saltem indicia de regibus quoque persicis atque etiam medis habentur. Nam, ut Herodotus narrat, Deiokes iam plurima statuit et aditum ad se prohibuit, ut omnes magna sui reverentia imbueret (1,99), Persas autem reges suos inter deos colere Curtius quoque affirmat (8,5. 11) cui aliorum quoque testimonia consentiunt (cf. *Rohl. Troch. Vi-*

gouroux ad h. l. *Z. Keil*). Accedit quod Darius Medus novus dynasta regi babylonico occiso in regnum successerat. Inde autem fortasse arripi poterat occasio inducendi regem, ut pro aula sua tale statueret decretum quo scil. manifestum redderetur utrum etiam ii aulici qui antea servierant regi babylonico ad novi regis cultum et servitium transiissent vero animorum obsequio necne. Esse vero decretum illud statutum non pro regno toto, sed pro iis qui prope regem in urbe regia erant etiam ex poena proposita consequitur. Lacum enim leonum vel « depressam in altum foveam vel arentem cisternam in qua leones nutriebantur » (*S. Hier.* ad v. 19) non ubique per regni urbes vel oppida exstitisse patet, sed in urbe regia vel prope arcem regiam. Monumenta reperta exhibent quantopere reges venatione leonum delectati sint; leones etiam a populis subiectis inter reliqua tributa quandoque afferebantur in arcem regiam (cf. *Layard,* Discoveries in the ruins of Niniveh and Babylon p. 138). Leones in caveis servatos esse certum est[1]; homines mortis reos ipsis traditos esse devorandos iam inde redditur omnino probabile; insuper ex annalibus Asurbanipal verba recitant quibus dicitur et Sennacherib et Asurbanipal eiusmodi poenam inflixisse (cf. Transactions of the Soc. of bibl. Archaeology 1873,2 p. 362-363).

Quo certius optato rei exitu potiantur, regem urgent ut mandatum istud scripto consignetur. Timent scil. ne rex qui tantopere Danieli favet ei parcere velit. Edictum autem regium semel promulgatum ex more Persarum non potest revocari; vide Esth. 1,19; 8,8. Quare magna vafritie malevoli illi principes regem circumveniunt incautum qui ad quid ipsi tendant minime apprehendit, sed potius eorum consilium laudat et approbat quo regiam auctoritatem firmare et omnes ad eam summa veneratione prosequendam adigere studeant v. 9 « *porro rex Darius proposuit edictum et statuit* »; — in textu : propterea exaravit scriptum et interdictum. Tribus de causis, scribit *Mald.*, credendum est eum in eam sententiam adductum fuisse, ambitione summi honoris, principum consensu et auctoritate, humana prudentia, ut hominum sibi recens subditorum animos an satis dicto audientes essent experiretur.

Daniel autem non destitit orandi causa domum ire, sicut antea facere solebat neque de orandi ritu quo antea utebatur metu regis quid-

---

1. Vide quoque parabolam Ez. 19,6-9 propositam : factus est leo... et miserunt eum in caveam. Merito scribit *Lenormant :* « la fosse aux lions devient pour nous un détail d'une exactitude et d'une précision topiques, en présence des admirables bas-reliefs de chasses d'Assurbanipal, où nous voyons amener sur le terrain, dans des cages, les lions gardés pour les plaisirs du roi »; cf. *Vigouroux* l. c.

quam praetermisit (*Mald.*) v. 10 « *quod cum Daniel comperisset, id est constitutam legem, ingressus est domum suam et fenestris apertis in coenaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua et adorabat confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat* »; — in textu : et fenestrae apertae ei (domui) erant in coenaculo eius i. e. fenestrae non clatratae; ascendit in superiorem partem domus, ut quietus oraret, a strepitu et tumultu remotus (Act. 10,9); orans sese vertit Ierusalem versus, ad locum templi; ibi enim Deus se positurum cor et oculos promiserat (3 Reg. 9, 3); ibi ut Deus precibus benigne annueret, Salomon Dominum deprecatus erat (l. c. 8,33. 35); versus templum fundit preces psalmista 5,8; 27,2; ut oratio sua veniat ad templum sanctum Dei, Ionas in ventre piscis exoptat; ad locum templi dona et munera perferunt pii Iudaei templo exusto Ier. 41,5 etc. Bar. 1,7. Quare eodem modo Daniel ad sedem illam quam Deus elegit et quam instauratum iri sciebat conversus preces fundit, idque ter, prout iam Ps. 54,18 : vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo (meditabor et gemam, hebr.) et exaudiet vocem meam. « Tria autem sunt tempora quibus Deo flectenda sunt genua : tertiam horam, sextam et nonam ecclesiastica traditio intelligit » (*S. Hier.*); cf. Act. 3,1; 10,9. Circa horam tertiam et nonam olim offerebatur in templo iuge sacrificium; unde hoc tempus opportunum erat orationi; cf. 9,21. Esdr. 9,5. Ps. 141,2. Genibus flexis oraverat Salomon in dedicatione templi 3 Reg. 8,54. 2 Par. 6,13; eodem modo precatur Esdras 9,5. Nihil orationis consuetae omisit, *quoniam* antea ita fecerat. Si nunc omisisset, impio regis decreto obedivisset; Daniel autem in cultu Dei fidelis et constans permanet. Intellexit decretum illud latum esse in contemptum Dei Israel et honorem blasphemum postulari pro rege. Quare ne omissione quidem orationis consuetae ei obsequebatur.

Atque Daniel in principum insidias incidit v. 11 « *viri ergo illi curiosius inquirentes invenerunt Danielem orantem et obsecrantem Deum suum* »; — in textu : tum viri illi irruerunt et invenerunt etc.; de verbo vide v. 6; impetu quodam facto scil. ut eum orantem deprehenderent; v. 12 « *et accedentes locuti sunt regi super edicto : rex, numquid non constituisti, ut omnis homo qui rogaret quemquam de diis et hominibus usque ad dies triginta nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum? ad quos respondens rex ait : verus est sermo iuxta decretum Medorum atque Persarum quod praevaricari non licet* »; — potius : statuta, vel firmiter constituta est res; decretum irrevocabile latum est. Magna astutia negotium ordiuntur; « tacent de Danielis nomine, ut cum rex generaliter se iussisse responderit verbo suo te-

neatur, ne aliter super Danielem faciat quam locutus est » (*S. Hier.*). Rex graviter affirmat quod illi audire ea occasione unice desiderabant; ita regem suis capiunt verbis (*Alb.*); v. **13** « *tunc respondentes dixerunt coram rege : Daniel de filiis captivitatis Iuda non curavit de lege tua et de edicto quod constituisti, sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua* »; — de dictione vide **3,12**; bene notat *Mald.* eos conari crimen omnibus modis exaggerari : ex persona rei qui cum non solum alienigena, sed etiam captivus esset diligentius debebat edicto regis parere; in tali homine contumacia et insolentia maiore poena est digna; ex dignitate regis cuius edicta sancta haberi debeant; ex animo facientis quod per contemptum violaverit decretum; demum ex iteratione frequenti culpae, quod ter quotidie id faceret, et is quidem qui ad sublimem locum et splendidum nomen regia benignitate sublatus fuerit (*Sanct.*).

Tum demum intelligit rex ad quid tandem studium illud se honorandi a principibus sit directum; « intellexit se propria responsione esse deceptum et quod causa insidiarum esset invidia » (*S. Hier.*) v. **14** « *quod verbum cum audisset rex satis contristatus est et pro Daniele posuit cor ut liberaret eum et usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum* »; — rex maximi aestimabat prudentiam Danielis in rerum administratione eumque diligebat v. **3. 4**; unde ea accusatio ei vehementer displicuit; « itaque ne contra suam legem facere videretur, non auctoritate regia, sed ratione atque consilio vult Danielem de discrimine liberare; illis autem tanta in malo pertinacia est, ut nec voluntate regis moveantur nec iniuria » (*S. Hier.*); v. **15** « *viri autem illi intelligentes regem dixerunt ei : scito rex quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum quod constituerit rex non liceat immutari* »; — in textu iterum : viri illi irruerunt ad regem, importune eum urgentes; vide v. **6. 11**; ex mora scil. et regis vultu facile videbant regem id agere ut viam indaget servandi Danielem. Norunt etiam indolem regis mollem ac debilem, qua nesciat principibus firmiter postulantibus resistere et qua ducatur et regatur ab eo qui magna constantia in eum agat.

Rex revera cedit multitudini et consentientibus adversariis mortem amici non audet negare; quodque ipse obtinere non potuit, Dei tradidit potentiae; ita *S. Hier.*; v. **16** « *tunc rex praecepit et adduxerunt Danielem et miserunt eum in lacum leonum; dixitque rex Danieli : Deus tuus quem colis semper ipse liberabit te!* v. **17** *allatusque est lapis unus et positus est super os laci quem obsignavit rex annulo suo et annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem* »; — quod ipse rex pro ignavia sua non audet, id optat ut Deus faciat. Animum

ostendit rex ex una parte imbecillum, ex altera cum bona precatione Danielem dimittat, dolentem et fere sperantem fieri posse ut Deus eum eripiat in praemium pietatis et fidelitatis. Aditus obsignatur, ὅπως μὴ ἀλλοιωθῇ πρᾶγμα ἐν τῷ Δανιήλ, uti Theodotio vertit, ne scil. quidquam mutaretur in re ad Daniel spectante; annulo regis ne principes eum extraherent et occiderent quem leones non occidissent, annulo principum ne rex eum liberandi causa posset extrahere (*Mald.*) et ita etiam LXX paraphrasi verba declarant; optimatum annulo regem obsignasse censet *S. Hier.* ne quid suspicionis contra eos habere videretur.

b) **Daniel servatur, Deus honoratur 6, 18-28.**

Rex pro animi imbecillitate cesserat principibus; at, uti fit in magna animi commotione variis affectibus inter se pugnantibus mentemque occupantibus et in partes diversas trahentibus, nullam quietis vel voluptatis partem capere potuit v. 18 « *Et abiit rex in domum suam et dormivit incoenatus cibique non sunt allati coram eo, insuper et somnus recessit ab eo* »; — verte : *et pernoctavit ieiunus;* vocem דַּחֲוָן Theodotio, Syrus, S. Hier. verterunt cibos; recentiores vocem ex arabico interpretantur : concubinas non passus est coram se introduci (cf. *Ges.* Thes. p. 333; *Z. Keil;* etiam *Rohl.*); alii tamen aliter explicant : mulieres saltatrices, cantatrices (*Hitz.*) quas non admiserit ad tempus fallendum; similem explicationem iam proposuit *Calm.* : non est producta musica coram eo; in lexicis recentioribus arabicis sub דחא reperitur notio quoque sese delectandi; pro concubinis legimus 5,2 לְחֵנָא. Apud LXX hoc membrum non legitur, sed solum ἦν λυπούμενος περὶ τοῦ Δανιήλ. Interpretatio de cibis coniectura ex antecedente orta videtur (vel ex Ez. 4,9?), neque ad eam satis congruit verbum הַנְעֵל (aphel verbi עלל cf. 2,24. 25; 5,7. 13. 15; quibus locis de personis adhibetur), cum de rebus היתי adhibeatur; cf. 5,3. 23; 6,18.

Regis de Daniele cura et studium et spes quoque aliqua (v. 16) eius salutis ostenditur v. 19 « *tunc rex primo diluculo consurgens festinus ad lacum leonum perrexit,* v. 20 *appropinquansque lacui Danielem voce lacrimabili inclamavit et affatus est eum : Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper putasne valuit te liberare a leonibus* »? — verbotenus : surrexit ad auroram, ad lucem; illud *putasne* non est in textu et solam vestit interrogationem : potuitne te liberare? Deum vocat *viventem* quam appellationem Deo propriam a Daniele didicisse censendus erit, cum sine dubio Daniel saepe regi de vero Deo loqueretur quem viventem vocabat opponens idolis mortuis.

Unde etiam explicatur cur eiusmodi spes de salute Danieli mentem eius subierit, cum noverit quam constanter et fideliter Daniel eum coluerit. — Uti iuvenibus in fornace 3,49, ita Danieli adstitit angelus v. 21 « *et Daniel regi respondens ait: rex in aeternum vive!* v. 22 *Deus meus misit angelum suum et conclusit ora leonum et non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inventa est in me, sed et coram te, rex, delictum non feci* »! — alloquitur regem salutatione consueta; vide ad Bar. 1,11 et supra 2,4; « honorat honorantem se » (*S. Hier.*). Insigni modo Deus testimonium reddit innocentiae Danielis miraculo confirmans, quod Deo magis oportet nos obedire quam hominibus. Salus haec tamquam praemium et corona describitur iustitiae Danielis et eius firmissimae in Deum fiduciae; v. 23 « *tunc vehementer rex gavisus est super eo et Danielem praecepit educi de lacu; eductusque est Daniel de lacu et nulla laesio inventa est in eo, quia credidit Deo suo* »; — cf. 3,94; Hebr. 11,33 : per fidem obturaverunt ora leonum (*Mald. Sanct. Mar. Calm.*).

Quaerunt aliqui qua ratione ora leonum sint conclusa. Sunt qui respondeant famem seu cibi appetitum iis esse ademptum; eo enim in casu leones in homines non saevire; « forte etiam angelus mutavit leonum phantasiam, ut apprehenderent Danielem ut sibi formidabilem et nocivum » (*Tir.*). Pluribus in eam quaestionem etiam exspatiatur *d'Envieu* p. 523; monet Deum potuisse restituere Danieli aliquid ex illa in res omnes potestate qua homo in paradiso praeditus fuerit, dum oculis Danielis vim quandam tribueret fascinantem et supernaturalem. Num igitur Daniel debuit per totam *noctem* leones torvis oculis aspicere? Insuper monet a serpentibus quasi quoddam fascinum aliis bestiolis iniici, ab incantatoribus vim quandam miram exerceri in serpentes et bestias feroces, aliquos solo attactu serpentes reddere immobiles et rigide erectas; praeterea in medium affert : « il nous suffira pour montrer la possibilité de la préservation de Daniel de supposer que ces animaux furent hypnotisés;... on connaît des agents qui comme le chloroforme peuvent provoquer l'anesthésie ou l'insensibilité partielle ou presque totale... Seulement il faut reconnaître que cette anesthésie, ce sommeil profond fut produit sans que le chloroforme ou tout autre agent se soient faits les auxiliaires de l'opérateur. « Dieu envoya son ange », c'est une façon de dire que le miracle fut produit sans l'intervention des causes secondes qui amènent d'ordinaire un pareil résultat ». Eiusmodi considerationes et comparationes utiles esse possunt; nam nisi quis sit plane expers rectae rationis fateri debet Deum id posse efficere immediate per se vel per angelum, quod homo subsidiis e rerum natura petitis peragere et operari valet. — Ceterum qua ratione Deus singula effecerit inquirere parum prodest; sufficiat scire eum posse et fecisse. Pluribus in id quoque inquirunt *Pererius* et *Sanct.*

Dein rex exercet talionis poenam; re enim explorata intellexit inimicos Danielis et invidos sibi imposuisse, dolose edictum extorsisse, ut Danielem perderent (*Lap.*); in eius autem salute adeo mire effecta iure cernit ipsius Dei contra accusatores sententiam prolatam; v. 24 « *iubente autem rege adducti sunt viri illi qui accusaverant Danielem et in lacum leonum missi sunt, ipsi et filii eorum et uxores eorum, et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt* »; — accusatores vel calumniatores (in textu verbotenus : qui frusta eius comederunt i. e. falso eum accusaverant calumniantes) simul cum familia puniuntur; talem fuisse morem Persarum, testis est epistola Artaxerxis Esth. 16,18 relata et Herodotus 3,119; similiter propter impietatis conspirationem interempti sunt cum familia Core, Dathan, Abiron (Num. 16,26 seq.) et Achan (Ios. 7,24); ceterum lege cautum erat ne innocentes cum sontibus punirentur (Deut. 24,16); cf. 2 Reg. 21,5. Quod adeo celeriter devorati sunt, divinae iustitiae et sapientiae opus *Theod.* cernit; ne enim diceretur propter satietatem leones a Daniele abstinuisse et invidia extenuaretur miraculum, iniectos testimonium perhibuisse leonum crudelitati. Ut narrationem risui exponant quaerunt aliqui (*Hitz.*), quomodo familiae 122 simul potuerint in lacum iniici et a paucis leonibus devorari. Responsum iam est ad v. 7; nullibi dicitur numerum accusatorum fuisse magnum; immo ex v. 11 colligitur admodum paucos fuisse, cum in domum vel potius in cubiculum ad summum aliqui irruere potuerint ad observandum Danielem.

Uti Nabuchodonosor 3,96. 98, ita Darius quoque maiestatem Dei Danielis publico decreto populis annuntiat. Decretum simili modo conceptum est. Uti supra notatum est, iure supponimus Danielem esse consultum qua ratione et quibus verbis loquendum sit de Deo Israel; v. 25 « *tunc Darius rex scripsit universis populis, tribubus et linguis habitantibus in universa terra : pax vobis multiplicetur!* v. 26 *a me constitutum est decretum, ut in universo imperio et regno meo tremiscant et paveant Deum Danielis; ipse est enim Deus vivens et aeternus in saecula et regnum eius non dissipabitur et potestas eius usque in aeternum;* v. 27 *ipse liberator atque salvator faciens signa et mirabilia in coelo et in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum* »! — in textu : *de manu* i. e. de potestate et vi leonum; cf. 3,98. 99; 4,31. Praecipitur ut honor et reverentia Deo habeatur; id quod gentiles retentis diis patriis praestare poterant. Simili ratione in inscriptionibus saepe unus deus prae ceteris laudatur et commendatur. Id saltem eiusmodi decreto effectum est, ut Deus Israel tamquam Deus potentissimus populis annuntiaretur eique honor conciliaretur, etsi cultus deorum

aliorum non excludebatur. Sunt qui cavillentur, quod decretum ad omnes populos in universa terra dirigatur, id quod perquam ridiculum sit, cum regnum Darii omnes populos complecti ne ipsi quidem regi in mentem venire potuerit (cf. *De Wette-Schrader,* Einleitung). At primo potest quaeri, cur isti supponant vocem ארעא in notione *orbis terrarum* capiendam esse, quasi haec vox, sicuti *terra,* non saepissime certam aliquam ac definitam regionem (germanice Land) designaret; insuper quid hoc loco intelligatur, statim dicitur : constitutum est, ut in universo *imperio et regno meo* etc.; proinde luce clarius est scribi ad omnes populos non in orbe universo, sed qui in hoc regno habitent. Praeterea quam hyperbolice loqui soleant reges orientales, ex inscriptionibus satis superque constat, ita ut ipsa explanatio de orbe terrarum iure non possit esse offensioni. De v. 28 « *porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii regnumque Cyri Persae* »; — vide p. 174; in textu *prospere egit.*

Darius filius Hystaspi ita v. g. loquitur in inscriptione apud *Spiegel* l. c. p. 44 : magnus deus est Auramazda qui hanc terram condidit, qui illud coelum condidit, qui hominem condidit, qui delicias hominibus condidit, qui Darium fecit regem, unicum regem multorum, unicum dominatorem multorum. Ego sum Darius magnus rex, rex regum, rex terrarum multarum tribuum, rex huius magnae *terrae* etiam deinceps. Quo loco in textu legitur *bumi* terra, orbis terrarum; dum terra i. e. provincia dicitur *dahyâus;* cf. *Spiegel* l. c. p. 202. 211. Et alias in inscriptione persepolitana : Auramazda cum videret hanc terram (*bumim*), mihi eam tradidit l. c. p. 50. Eodem modo iisdemque verbis quibus Darius utitur, Xerxes se vocat regem huius magnae terrae (*bumi*) l. c. p. 54. 56. 58. 60. 62; eodem modo loquitur Artaxerxes Mnemon l. c. p. 64 et Artaxerxes Ochus p. 66. Ceterum si Romanis licuit imperium vocare orbem terrarum, quis mirari poterit reges orientales pro fastu ac pompa simili modo loqui? immo si Iudaei thessalonicenses de s. Paulo et Sila dicunt : hi qui orbem terrarum concitant (τὴν οἰκουμένην) huc venerunt, quanto magis hyperbole concedenda erit regi?

Neque obiici potest contra decretum quod sententiis sit confectum quae cum decreto Nabuchodonosor fere conveniant. Nam, ut sistam in decretis modo allatis, eaedem sententiae iterum iterumque occurrunt. Ita verba illa quae supra recitavi : magnus deus est Auramazda et reliqua, repetuntur a Dario in inscriptione persepolitana l. c. p. 48, repetuntur pariter a Xerxe p. 54. 56. 58 bis. 60. 62 et ab Artaxerxe Ocho p. 66, atque generatim hae inscriptiones omnes eadem ratione eodemque dicendi genere compositae sunt.

ALTERA PARS. CAP. 7-12.

1. *Primum oraculum de quattuor regnis. Cap.* 7.

ARG. — Daniel cernit quattuor bestias e mari ascendentes : leaenam, ursum, pardum et animal reliquis ferocius ac terribilius quod habebat cornua decem et aliud cornu oculis et ore praeditum quod crescebat, dum tria cornua e prioribus evellerentur (7,1-8). Verum in bestiam illam exercetur iudicium a Deo angelis circumdato, occiditur bestia et igni traditur et filius hominis in nubibus coeli veniens accipit a Deo aeternum gloriae regnum (7,9-14). Danieli petenti explicatur visio, agi scil. de quattuor regnis et de regno Dei; dein petit declarationem bestiae quartae; in ea exprimitur regnum maius omnibus devorans omnem terram, quod tandem in decem regna dividetur; dein surget unus rex reliquis potentior qui contra Deum et viros Dei bellum geret atrox, donec conteratur iudicio divino, et Dei regnum gloriosum sanctis dabitur (7,15-28).

Visio in hoc capite descripta in re et argumento apertam prae se fert similitudinem cum cap. 2 i. e. cum quattuor regnis ibi delineatis, quam similitudinem iam *Theod.* effert. Quare hoc capite explanatio illa in cap. 2 tradita fulcitur et novis quoque argumentis ut vera demonstratur. Et primo quidem quartum regnum hoc capite delineatum esse illud idem quod in cap. 2 quarto loco recensetur, res est adeo conspicua, ut sit omnino extra controversiam; nam ibi describitur ut regnum ferreum, comminuens et conterens omnia (2,40), eodem modo iisdemque fere verbis 7,7. 23. Sed, uti progressui oraculorum convenit, in decem cornibus et uno illo cornu quod blasphemias loquitur et bellum gerit contra Deum et sanctos et in iudicio divino maior quaedam nobis datur explicatio, ad quem tandem exitum res perventurae sint. Secundo in hoc capite et in sequentibus ea quoque nobis proponuntur ex quibus etiam clarius quam cap. 2 colligimus quale regnum in quarto illo sit intelligendum. Primum regnum esse babylonicum, ipse Daniel exposuit 2,37; quale sit secundum et tertium, esse scil. regnum Medorum atque Persarum et regnum Graecorum, ipse nobis declarat 8,20. 21; unde quia post regnum Graecorum aliud regnum orbem complectens non est nisi romanum, romanum in quarto cerni debet. Neque enim quartum regnum intelligi potest in regnis illis ex regno Alexandri Magni exortis; nam praeter ea quae iam ad cap. 2 notata sunt, hic ex ipsis verbis Danielis aliud accedit argumen-

tum gravissimum : regna illa ex Alexandri monarchia exorta depinguntur in visione 7,6 in quattuor capitibus quae sunt in tertia bestia et 8,8 in quattuor cornibus hirci, quae cornu primo fracto exorta sunt, id quod clare exponitur 8,22 : quattuor reges de gente eius consurgent. Porro in regnis illis quattuor non possunt cerni decem cornua; dein nullo pacto potest supponi Danielem bestiam quam cap. 7 adeo terribilem exhibuit, ut nulli alii possit comparari et prorsus sit dissimilis, nunc cap. 8 hirco et quattuor cornibus velle exprimere. Neque cornu illud undecimum cap. 7 ullo modo idem est cum cornu 8,9; nam illud crescit inter decem, hoc autem non *inter* quattuor sed ex uno illorum quattuor exoritur, ita ut unum cornu quasi in duos ramos demum dividatur. Dein iudicium in cornu cap. 7 plane aliter exhibetur quam destructio illius cornu cap. 8; vide 8,25. Verum haec et alia ipsa capitum explanatione magis illucescent. Hic satis est indigitasse ad quid attentio in sequentibus feratur oporteat. Rem dilucide quoque exponit *D.* p. 107 seq.

a) Visio quattuor bestiarum 7, 1-8.

Quo iure Baltassar, filius Nabonidi, rex dici possit, vide supra p. 157. Cum adhuc staret regnum babylonicum, quo theocratia est destructa, ostenditur Danieli non solum hoc regnum, sed reliqua quoque quae in orbem dominatura sint esse interitura et regnum Dei iri erectum et fore gloriosum in aeternum. Uti antea somnio Nabuchodonosor regis eam accepit in ruina theocratiae consolationem, ita nunc eadem consolatio etiam ampliore doctrina ipsi praebetur visione et declaratione ab angelo facta; v. 1 « *Anno primo Baltassar regis Babylonis Daniel somnium vidit; visio autem capitis eius in cubili suo, et somnium scribens brevi sermone comprehendit, summatimque perstringens ait* »; — in textu : *et tunc scripsit somnium; summam rerum* (proprie : caput verborum) *dixit* vel narravit; unde vides *S. Hier.* unum membrum ampliore expositione reddidisse; *visiones* capitis cf. 2, 28. Annum primum Baltassar probabiliter esse annum duodecimum Nabonidi i. e. 542 a. Ch. Strassmaier existimat. Nota quoque scriptionem narrationemque somnii explicite ad Danielem referri, scil. eo ipso quod scripsit, dixit vel narravit somnium. Rerum *summam* refert, non singula quae v. g. de colore habituque animalium ei visione exhibita erant.

In textu adhuc leguntur verba : locutus est Daniel et dixit, quae verba tamen neque apud LXX, nec apud Theodotionem neque apud *S. Hier.* leguntur; solum *Syrus* ea praebet; v. 2 « *videbam in visione mea nocte et ecce quattuor venti coeli pugnabant in mari magno,*

v. 3 *et quattuor bestiae grandes ascendebant de mari diversae inter se* »; — verte : venti *irruentes* in mare, qui impetu et vi in mare incumbunt idque exagitant; significat mare mundum vel orbem terrarum (*S. Ephr. Hip. Chrys. Hier.*) vel gentes et nationes; hae excitantur, commoventur ventis coeli i. e. regna illa quae exsurgunt ex gentibus non sine nutu ac providentia Dei oriuntur; quattuor venti i. e. undique ex quattuor plagis terrae venti ruunt in mare; in universo orbe regna excitantur dispositione etiam superna. Cui acceptioni maxime favet *S. Hier.* explicans ventos coeli de potestatibus angelicis (sim. *Alb.*), dum alii in ventis solum rerum mutationes vel motus et agitationes cernunt quibus regna oriri et condi soleant (*Theod. Per. Calm.*). Frustra aliqui quaerunt sitne mare magnum mare mediterraneum; agitur de visione; mare igitur magnum repraesentat multitudinem gentium, ex qua regna exsurgant. Cum in subseq. bestia describatur ascendens post bestiam, hic proleptice tota visio uno quasi conspectu proponitur. Ad indolem regnorum mundi terrenam, ferocem, crudelem designandam bestiarum symbolum eligitur, quod ceteroquin satis frequenter in s. litteris reperitur; cf. Gen. 49,17. Is. 27,1; 30,6; 34,6. Ier. 4, 7; 5,6. Ez. 32,2 etc.; regnum autem Dei in filio hominis veniente in nubibus coeli adumbratur 7,13.

In primo symbolo exhibetur leo alatus; imago pro regno babylonio etiam ex eo obvia quia leones et leones etiam alati saepe in eius regni monumentis cernuntur v. 4 « *prima quasi leaena et alas habebat aquilae; aspiciebam donec evulsae sunt alae eius et sublata est de terra et super pedes quasi homo stetit et cor hominis datum est ei* »; — regni babylonici robur et ruinam brevi delineat; leo et aquila quasi imperium tenent inter animalia et volucres; « leo, animal generosum, trux, rex animalium terrestrium exprimit magnitudinem, robur, saevitiam regum » (*Calm.*); eadem imagine pro rege Chaldaeorum usus est Ieremias 4,7; cf. 2,15; 5,6; 49,19; 50,17. In aquila celeritas et rapacitas exhibetur; Ier. 4,13 : velociores aquilis equi illius, et de Chaldaeis etiam Hab. 1,8 : volabunt quasi aquila festinans; ceterum vide 2 Reg. 1,23. Iob 9,26. Ier. 48,40; 49,22. Lament. 4,19; aquilae regem Babylonis comparavit Ezechiel 17,3. At mox ei alae evelluntur; velocitas illa et sublimis volatus i. e. prosper rerum successus, studium imperii-dilatandi, velox victoriarum cursus deficit. Alis evulsis bestia cadit vel prosternitur in terram; sed tollitur, *erigitur* de terra et super duobus pedibus sicut homo *stare facta est* (in textu) et cor hominis, hominis scil. infirmi אֱנָשׁ, ei datum est; aliis verbis, ad conditionem humilem et debilem regnum redactum est; pro robore illo et velocitate quae vires humanas longe superare videbantur ad

conditionem naturae fragilis et infirmae recidit (cf. *S. Hier. Alb. Mald.*), didicit demissiora sapere agnoscens infirmitatem et ad communem hominum debilitatem et impotentiam reducta (*Hip. Chrys. Sa, Sanct. Per. Calm. Rohl. Troch. Heb.*). In statu isto facile a bestia feroci, ab urso, poterat superari.

Alterum regnum, Medorum scil. et Persarum, emblemate ursi ei offertur v. 5 « *et ecce bestia alia similis urso in parte stetit et tres ordines erant in ore eius et in dentibus eius et sic dicebant ei : surge, comede carnes plurimas* »! — uti 2,39 regnum secundum metallo designatur minus pretioso, ita hic animali a leonis maiestate quod reputatur multum recedere. Verte : *unum latus efferebat;* regnum erat bipartitum, duabus constans partibus, uti 2,32 in duobus brachiis quoque significatur; una pars praevalebat prae altera, Persae Medis erant superiores et potentiores. In urso voracitatem insatiabilem notant; ea hic quoque in textu Danielis declaratur : *tres costae in ore eius inter dentes* (*Vat. Mar. Calm.* et recentiores); iis enim praeda designatur quam ursus ceperat et devoraverat, ita ut tres costae solum indicent rapinam et devorationem factam. Quare non explicandae erunt de tribus regnis Babyloniorum, Medorum, Persarum, quae in unum redacta sint regnum, uti volunt *S. Hier. Alb. Mald. Sanct. Mar. Lap. Tir.;* melius et ad imaginem propositam convenientius *Theod.* concipit de tribus orbis partibus, orientali, aquilonari, australi, quibus regnum imperavit; vide 8,4; vel potius explica de tribus regnis, babylonico, lydico, aegyptiaco, quae in praedam acta sunt a Persis (*Per. Troch. Heb. Z. Keil* etc.) et ad depraedationem et subiectionem aliarum nationum etiam clare alludunt verba : comede carnes plurimas. Eodem modo 8,4 describitur regnum Medorum et Persarum imagine arietis cornibus ventilantis contra occidentem, aquilonem, meridiem, « et omnes bestiae non poterant resistere ei neque liberari de manu eius fecitque secundum voluntatem suam »; quibus illud : comede carnes plurimas, explicatur; iste autem aries 8,20 rex est Medorum atque Persarum; rex vero et regnum in hac visione accipiuntur notione eadem; vide 7,23 et 7,24 cum 8,22.

Verba לשטר חד הקימת verti possunt : latus unum vel partem unam erexit, stare fecit, extulit; ל enim frequenter inducit obiectum grammaticale in aramaico; vide 2,24. 48; 3,18; 4,22. 31. 33 etc.; cf. *Kautzsch*, Grammatik des Biblisch-Aram. p. 127. 151; forma autem הֲקִימַת vel ut in editione a *Baer* adornata scribitur הֳקְמַת est haphel; proin sensum habet activum neque ullo modo opus est cum aliquibus scribere hophal. Cum verba eo modo verti possint, etiam ita vertenda sunt. Latus unum erigere, efferre alii explicant de praeparatione ad pugnam vel ad aggressionem et ictum inferendum : ungulam vel pedem attollere ad ictum scil. impingendum.

Ceterum verba varie exposita sunt. Theodotio legit hophal verbi : εἰς μέρος ἓν ἐστάθη, id quod sensu eodem concipiendum erit; similiter LXX. Quod alii vertunt : extulit corpus suum ad unum latus, ad eandem notionem recidit. Quod *S. Hier.* habet : in parte stetit, aliqui exponunt : non totum regnum babylonicum occupavit (*Mar.*), Iudaeos explanasse refert *S. Hier.* : nihil eos adversus Israel crudele gessisse, abstinuisse a Iudaeis. Alii : ad latus unum irruit i. e. in Babylonios (*Vat. Mald. Lap.*); alii : ad latus unum, ad partem orientalem, habitavit a Babyloniis (*Ros.*); alii : imperium unum erexit scil. collata voce מִשְׁטָר Iob 38,33; sed cum bestia sit regni symbolum, quid sibi vult talis tautologia? Sensum fere contrarium elicit *Hitz.* : ad unum latus inclinata stetit i. e. iam ad lapsum prona erat. Aliae quoque feruntur expositiones quas referre non opus erit v. g. pedibus anterioribus stetit.

Visio regni tertii ei offertur v. 6 « *post haec aspiciebam et ecce alia quasi pardus et alas habebat quasi avis quattuor super se et quattuor capita erant in bestia et potestas data est ei* » ; — pardus in arripienda praeda valde velox celerrimo saltu in eam irruit; in quattuor alis maxima quaedam velocitas qua volatu quasi eam arripit declaratur; ea velocitate iam similis est hirco qui veniebat ab occidente super faciem terrae et non tangebat terram, qui igitur quasi volans celerrime terras perlustravit 8,5. Quare similitudo etiam in eo est, quia pardus quattuor capita, hircus 8,8 quattuor habet cornua, quibus 8,22 quattuor regna ex tertio regno exoritura significantur. Proinde regnum designatur quod celerrime per orbem propagatur, sed mox in quattuor regna dispescitur. Iam vero per hircum regnum Graecorum, regnum Alexandri Magni designatur 8,21; post eius mortem ex eius monarchia quattuor regna orta sunt : syriacum sub Seleuco Nicatore, aegyptium sub Ptolemaeo Lagi, macedonicum sub Cassandro, thracicum sub Lysimacho; ita anno 301 a. Ch. Quattuor capita ut cornua quattuor simul exsistunt; igitur unum regnum maius in quattuor dispertitum iri declaratur; insuper clare dicitur 8,22 : quattuor reges de gente eius consurgent; in hebr. *quattuor regna*, quibus verbis cornua quattuor quid sibi velint vates certior redditur. Itaque cum tanta exsistat similitudo, firmissimam simul habemus rationem, cur tertium hoc regnum a Daniele visum et pardo h. l. significatum in regno Alexandri impletum esse asseramus. — In textu pardus alas habet *in dorso suo*. « Quod additur *et potestas data est ei* ostendit non Alexandri fortitudinis, sed Domini voluntatis fuisse (*S. Hier.*). Cur Alexander pardo repraesentetur, qui leone minor est corpore, non robore, pelle varia tegitur et pernicissimus est, *Calm.* explicat ex Alexandri ingenio igneo, strenuo, intrepido, ex mira eius celeritate, ex moribus inaequalibus et ingenii boni malique varietate, ex eius statura iusto minore brevique vita et imperio. Narrat *Iosephus* (Ant. 11,8. 5) hanc prophetiam a pontifice Iudaeorum Alexandro ostensam

esse eaque eum animatum Persas devicisse (*Mald. Per. Sanct. Mar.*); vide Proleg.

Quartum regnum exhibetur v. 7 « *post haec aspiciebam in visione noctis et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos comedens atque comminuens et reliqua pedibus suis conculcans; dissimilis autem erat ceteris bestiis quas videram ante eam et habebat cornua decem* »; — vide 2,40; imperium romanum hisce describi sententia est plerorumque eaque vera. Nam post regna illa ex Alexandri monarchia exorta quae quattuor capitibus vel cap. 8 quattuor cornibus adumbrantur non exstitit aliud regnum nisi romanum. Cornua decem explicari debent eodem modo quo cornua quattuor i. e. de decem regnis vel decem regibus, uti infra v. 24. Ista decem regna *post* regnum quartum exoritura esse concludere possumus ex eo quod etiam quattuor illa capita v. 6, uti ex 8,8. 22 elucet, regna nobis exhibeant post regnum tertium. Dum autem decem illa regna exsistunt, alia quaedam potestas inter ea exsurgit v. 8 « *considerabam cornua et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie eius, et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto et os loquens ingentia* »; — explicatio ab angelo traditur v. 24. 25; in oculis adumbratur sapientia, prudentia, astutia, qua iste qui cornu designatur prae ceteris eminebit et multos decipiet (*Theod. Lap. Men. Palmer*); huic arti seducendi coniuncta est humanitas, comitas, virtutis simulatio quam alii oculis designari opinantur (*Tir.*); superbia autem et summa arrogantia et insolentia non tam in oculis (*Mald.*), quam in ore loquente *grandia* describitur.

Quanta iste acturus sit insolentia contra humana omnia et divina, angelus pluribus declarat v. 25. Quae si considerantur addita explicatione quam revelationibus et doctrinis postmodum traditis haurimus ex 2 Thess. 2,3-10, dubium non est quin de antichristo sermo inferatur. Ex 8,9-12. 23-26 discimus ex tertio quoque regno oriturum esse cornu quod simili modo contra humana et divina furorem et insaniam effutiet, quod cornu postmodum ita describitur, ut omnes in eo agnoscant Antiochum Epiphanem, persecutorem Iudaeorum. Cum igitur in utroque capite de cornu sermo sit quod simili modo describitur, sunt qui censeant in cap. 7 et 8 unum Antiochum illum adumbrari; ita iam *S. Ephr. Calm. Loch* ex catholicis, et ex protestantibus sat multi, quotquot scil. quartum regnum non de romano exponunt.

At nisi omnia confundantur, de uno eodemque non potest explicari. Iam enim demonstratum est quartam bestiam cap. 7 descriptam non

cerni posse in hirco cap. 8; dein adverte originem utriusque cornu aliam assignari : 7,8 oritur *inter decem* alia, 8,9 vero egreditur *ex uno* cornu de *quattuor;* ergo unum cornu in duos quasi ramos dispescitur; item alia fiunt ab utroque cornu : 7,8. 23 cornu evellit tria alia; nihil tale de cornu cap. 8; quae 7,24. 25 dicuntur non sunt eadem cum 8,9-12. 23-25; aliud assignatur tempus pro utroque quo eius furori habenae laxentur 7,25 et 8,14; demum ad prioris interitum scena inducitur maxime sollemnis iudicii 7,9-11. 26; nihil tale ad interitum alterius adducendum 8,25; post prioris interitum apparet in nubibus filius hominis qui ab antiquo dierum regnum accipit gloriosum; nihil eiusmodi post casum alterius. Quare duo ista cornua duos quoque inimicos regni Dei significant. Similitudo autem quae est in *cornu,* in superbia, in inimicitiis contra populum sanctum Dei satis declaratur, si cum interpretibus catholicis et etiam compluribus acatholicis (*Aub. Z. Keil* etc.) cornu alterum, Antiochus, consideratur tamquam typus antichristi. Hac consideratione facta aliquam inter duos illos intercedere similitudinem tantum abest ut sit offensioni, ut ipsa typi ratione exigatur; unde sequitur ne speciem quidem exsistere cur in ea descriptionis diversitate cornu utrumque de uno eodemque accipiatur; cf. *D.* p. 133-136.

Cum igitur vati post regnum quartum statim offeratur visio antichristi, id hoc loco deprehendimus quod in oraculis haud infrequens est, ut intervallo temporum plane neglecto solum normae divinae proponantur quibus regnum Dei administratur. Quando regnum messianum oriturum sit et quomodo ab initiis parvis ad maximum incrementum sit perventurum et omnem potestatem contrariam deiecturum, vates nos docuit 2,44. 45; nostro loco ab eodem regno quarto statim transit ad unam ex ultimis periodis eiusdem regni messiani. Eius quippe regni ortum, progressum, victorias de potestate mundana reportandas iam adumbraverat supra 2,44. 45; proinde normam Dei quae in eo regno sit exprimenda iam proponit; per quale autem temporis spatium ea norma sit paullatim in opus deducenda, generatim non est prophetarum describere; unde si rerum nexum et morem prophetarum attenderis, non multum miraberis vatem nostro loco a quarto regno immediate transire ad tempora regni messiani hisce in terris remotissima. Simile habes in aliis vatum oraculis, in quibus regni messiani praeparatio et perfectio uno complexu unaque comprehensione proponitur; qua de re vide quae alias notavi ad Os. 11,11. Soph. 3,20. Zach. 2,4-5; 10,10-12. Is. 40,3 seq. 45,8; 60,1 seq. Ier. 30,9 etc. et cf. *Cornely,* Introd. II 2 p. 298 seq. et iam *Theod.* monet

(ad Dan. 11,36) idem cerni in sermone Christi de ruina Ierusalem et ultimo iudicio.

b) Iudicium Dei et regnum 7,9-14.

Graviores causae maiore apparatu iudicari solent (*Mald.*); describitur itaque sollemnitas iudicii et iudicis v. 9 « *Aspiciebam donec throni positi sunt et antiquus dierum sedit; vestimentum eius candidum quasi nix et capilli capitis eius quasi lana munda; thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus;* v. 10 *fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius; millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei; iudicium sedit et libri aperti sunt* »; — propter causae gravitatem non unus, sed plures throni positi dicuntur; maior enim auctoritas sanctiorque maiestas repraesentatur, cum iudex multos quasi consiliarios circum sedentes habet (cf. Matth. 19,28. Apoc. 4,4. *Mald.*). Deus a tota aeternitate vivens vocatur antiquus dierum, ut aeterni iudicis habitus demonstretur; senex quoque describitur, ut maturitas comprobetur sententiae (*S. Hier.*). Dei autem gloria, sanctitas, splendor maiestatis claritate luminis solet declarari: est scil. amictus lumine sicut vestimento Ps. 103,2; Dei autem iudicis maiestas igne designatur; est enim ipse ignis consumens Deut. 4,24; sicut ignis exardescit ira eius, ignis ante ipsum praecedit Ps. 88,47; 96,3; quare etiam in hoc consessu iudiciali thronus eius flammis ignis describitur, quibus flammis uti Dei splendor et maiestas repraesentatur, ita quoque quibus poenis scelesti mulctandi sint et absumendi exhibetur, si in manus iudicis illius inciderint (*S. Hier.*); thronus Dei rotis est instructus, sicut Deus apud Ezechielem curru cherubim vehitur, ut dominatio eius et iudicium ubique per orbem universum exerceri ubique praesto esse describatur (*Per. Mald. Lap.*). Maiestas eius quoque longe lateque effulgens et igne divino cuncta lustrans, purgans, peccatores absumens in fluvio igneo rapidoque qui ab eo promanans egreditur symbolice repraesentatur; ignis inflammabit in circuitu inimicos eius Ps. 96,3; simulque delineatur eius iudicis sententia efficacissima et celerrima (*Per. Lap.*).

Dei maiestas cernitur quoque in innumerabili exercitu angelorum throno eius assistentium et ad ministerium nutumque eius paratorum. Eo autem potiore iure angeli assistunt Deo iudici, cum agatur de defensione et vindicatione regni Dei contra potestatem adversariam et de eius potestatis prostratione ac condemnatione; sunt enim angeli regni Dei protectores, in ministerium missi eorum qui hereditatem capient salutis et contra potestatem Deo inimicam defensores validi (cf. Dan.

10,13. 20; 11,1; 12,1. Tob. 8,3. Hebr. 1,14). Unde merito assistunt ut videant ad quem tandem exitum res Dei pro qua pugnabant et res inimici Dei contra quam fideles valide tuebantur perducatur. Quam ingens sit exercitus agminum angelorum, Danieli visione ostenditur: *millies millia ministrabant ei et myrias myriadum coram eo stabant;* stare coram hero servi et ministri est ad omnem nutum parati, quae dictio eo significatu frequenter legitur cf. Gen. 18,22; 41,46. Deut. 1,38. 3 Reg. 10,8. Ier. 52,12. Dan. 1,5; praesertim *stare coram* dicitur de ministerio sacerdotum et levitarum, prophetarum quoque cf. Deut. 10,8; 18,5. 7. Iud. 20,28 (hebr.) Ps. 133,1. 3 Reg. 17,1; 18,15. Ier. 15,19 etc.; quare scite adnotant *Mald. Sanct. Mar. Lap. Men.* assistere et ministrare non esse diversa angelorum officia, sed unum idemque esse stare coram Domino et ei ministrare; insuper advertit *Lap.* ex Hebr. 1,14 sequi *omnes* angelos esse ministrantes et Gabriel qui est ex assistentibus etiam esse ex ministrantibus qui foras mittantur (Luc. 1,19. 26. Dan. 8,16; 9,21) et Michael unum de principibus primis pugnare pro Ecclesia (Dan. 10,13; 12,1) et septem spiritus qui in conspectu throni Dei sunt tamen dici missos in omnem terram (Apoc. 1,4 et 5,6). Vide quae de quaestione hac adnotavi in Comment. Is. I p. 136; etiam S. Gregorius angelos assistentes mitti docet (*M.* 79,998). De numero h. l. tradito advertit *S. Hier.*: « non quo iste ministrorum Dei numerus definitus sit, sed quo maiorem multitudinem humanus sermo explicare nequiverit ». Sedit *iudicium* i. e. iudices, vel tota iudicum corona et ordo, Deus et angeli quidam praecipui; plures iudices etiam thronis seu sedibus positis indicantur (*Lap.*). In libris allatis et apertis significatur et iudicii mos atque consuetudo et longum temporis spatium de quo iudicari oportet. Res scil. gestae et facinora edita tam multa sunt et per longum tempus edita, ut sola memoria non contineri potuerint sed ut multis opus fuerit libris ad ea consignanda et pro iudicio asservanda. Quare h. l. haud obscure innuitur tempus fore sat longum usque ad antichristum.

Vates animo attento apparatum hunc iudicialem prosequitur scire cupiens qua tandem sententia inimicus Dei plectatur v. 11 « *aspiciebam propter vocem sermonum grandium quos cornu illud loquebatur et vidi quoniam interfecta esset bestia et perisset corpus eius et traditum esset ad comburendum igni;* v. 12 *aliarum quoque bestiarum ablata esset potentia et tempora vitae constituta essent eis usque ad tempus et tempus* » — dum consessum illum sollemnem iudicialem secum admirabundus contemplatur, subito videt bestiam illam terribilem iam esse occisam, corpus eius in ignem proiectum et generatim omnem potestatem Deo contrariam esse deletam et e medio sublatam;

omnibus enim illis *prolongatio in vita data erat ad tempus et tempus* i. e. ad certum solum definitumque tempus iis concedebatur vivere et agere contra Deum (*Vat. Mald. Sanct. Lap. Tir. Rohl. Troch.*). Cum solum agatur de norma Dei in universum proponenda, enuntiat interitum etiam trium aliarum bestiarum, quae tamen iam ante quartam bestiam vel per eam auferebantur; potestas enim Deo inimica per temporis decursum istis bestiis tamquam symbolis exhibetur; quare huius potestatis destructionem plenam atque perfectam distinctione temporum neglecta in communi quattuor illarum interitu ob oculos sibi poni videt. Unde non opus est alias bestias h. l. concipere vel de septem cornibus v. 8 — haec enim cum quarta bestia necessario interierunt — vel de aliis regnis quae praeter regnum antichristi exsistant, qua consideratione et visionis unitas turbatur et vocum proprietas hoc capite conspicua relinquitur. Continetur vero in subita illa ruina qua bestiae auferuntur, igni traduntur sine ullo strepitu vel labore conatuque, sed sola iudicis Dei praesentia, insigne documentum divinae potentiae, qua bestiae quam maxime terribiles repente evanescunt, auferuntur sicut pulvis a facie venti.

De Messia dicitur : sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, et : sedet in dextera Dei de cetero exspectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius (Ps. 109,2. Hebr. 10,12.13). Iam in visione ostensum est quomodo Deus Pater inimicos ponat scabellum pedum eos destruens; sequitur gloria Messiae v. 13 « *aspiciebam ergo in visione noctis et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit et in conspectu eius obtulerunt eum;* v. 14 *et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna quae non auferetur et regnum eius quod non corrumpetur* » ; — hic Messiam induci, ex iis quae alii prophetae iam ante Danielem tradiderunt dubium esse nequit. Ei enim soli praeter Iahve gentes dantur in hereditatem; ei soli regnum et potestas in orbem universum adscribitur (cf. Gen. 49,10. Ps. 2,6 ; 44,5 seq. 71,1 seq. Is. 11,10; 49,6; 53,11. 12. Ier. 23,5 ; 30,21. Ez. 34,23. Mich. 5,4 seq. etc.). Hic vero nobis proponitur quasi *filius hominis,* cernitur in natura humana quam postmodum assumpturus erat. Ex hoc loco illud nomen est depromptum quo Christus toties in evangeliis seipsum nominat filium hominis, quae itaque est designatio Messiae. Venit cum nubibus coeli i. e. eo modo quo Deus ipse in s. litteris apparere dicitur, quo Israelitas ab Aegyptiis defendit, in montem Sinai descendit, in tabernaculo suam ostendit praesentiam, in templo se manifestavit, in psalmis tamquam orbis terrarum dominus ac iudex describitur;

vide Ex. 14,24; 16,10; 19,9; 24,16; 33,9; 34,5. Lev. 16,2. Num. 9,15; 10,34; 11,25. Deut. 31,15. Ps. 17,10; 96,2; 103,3. 3 Reg. 8,10-12. 2 Par. 6,1. Is. 19,1. Ez. 1,4; 10,3. 4. Nah. 1,3 etc.; ex quibus locis apparet venire cum nubibus coeli attribui divinitati, cum in sacris litteris toties apparitio Dei in nube fieri dicatur. Unde is qui quasi filius hominis venire dicitur, simul uti in natura humana nobis ostenditur, ita in natura quoque divina clare exhibetur. Ex hoc Danielis oraculo Christus responsum deprompsit quod Caiphae dedit Matth. 26, 64; eodem modo se ad iudicium ultimum venturum esse praedixit Matth. 24,30. Marc. 13,26; cf. Apoc. 1,7. Hoc nostro loco non describitur eius ad iudicium adventus, sed quomodo angelorum comitatu magnifico cum pompa adducatur ad Deum Patrem qui inimicis devictis ei tradit regnum plane gloriosum. Habet quidem Christus iam omnem potestatem et regnat etiam antequam omnes hostes ei subiiciantur; at Pater tunc ei potestatem et regnum tradere dicitur, ut *Mald.* notat, « vel quia illi ad iudicium venturo confirmat vel qui antea regnabat quidem, sed repugnantibus ac rebellantibus multis, nolentibus eum super se regnare; dicimus enim aliquem incipere regnare, cum devictis omnibus hostibus pacificam regni possessionem consequitur, quamvis antea utique regnaret ». Atque huius regni eius non erit finis. Christum ita gloriose triumphantem et regnantem potestate adversaria devicta etiam vidit S. Ioannes Apoc. 19,13 seq.

c) **Visio declaratur 7,15-28.**

Visiones coelestes hominem sacro quodam terrore perfundere solent; vide Gen. 15,12; 28,17. Is. 6,5. Ez. 2,1. Luc. 1,29. 30. Apoc. 1,17; idem in se experitur Daniel v. 15 « *Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his et visiones capitis mei conturbaverunt me* »; — in textu : territus est spiritus meus in media vagina (*Vat. Mald. Lap. Mar. Calm.* et recentiores); corpus enim vaginam animae vocat (*Mald.*). Visio quoque, praesertim bestiae quartae et sortis eius, horribilis erat et ignoratio eorum quae significabantur mentem vatis perturbatione implevit (*Theod.*); quare v. 16 « *accessi ad unum de assistentibus et veritatem quaerebam ab eo de omnibus his; qui dixit mihi interpretationem sermonum et docuit me* »; — i. e. interpretationem *rerum* quas coram se viderit; petit scil. Daniel ab uno ex angelis adstantibus, ut aliquid *certi* vel firmi ratique de ea re doceatur; v. 17 « *hae quattuor bestiae magnae quattuor sunt regna quae consurgent de terra;* v. 18 *suscipient autem regnum sancti Dei altissimi et obtinebunt regnum usque in saeculum et saeculum saeculorum* »; — in

textu : *quattuor reges* surgent etc.; nominantur reges, qui ut regnorum conditores ac gubernatores supremi ipsa repraesentant regna, uti 2,37. 39 Nabuchodonosor rex pro regno babylonico ponitur, in quo scil. tota regni potentia et gloria quasi comprehenditur. Ceterum *regna* esse intelligenda et reges pro regnis poni elucet ex v. 23 in quo quarta bestia explicite de quarto *regno* explicatur; etiam LXX et Theodotio non reges, sed regna βασιλεῖαι vertunt; similiter 8,20. 21 reges dicuntur pro regnis, uti quoque ex 8,22 hebr. patefit. In visione filius hominis regnum accepit; in explicatione ponuntur *sancti Altissimi* i. e. sanctus Dei populus, populus Messiae, non quod in ipso filio hominis nihil aliud quam populus Deo adducatur (quod aliqui volunt, ut *Hitz. Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter I. Ch. II p. 426), sed quia sicut rex, ita quoque rex Messias non concipitur nisi cum iis quorum est salvator et rex; ei *dat* Deus regnum et per eum et ab eo *accipiunt* sancti regnum i. e. gloriam et beatitatem. Messias et populus eius sanctus Deo intimo nexu coniunguntur et a prophetis exhibentur; ita iam Gen. 49,10 Messias describitur ut is cui est obedientia prompta populorum; cf. Is. 11,10; 42,6 appellatur lux gentium; item 49,6 et salus Dei usque ad extremum terrae; 53,11. 12; et si tamquam pastor describitur, nonne eo ipso indicatur gregem ab eo esse regendum, pascendum? vide Is. 40,11. Ez. 34,23; 37,24 et Ps. 44,8 oleo laetitiae i. e. gloria et beatitudine ornatur prae consortibus suis, qui igitur eius gloriae sunt participes. In v. 13. 14 filium hominis esse Messiam etiam eo patet quia omnes populi, tribus et linguae ei servire dicuntur; sed quomodo concipi posset[1] populo messiano omnes populos et tribus servire, cum constans sit prophetarum doctrina omnes gentes tamquam hereditatem dari Messiae? Bene autem ad solatium et gaudium vatis omniumque fidelium in explicatione effert angelus etiam servos Dei regni et gloriae fore participes; vadit enim Christus ad Patrem, ut nobis paret locum, et gloria redemptorum in ipsius Messiae gloriam redundat, ut sit ipse primogenitus in

---

1. Praeter v. 18. 22. 27, in quibus sancti Dei regnum accipere dicuntur, *Hitz.* affert tempore Machabaeorum quo videl. librum Danielis ortum esse statuit neminem de Messia rege cogitasse, a nullo Messiam tamquam unum aliquem esse exspectatum; quare filium hominis nullo pacto posse de Messia intelligi. Omitto falsam opinionem de tempore libri Danielis. Sed tempore machabaico et deinceps iam non exstitisse fidem unius Messiae, falso asseritur. Nam unde viva illa exspectatio Messiae tempore Christi, cui evangelia testimonia ferunt? *Schürer* l. c. p. 425. 428 seq. bene ostendit eo tempore spem Messiae omnino viguisse. In ea parte oraculorum sibyllinorum quae circa 140 a. Ch. orta est clare fit sermo de rege quem Deus missurus sit et qui pacem afferat omnibus (Sibyll. III, 652-794); item cernitur in Psalterio Salomonis ps. 17 ex tempore Pompeii (63-48 a. Ch.); item in oraculis Sibyll. III, 36-92 ex tempore Antonii et Cleopatrae; *Schürer* l. c. p. 431.

multis fratribus, quia ipse veniet glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt (Rom. 8,29. 2 Thess. 1,10).

Praecipue autem vates edoceri cupit de quarta bestia v. 19 « *post hoc volui diligenter discere de bestia quarta quae erat dissimilis valde ab omnibus et terribilis nimis; dentes et ungues eius ferrei; comedebat et comminuebat et reliqua pedibus suis conculcabat,* v. 20 *et de cornibus decem quae habebat in capite et de alio quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua et de cornu illo quod habebat oculos et os loquens grandia et maius erat ceteris;* v. 21 *aspiciebam et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos et praevalebat eis*, v. 22 *donec venit antiquus dierum et iudicium dedit sanctis Excelsi et tempus advenit et regnum obtinuerunt sancti* »; — in textu v. 19 dentes eius ferrei et ungues eius aerei; unguibus aereis declaratur quam facile omnia pedibus conculcet. Explica iudicium dare non quasi ipsi sancti instituti sint iudices, Deus enim describitur exercens iudicium, sed sanctis ius debitum redditur, eorum causam tuetur et agit Deus, vel sanctis adiudicavit regnum, pro illis sententiam dixit (*Mald. Mar.*); v. 23 « *et sic ait : bestia quarta regnum quartum erit in terra quod maius erit omnibus regnis et devorabit universam terram et conculcabit et comminuet eam;* v. 24 *porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt et alius consurget post eos et potentior erit prioribus et tres reges humiliabit;* v. 25 *et sermones contra Excelsum loquetur et sanctos Altissimi conteret et putabit quod possit mutare tempora et leges et tradentur in manu eius usque ad tempus et tempora et dimidium temporis* »; — in textu v. 24 et cornua decem (quod spectat), ex illo regno surgent decem reges, vel etiam *post* illud regnum, quo sensu מִן saepius adhibetur; alius qui post ipsos surget erit *dissimilis a prioribus*.

In v. 23 regnum describitur romanum. In v. 24 modo prophetico statim fit transitus ad tempus remotum, tempus scil. antichristi. Is enim tamquam cornu oritur inter decem alia; proinde tempus decem regum iam est tempus eius, idque etiam propterea quia tres ex illis regibus deprimet, imperio spoliabit. Quomodo autem propheta subito a tempore imperii romani ad ultima transit tempora? vide quae supra ad v. 8 notavi. Cum in textu habeatur *ex illo regno* veletiam verti possit *post* illud, iam innui videtur id non continuo locum habere. Dein advertendum est quod frequenter apud prophetas deprehendimus, scil. ad hostes theocratiae designandos sermonem non in universum dirigi, sed ex sui quemque temporis conditione vel ex peculiari alicuius gentis indole ansam capere, ut in uno aliquo populo quasi in exemplari omnium inimicorum theocratiae odia, inimici-

tias, oppugnationes, clades quoque et castigationes ruinamque depingant; vide quae de ea re notavi in comment. in Ez. p. 391. Ita v. g. Isaias in Babel, Michaeas in Assur, Habacuc in Chaldaeis omnes Dei regni adversarios adumbrat et iam Balaam ultimum Dei hostem in navibus Kittim advenientem prospexit (Num. 24,24). Quae si apud prophetas in usu posita consideraveris, facile concesseris Danieli quoque, ut in quarta bestia et in quarto regno quasi in uno complexu omnes Dei regni inimicos comprehensos tibi proponat, ex quibus tandem suo tempore exsurget antichristus.

Uti iam supra dixi, intelligi antichristum facile consequitur ex iis quae ei hoc loco attribuuntur, si ea considerantur secundum documenta a S. Paulo nobis tradita 2 Thess. 2,3-10. Ex iis potissimum etiam indubie colligitur cornu apud Danielem unum aliquem hominem impium designari hoc loco et proinde etiam in v. 24 *reges* probabilius intelligi, non regna, quamvis reges et regna facile inter se commutentur. Quantum igitur ex verbis oraculi concludere licet, tum quando antichristus surget, erunt decem reges; fortasse in eo terrarum tractu quem imperium romanum olim occupavit, si ita « *ex illo regno* decem reges erunt » explicare malueris ad aliquam verborum proprietatem retinendam. Tres reges supprimet. Dein maxima arrogantia blasphemias in Deum effutiet, fideles Dei cultores diris persecutionibus vexabit, *tempora* i. e. dies festos cultui Dei destinatos abrogare, impedire, abolere conabitur; item *legem* a Deo statutam i. e. omnem Dei cultum, pietatem, sanctitatem ordinemque lege Dei stabilitum evertere tentabit. Optime hoc nobis exponit apostolus gentium : qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus... cuius adventus est in omni seductione iniquitatis (2 Thess. 2,4. 10). Et per aliquod tempus Deus permittet, ut vexentur et premantur pii Dei cultores, ut eius potestati et tyrannidi exponantur.

Tempus ipsum satis obscure designatur ; ad tempus et *duo* tempora (ita probabiliter et communiter explicant, cum numerus pluralis aramaice etiam pro duali ad par vel bina denotanda adhibeatur) et dimidium tempus; cf. 12,7. Communis tamen veterum acceptio iam a *S. Ephr. Hip. Hier. Theod.* etc. proposita et a multis etiam recentioribus adoptata est, ut tempus de anno intelligatur et proin anni tres et dimidius explicentur. Ad quam interpretationem commendandam plerique provocant ad Apoc. 11,2 et 13,5 vel etiam ad 12,6. 14. Atque 13,5 quidem cum allusione ad oraculum nostrum legitur : et datum est ei os loquens magna et blasphemias et data est ei potestas facere menses quadraginta duos; simili modo 11,2 : civitatem sanctam cal-

cabunt mensibus quadraginta duobus; item dicitur 12,6 mulierem fugisse in solitudinem, in locum a Deo ad eam tutandam paratum, ut ibi eam pascerent diebus mille ducentis sexaginta; quibus iterum menses efficiuntur quadraginta duo, si mensibus singulis attribueris triginta dies; iam quod praecipuum videtur, dies isti 1260 in v. 14 designantur hoc modo : et datae sunt mulieri alae duae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis. Ex hisce igitur communiter conficiunt veteres antichristum per tres annos et sex menses esse dominaturum et sanctos vexaturum.

In oraculis quandoque numeros tradi certos et definitos qui eodem modo intelligi debeant nemo negabit merito; vide Is. 7,8. Ier. 29,10. Et si hoc nostro loco et in Apoc. non exhiberetur nisi oraculum planis verbis expressum, non dubitarem numerum eum certum definitumque asserere. At quod pro utroque loco me reddit ancipitem est quod utrobique ratio visionis symbolicae intercedit. In tali autem visione facile contingere potest ut numeri ostendantur omnino certi ac definiti, qui tamen sensu et significatione ad symbolum accedente accipi debent. Exempla habes sat multa in Ez. cap. 40-48; vide quae de eius partis significatione pluribus exposui in Comment. p. 516-526. Quare equidem non ausim eos reprehendere qui numerum h. l. agnoscunt indeterminatum; idque eo magis quia *tempus* apud Danielem annum significare in mera coniectura reponitur (cf. ad 4,13 et 7,12), dein quia etiam in dubium vocari potest, num S. Ioannes revera voluerit hanc Danielis dictionem explicare; immo si id tibi conceditur, res nondum videtur confecta, quia in Apoc. revera numeri continentur symbolici quos omnes admittunt; unde igitur habes, quo certo assignes qui sint symbolici, qui certi ac definiti? Equidem non video; quare secundum regulas interpretationis cavendum erit ne citius quam par est certam statuamus sententiam in re adeo obscura et symbolis visionis obvoluta.

Hoc saltem pro commentario in Danielem sufficiat statuere, apud eum tempus regni antichristi modo proponi indeterminato. Utrum haec revelatio postmodum in Apoc. fuerit ad certum temporis spatium explicata, ita ut progressus in ipsa doctrina revelata ea in re cerni possit, necne, alibi erit disputandum uberius. Quare h. l. omitti potest alia ratio quam quandoque afferunt, decere ut antichristus non permittatur diutius regnare et praedicare quam Christus; at num deceat ut tamdiu permittatur, pari iure interrogari potest. Cum autem Daniel dicat usque ad tempus, duo tempora, dimidium temporis, ipsa hac verborum collocatione significare videtur fore ut potestas antichristi a parvis initiis v. 8 orta subito crescat et maximopere exten-

datur; at dum etiam maior eius progressus exspectandus esse videatur, repente abrumpatur atque concidat; post unum enim tempus progreditur ad duo, unde potestas eius firmiter constituta est et crescit; sed in medio cursu subito intercipitur; « propter electos breviabuntur dies illi » (Matth. 24,22). Numerum hunc quo dimidia pars numeri septenarii constituitur alii considerant tamquam indicem vel brevitatis vel operis humani, in quantum videlicet septenarium concipi debere censent numerum perfectum, sacrum, indicem operum Dei et durationis longioris vel stabilis. Alii demum in diligenti ea enumeratione expressum cernunt tempus tyrannidis antichristi esse a Deo definitum accurate et certis limitibus circumscriptum et coercitum, ne possit diutius furere; id quod ad solamen fidelium explicite asseratur. Hoc utique in ea loquendi forma etiam contineri potest et ad rationem visionis satis aptari videtur.

Tempore igitur a Deo constituto illius potestas subito auferetur v. 26 « *et iudicium sedebit ut auferatur potentia et conteratur et dispereat usque in finem;* v. 27 *regnum autem et potestas et magnitudo regni quae est subter omne coelum detur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum regnum sempiternum est et omnes reges servient ei et obedient* »; — cf. v. 10; in textu : magnitudo regnorum sub universo coelo dabitur i. e. quod ultimo quoque membro enuntiatur, omnia regna omnesque dominationes subiicientur regno illi quod Deus in populo suo condidit; clade inflicta adversario potentissimo regnum Dei incrementum capiet, quia seductor ille ut talis a superstitibus agnoscetur; quare reges quoque qui antea sub eius vexillis contra Deum bellum gerebant, victori Deo sese subiicient; bene notat *Lap.* : « tunc enim antichristi regno everso Ecclesia ubique terrarum regnabit et fiet tam ex Iudaeis quam ex gentilibus unum ovile et unus pastor ». — Atque hisce angelus dicendi et explicandi finem fecit; Danielem autem ea quae viderat et audierat multum habebant sollicitum v. 28 « *hucusque finis verbi; ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar et facies mea mutata est in me; verbum autem in corde meo conservavi* » ; — sacro quodam terrore perfunditur, ita ut color eius vultus immutaretur; *verbum* explica de tota re, de visione et eius declaratione ab angelo facta; ceterum cf. 5,9.

Apud SS. Patres interpretatio quartae bestiae de imperio romano erat communis; « quam vero convenienter id fecerint qui nosse desiderant, legant presbyteri Hieronymi librum in Danielem satis diligenter eruditeque conscriptum », ita S. Augustinus, de Civ. D. 20,23. Inde autem concluserunt deficiente imperio romano venturum esse antichristum. Audiatur *S. Hier.* : « ergo dicamus quod omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt :

in consummatione mundi quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges qui orbem romanum inter se dividant et undecimum surrecturum esse regem parvulum qui tres reges de decem regibus superaturus sit i. e. Aegyptiorum regem et Africae et Aethiopiae »; ita ad Dan. 7,8; et in epistola ad Algasiam n. 11 explicat apostasiam (de qua 2 Thess. 2,3), « ut omnes gentes quae romano imperio subiacent, recedant ab eis... tantum ut romanum imperium quod nunc universas gentes tenet recedat et de medio fiat et tunc antichristus veniet, fons iniquitatis » (*M.* 22,1036. 1037). Eodem modo *Hip.* : « si (quarta) bestia quae nunc adhuc viget ipsa sublata fuerit, cessabunt tandem terrestria, incipient denique coelestia »; quartam autem bestiam esse imperium romanum ait omnibus manifestum esse ad Dan. 7,7. Neque aliter censet *S. Chrysostomus* : « quando romanum imperium de medio fuerit sublatum, tunc ille (antichristus) veniet » (ad 2 Thess. 2,6; *M.* 62,486); item *S. Cyrillus* hierosolymitanus : « quando completa erunt romani imperii tempora, decem reges exsurgent » etc. (cat. 15; *M.* 33,886); similiter *S. Irenaeus;* adv. haer. 5,26; *M.* 7,1192; et *Theodoretus* : « circa finem regni Romanorum decem eodem tempore consurgent reges atque omnis improbitatis opifex et magister novissimus apparebit »; etiam apud *Ambrosiastrum* qui vocatur legimus : « deficiente regno romano ille (diabolus)... subornabit sibi in quo et per quem signa quaedam permissu iusti Dei faciens se commendet, ut adoretur quod sit Deus » (ad 2 Thess. 2,8. 9; *M.* 17,457) et iam *Tertullianus* monet esse magnam necessitatem orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu imperii rebusque romanis, cum scil. sciamus vim maximam orbi imminentem ipsamque clausulam saeculi acerbitates horrendas comminantem retardari romani imperii commeatu (Apolog. c. 32; *M.* 1,447); pariter cernit *Lactantius* causam vastitatis et confusionis quae orbi immineat in eo quod romanum nomen tolletur de terra (Instit. 7,15; *M.* 6,786 seq.). Immo, ut multos omittam, etiam Bellarminus sui temporis haereticis probavit romanum pontificem non esse antichristum ex eo quoque, quia antichristus nondum venerit cum signum adventus eius non sit impletum, « quia adhuc manet successio et nomen imperatorum romanorum et mirabili providentia Dei, quando defecit imperium in occidente, mansit incolume imperium in oriente; quia vero imperium orientis destruendum erat per Turcas, ut nunc factum videmus, iterum Deus erexit in occidente imperium occidentale per Carolum magnum, quod imperium adhuc durat » (de Romano Pontifice lib. 3 cap. 5; disput. de controv. I p. 717; Parisiis 1608). Huic sententiae insistens *Rohl.* censet, cum imperium romanum cessaverit anno 1806 nos iam vitam agere in illa periodo qua decem cornua vel regna oriuntur neque tempus antichristi posse esse valde remotum (p. 219. 224).

Sed hisce sententiis unum illud oppono, imperium romanum a tempore Constantini et a tempore Caroli magni tamen non posse censeri bestiam illam quartam, quam adeo terribilem et omnia pedibus conculcantem Daniel viderit. Unde eo iam nomine argumentatio ex Daniele stare nequit. Praeterea mentione digna et perpendenda sunt verba *S. Augustini*, cui illa

sententia non absurda videtur (de Civ. D. 20,19) qui tamen mox cap. 23 haec addit : « vereri me sane fateor ne in decem regibus forte fallamur atque ille inopinatus adveniat non exsistentibus tot regibus in orbe romano; quid enim si numero isto universitas regum significata est post quos ille venturus est? sicut millenario, centenario, septenario significatur plerumque universitas et aliis atque aliis numeris ». Insuper ne cum ***Rohl.*** illam sententiam de imperio ***romano*** ex Patrum consensu dicas pertinere ad traditionem illam qua fides catholica constituatur, advertere oportet eos quidem loqui de imperio romano, sed saepius eo sensu quatenus eius regni statu, legibus, administratione improbitas atque iniquitas coerceatur atque impediatur, quominus perruptis quasi cancellis inundatione immensa orbem mergat; maxima improbitate parari scil. aditum et viam antichristi; unde quamdiu adsit eiusmodi impedimentum illum non esse venturum. Quare merito dici potest in regno illo non cerni necessario quod romanum sit, sed potius quod adsit in orbe potestas qua ordo civilis et sanctitas legum protegatur atque vindicetur. Verum de ea re plura erunt disputanda ad 2 Thess. 2,6. Nam pro visione Danielis perspicuum est in quarta bestia depingi regnum romanum alia plane ratione, quatenus videlicet duro imperio gentes subiicit et opprimit; in eo depingitur indoles regni quod homines peccato corrupti instituunt, ut huic opponatur regnum Dei. Atque haec quoque videtur esse ratio, cur vates periodum regnorum christianorum omittens statim adnectit imperio romano regna illa ad tempora antichristi praevia quae vi symboli, cum sint cornua in capite bestiae, impia fore Deoque inimica proditur. Unde in visione non effertur nexus atque ordo temporis quo haec inter se subsequantur, sed ***interna*** quaedam indolis ***connexio*** atque propinquitas, ut ***Heb.*** bene advertit.

Numerus decem regum vel regnorum v. 24 videtur esse definitus, ita ut decem revera praedicantur, non numerus indeterminatus vel symbolicus. Nam ex decem tres reges dicitur antichristus superare. Iam talis divisio ac distributio in certo numero facile intelligitur, sed quid sibi vult, si uterque numerus ponitur pro indeterminato et symbolico? Accedit quod reliqui numeri in hoc capite certi sunt ac definiti; ita quattuor bestiae revera quattuor regna adumbrant; tres costae in ore ursi de tribus regnis expugnatis explicari possunt commode v. 5; quattuor capita pardi intelliguntur de quattuor regnis ex Alexandri monarchia exortis, quae explicatio 8,22 nobis omnino proponitur. Unde saltem valde probabile est et ad antecedentia plane consequens etiam decem reges vel regna certo numero comprehendi. Ceterum cum agatur de re quae futuro tempore implenda erit, certa sententia statui nequit. Etiam hodie dicere debemus quod ***Hip.*** olim scripsit : « quemadmodum de pardo propheta dixit hanc bestiam quattuor capita habere quod reipsa contigit, nam divisum est imperium Alexandri in quattuor regna, ***sic et nunc exspectare oportet*** usque dum surgant decem cornua ex ista bestia, cum tempus eius completum erit, et parvum cornu quod est antichristus inter illa cornua repente appareat... ita ut non anticipare oporteat Dei consilium, sed patientiam habere et ti-

mere ne istis temporibus incidamus, non vero incredulos esse quasi haec non futura sint ».

De modo quo alii quattuor regna interpretantur iam aliqua dicta sunt ad cap. 2. Ex cap. 7 autem insuper nonnulla colligi possunt ad illas sententias etiam magis convellendas. Secundum regnum quod Daniel vidit non potest esse regnum Medorum, non solum quia tale regnum a persico distinctum Daniel nullibi novit, sed etiam quia duo illa quae de urso dicuntur, uti in regno medo-persico facilem habent et obviam explicationem, ita nullam in regno Medorum. Quomodo alterum latus elatum sit explanandum, quomodo tres costae, eius sententiae patroni haerent, cum de Dario Medo et eius regno et expeditionibus militaribus vel de expugnatione et occupatione trium provinciarum nihil notum sit. Neque tertium regnum explicari potest de regno Persarum. Quid enim sibi volunt quattuor capita? Haec profecto eo modo explicari oportet quo decem cornua 7,24 et quattuor cornua 8,8. 22 declarantur; proin de quattuor regnis quae ex uno illo tertio oriunda sint. Haec vero iterum in regno Alexandri facilem habent explicationem, nullam in regno Persarum. Nam dicere cum aliquibus iis solum declarari quam facile in omnem orbis terrarum partem regnum extendatur, minime sufficit; id enim exprimitur in quattuor alis; dein non satisfit certis illis symbolis cornuum et certae declarationi ab angelo datae. Insuper ea explanatio contradicit ei quod conceptis verbis 8,20. 21 statuitur, regnum Medorum et Persarum uno symbolo, altero regnum exhiberi Graecorum.

Pariter constat quartum regnum non posse concipi neque de regno Alexandri simul cum regnis ex eius monarchia exortis neque de istis regnis solum. In neutra enim acceptione ea reperiri possunt quae de decem cornibus, de uno cornu *inter* illa orto, de tribus ab uno illo evulsis dicuntur. Conantur quidem decem cornua explanare de decem regibus inter se succedentibus; ita v. g. *Hitz.* qui ipsum Alexandrum tamquam cornu primum enumerat, dein ex solo Seleucidarum regno Seleucum I Nicatorem, Antiochum I Sotera, Antiochum II Theon, Seleucum II Callinicum, Seleucum III Ceraunum, Antiochum III Magnum, Seleucum IV Philopatorem, Heliodorum, Demetrium I. Sed primo arbitrarie adstruitur series regum inter se succedentium, dum tamen in imagine proponuntur decem reges qui simul exsistant [1], vide 7, 24; dein Heliodorus nunquam ad regiam di-

---

1. Id quod bene monet *Theod.* ad 7,24 : « notandum est non dixisse eum fore ut singuli exsurgant, ita ut alius alii deinceps succedat, sed eodem tempore omnes exsurrecturos esse, atque haec ita se habere sequentia testantur. Post eos enim surget, inquit, rex alius qui superabit malis omnes superiores et tres reges humiliabit. Quodsi non eodem tempore regnarunt, verum singuli superioribus successerunt, quomodo iste tres superiores eodem tempore humiliabit? Perspicuum est igitur eum praedicere fore ut decem circa finem simul exsistant ». De iis autem qui in quarto regnum successorum Alexandri videre volunt, sic iudicat haud immerito *Sanct.* : « vide Porphyrii stuporem et oscitantiam, in

gnitatem quam utique appetiit revera pervenit; proinde immerito recensetur; neque Heliodorus a cornu parvo i. e. ab Antiocho Epiphane (qui in ea suppositione est cornu illud) est repulsus et oppressus, sed ab Attalo et Eumene. Etiam Demetrius quamvis heres esset regni mortuo Seleuco IV patre, tamen regnum non capessivit; unde perperam recensetur neque ab Antiocho throno est spoliatus quem videlicet eo superstite non occupavit. Neque Seleucus IV ab Antiocho est trucidatus, sed ab Heliodoro. Unde nullo modo explicatur, quomodo cornu parvum, Antiochus, tres reges ex decem illis oppresserit. Quare quam parum haec explicatio respondeat symbolo manifestum est.

Neque res felicius aliis cedit qui seriem omisso Alexandro incipiunt a Seleuco I et in fine ut decimum adiungunt Ptolemaeum Philometorem. Nam puer iste quem mater eius Cleopatra, soror Seleuci Philopatoris et Antiochi Epiphanis, regia dignitate in Syria ornare voluit, revera nunquam eam habuit dignitatem ante mortem Antiochi, sed solum post eius mortem brevi tempore utrumque regnum aegyptiacum et syriacum administravit. Contra utramque hanc explicationem etiam merito obiicitur, cur unum regnum syriacum ex monarchia Alexandri sibi seligant, cur si quarta bestia regna complectatur successorum Alexandri vel diadochorum uti vocantur, in uno regno sistatur. Nonne mirum esset si Daniel quod cap. 7 decem cornibus expressit in cap. 8 quattuor describeret? Regnum Alexandri in quattuor regna fuisse divisum ostendi potest; id autem uno aliquo tempore in decem partes esse discerptum nullo modo probatur. *Bleek* quidem decem recenset duces Alexandri qui anno 323 pacto inter se inito praecipuas provincias inter se diviserint; sed decem illos pro arbitrio selegit ex pluribus quam triginta qui eo tempore regnum Alexandri inter se partiti sunt teste Iustino; is enim historiarum libro 13, cap. 4 haec refert : « Perdicca inter principes provincias dividit simul ut et removeret aemulos et munus imperii beneficii sui faceret. Primo, Ptolemaeo Aegyptus et Africae Arabiaeque pars sorte venit,... confinem huic provinciae Syriam Laomedon mitylenaeus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios accipiunt; Mediae maiori Atropatos, minori socer Perdiccae praeponitur. Susiana gens Scyno, Phrygia maior Antigono Philippi filio assignatur; Lyciam et Pamphyliam Nearchus, Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur. Leonato minor Phrygia evenit; Thracia et regiones pontici maris Lysimacho; Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data. Summus castrorum tribunatus Seleuco Antiochi filio cessit; stipatoribus regis satellitibusque Cassander filius Antipatri praeficitur. In Bactriana ulteriore et Indiae regionibus priores praefecti retenti. Terras inter amnes Hydaspem et Indum Taxiles habebat; in colonias in Indis conditas Pithon mittitur; Parapammenos, fines Caucasi

---

cuius mentem venire potuit, ut existimaverit regnum eorum qui Alexandro successere omnium esse maximum, quodque omnem terram sibi subiecerit conculcaveritque, cum reliquis regnis longe fuerit infirmius et ab omnibus concisum aut male vexatum ».

montis Extarches accepit; Aracossi Gedrosique Sibyrtio traduntur, Drancae et Arei Statanori. Bactrianos Amyntas sortitur, Sogdianos Scythaeus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phrataphernes Armenios, Tleptolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archon Pelasgos, Arcesilaus Mesopotamiam ». ***Bleek*** decem seligit : Craterum, Antipatrum, Lysimachum, Leonatum, Antigonum, Cassandrum, Eumenem, Laomedonta, Pythonem, Ptolemaeum (Jahrbücher f. deutsche Theologie V 1860 p. 61); sed numerum hunc denarium plane arbitrarie statui nullumque tempus assignari posse quo regnum Alexandri in decem regna sit distributum sine ulla controversia constat. Quare aliis praeplacet numerum denarium accipere tamquam symbolicum et indeterminatum. Sed cur tunc ex isto numero tres reges secernuntur; num igitur ternarius quoque symbolice et indeterminate accipi debet? et quaternarius? Vide quoque ***D.*** p. 110-115.

2. *Visio de secundo regno et tertio. Cap.* 8.

ARG. — Danieli in visione proponitur aries, cuius alterum cornu excelsius est altero et qui suis cornibus alias bestias vexat et devincit; verum cursu rapidissimo ad eum properat hircus insigni cornu armatus. Is arietem magna cum ira aggressus prosternit atque conculcat; ipse vero crescit; at mox eius cornu frangitur et quattuor alia cornua succrescunt; ex uno eorum aliud egreditur cornu, quod magnum efficitur et bellum movet contra Deum eiusque cultum et terram per tempus a Deo definitum (8,1-14). Visionem eam Gabriel Danieli explicat : significari in ariete reges Medorum et Persarum, in hirco regem Graecorum, in cornu grandi regem primum, in quattuor cornibus quattuor regna ex gente illa oriunda; dein oriturum regem impium ac potentem qui populum Dei persecuturus sit acerrime et pugnaturus contra Deum, donec conteratur (8,15-27).

Hac visione praecedens visio explicatur in iis quae ibi breviter perstringebantur. De primo quidem regno nihil additur. Id enim iam ad finem vergebat, cum Baltassar, filius Nabonidi, in regni consortium assumeretur. Quomodo autem regnum hoc pristino robore privetur et tandem intereat, iam supra 7,4 et cap. 5 expositum est. Unde non erat cur de eo regno quidquam adderetur. At quae de regno altero et tertio 7,5. 6 dicebantur, admodum pauca erant et succincta et subobscura. Quare postea ea Danieli ostenduntur quibus illa magis determinantur. Ita quod 7,5 ursus latus alterum magis extulit, declaratur cornu altero insigniore arietis; cornu autem vim designari et potentiam notum est; inde igitur facile infertur regnum illud quod duabus constat gentibus fore altera gente praepotens et insigne. Dein

quod 7,5 tribus costis inter dentes ursi significabatur, iam explicatur per arietem qui cornibus ventilat contra occidentem, contra aquilonem, contra meridiem; ergo tres regiones sibi subiicit et conculcat. Pariter quod de tertio regno 7,6 legitur, iam distinctius proponitur; in alis designatur rapidissimus ille cursus, quo terram non tangere videtur hircus; quattuor capita explicantur de quattuor regnis ex uno orituris; cetera quae cap. 8 leguntur, nova sunt et tertii regni finem et exitum ratione habita populi regnique Dei uberius enarrant. Ex quibus perspicuum est caput hoc nexu arctissimo ad praecedens pertinere, quo scil. lineamenta illa obiter ducta compleantur et ad effigiem perficiantur. Inde vero simul elucet perperam assignari a multis caput 8 tamquam initium partis libri alterius; vide quae in Proleg. dicta sunt.

a) **Visio de ariete et hirco 8,1-14.**

Quod prophetae in universum ostensum erat, id Deus ei decursu temporis magis magisque per singula proponit. Ita de revelatione anno secundo Nabuchodonosor accepta clarius edocetur post tempus longius, anno scil. primo Baltassar, ultimi regis, cap. 7; iam de visione hac iterum tempore breviore elapso aliam eamque magis explicitam accipit communicationem divinam; v. 1 « *Anno tertio regni Baltassar regis visio apparuit mihi; ego Daniel post id quod videram in principio* v. 2 *vidi in visione mea, cum essem in Susis castro quod est in Aelam regione; vidi autem in visione esse me super portam Ulai* »; — ab hoc capite et deinceps utitur Daniel lingua hebr.; vide Proleg. Cum dicat *visio apparuit mihi Danieli post eam quae mihi ostensa est in initio* vel antea (hebr.), ipse vates hanc visionem priori in cap. 7 adnecti declarat; *initium* potest referri ad annum primum regis 7,1; sed בַּתְּחִלָּה etiam notionem induit magis generalem et indeterminatam *antea*, prout *S. Hier.* vocem vertit *prius* Gen. 13,3; 43, 18. Is. 1,26; *ante* Gen. 43,20. Legitur ad verbum in v. 2 *et vidi in visione et fuit* (*factum est*) *cum viderem et ego in Susis arce... et vidi in visione et ego fui ad flumen Ulai;* ex quo loquendi modo sequi videtur vatem non corpore, sed solum visione et imaginatione fuisse in arce Susis. Neque enim dicit: fui Susis et vidi in visione, verum bis affirmat: vidi in visione et eram in Susis, vidi in visione et eram ad fluvium Ulai, id quod omnino dici videtur de eo qui solum visione transferri sibi videbatur in eam regionem vel cui ea regio in visione est oblata. Ita verba multi concipiunt (*Mald. Sanct. Mar. Lap. Gord. Tir. Palmer, Z. Keil*) quibus iam *Theod.* praeisse videtur, cum scribat:

« si itaque persici regni discit eversionem, convenienter in illa urbe sibi videtur inspicere revelationem »; alii tamen nil obstare censent quominus dicatur Daniel revera Susis fuisse (*Per. Rohl. Brunengo* l. c. p. 438; *Cornely,* Introd. II 2 p. 469.). Cum prior sententia sat probabilis sit, responsum est ad id quod aliqui moverunt, falso adscribere Danielem urbem eam ditioni et imperio Chaldaeorum, cum Aelam tempore Nabonidi ad regnum pertinuerit Medorum. Ad utram pertinuerit dominationem, certo dici nequit; ceterum quidquid statuendum erit, parum interest. Quis enim contendere poterit fieri non potuisse, ut Daniel se in urbem eam conferret? Bellum intercessit inter Nabonidum et Medos; quid si Daniel tamquam legatus regis ad aliquem ducem Medorum missus sit? Olim quoque *Bertheau* contendit eam arcem eo tempore nondum exstitisse. Sed ex inscriptionibus Asurbanipal (660 a. Ch.) discimus Aelam regionem ab ipso esse subiectam urbemque principalem regni aelamitici expugnatam (cf. *Schrader,* Keilinschriften u. A. T. ad Gen. 14,1); urbs ea nominatur Susan, Schuschaan mat Ilamti i. e. Susa terrae Aelam. In urbe autem regia etiam arcem exstitisse regiam patet. Alii contendunt Darium demum arcem aedificasse; eum aedificasse certum est; at inde non sequitur ante eius tempus urbem caruisse arce. Cum urbs in Aelam sita esse dicatur, tempus declaratur ante regnum Persarum. Nam tempore regni Persarum urbs attributa erat Susianae provinciae. Ulai fluvius etiam in inscriptionibus (nâr Ulaai) prope urbem situs describitur (*Schrader* l. c. ad Dan. 8,2); aliqui Kercha flumen (Choaspen?), alii Karun eo designari nomine opinantur; Eulaeus fluvius quem veteres commemorant idem esse perhibetur.

Notat *S. Hier.* : « Aquila transtulit super ubal Ulai, Theodotio super Ubal, Symmachus super paludem Ulai, Septuaginta super portam Ulai » (i. e. αἰλάμ). Sed אֻבַל designari fluvium *Mar. Calm.* et recentiores docent et cum nâr Ulai etiam in inscriptionibus legatur, dubitari nequit.

Cur Susis ea visio prophetae sit oblata, *Theod. Per.* indicant; solebant enim reges Persarum partem anni frigidiorem ibi degere; in arce regia multo splendore exornata maximi asservabantur thesauri[1]; ibi quoque regum monumenta visebantur (Herod. 5,49; Ar-

1. Scribit Curtius de ingressu Alexandri in urbem (V, 2. 8) : « ut vero urbem (Susa) intravit, incredibilem ex thesauris summam pecuniae egessit; quinquaginta milia talentum argenti non signati forma, sed rudi pondere. Multi reges tantas opes longa aetate cumulaverant liberis posterisque, ut arbitrabantur, quas una hora in externi regis manus intulit ». Atque cur ista visione in eam urbem Daniel sit translatus spiritu, *Sanct.* declarat : « illa etenim civitas caput erat et prima sedes illius imperii, ut docet in ipso statim principio

rian. 3,16). Unde in sede potestatis regni persici vati eiusdem regni interitus ostenditur; cf. *Palmer;* v. 3 « *et levavi oculos meos et vidi et ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa et unum excelsius altero atque succrescens postea* » ; — hebr. *stabat ante fluvium;* et (cornu) *excelsius crescebat posterius.* Duo cornua significant ex v. 20 potentiam Medorum atque Persarum; potentia Persarum postmodum crevit ita ut Persae in regno primores essent ac praecipui; id iam per Cyrum effectum est. Regno autem persico aliae regiones subiiciebantur v. 4 « *vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem et contra aquilonem et contra meridiem, et omnes bestiae non poterant resistere ei neque liberari de manu eius; fecitque secundum voluntatem suam et magnificatus est* »; — Cyrus eiusque successores bellis gestis sibi subdiderunt contra occidentem Babyloniam, Asiam minorem, Syriam; contra aquilonem gentes ponticas et scythicas; contra meridiem Aegyptum; Medi et Persae ab oriente venerunt contra Babylonem; unde aries contra tres terrae plagas alias ventilare cornibus exhibetur. Supra 7,5 tribus costis inter dentes ursi idem regnum in tres regiones extentum designabatur. Cornu symbolum est usitatum potentiae; unde subiectio populorum apte designatur ventilatione cornuum; cf. Ps. 43,6 : in te inimicos nostros ventilabimus cornu; Ps. 74,6; 88,18; 91,11 etc.

In antecedentibus solum dicebatur fore ut regna inter se succedant 2,39 et 7,6; hoc loco determinatur quomodo succedant; scil. regnum persicum fore ut expugnetur et subiiciatur a tertio regno; v. 5 « *et ego intelligebam; ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terrae et non tangebat terram; porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos,* v. 6 *et venit usque ad arietem illum cornutum quem videram stantem ante portam et cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suae;* v. 7 *cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum et percussit arietem et comminuit duo cornua eius et non poterat aries resistere ei; cumque eum misisset in terram, conculcavit et nemo quibat liberare arietem de manu eius* »; — explica v. 5 *intelligere* : ego attente considerabam et perpendebam (*Mald. Mar.*); hirco regnum designatur Graecorum; cornu autem insigne, conspicuum (θεωρητόν i. e. ἐπίσημον καὶ περίβλεπτον *Theod.*) est primus eius rex, Alexander Magnus; cf. v. 21. In hirco *caprarum* non quem-

---

liber Esther: in eum enim locum evocati sunt principes, ubi ad regiae maiestatis specimen instructum convivium; ibi regia gaza, et regum familiare domicilium et arx qua in tota Perside nihil erat fortius, nihil illustrius. Quare totius imperii quoddam erat symbolum; unde nullo loco commodius de imperii summa a Graecis et Persis certari potuit ».

libet hircum describi aliqui volunt, sed eum qui caprarum solet gregem anteire ceteris et magnitudine et robore insignior (*Mald. Lap. Tir.*); at vide ad Zach. 9,9 (Comment. in min. Proph. II p. 320 not. 1). Cornu inter oculos posito ingenium, prudentia, sagacitas mentis Alexandri (*Theod.*), animi strenuitas, vigilantia, industria, sedulitas (*Calm.*) declaratur. Venit ab occidente; aries enim Susis *ante fluvium* (hebr.) consistit; i. e. regnum Medorum atque Persarum, cornua duo, deiici in visione exhibetur in ipsa urbe regia. Quanta celeritate Alexander a victoria quasi volaverit ad victoriam, ipsa imagine declaratur qua terram cursu rapidissimo ne tangere quidem videbatur. Nota quoque vaticinandi modum. Una imagine rei summa proponitur; in v. 7 « vivis coloribus et ad oculos verba exhibent fortitudinem, strenuitatem et intrepidum Alexandri animum, sed nihil habent de clementia huius principis et teneris illis pietatis sensibus quibus misertus fuit mortui hostis casum et necessariorum Darii qui sibi cesserant captivi » (*Calm.*). Erat enim regni unius casus exhibendus, victoria alterius. Mira illa victoriarum celeritas 7,6 alis depingitur.

Quod 7,6 de quattuor capitibus dicebatur, clarius et explicatius declaratur v. 8 « *hircus autem caprarum magnus factus est nimis; cumque crevisset fractum est cornu magnum et orta sunt quattuor cornua subter illud per quattuor ventos coeli* »; — cornu in v. 5 חָזוּת vocatum hic appellatur *magnum;* unde vocem illam rite explicari *insigne, conspicuum* facile concluseris. Mediis in victoriis et in aetatis flore Alexandrum regno ingenti condito esse morte sublatum habes in cornu fracto depictum; hebr. potius *cum esset in robore suo* (*Mald.*). At in loco cornu fracti orta sunt vel ascenderunt quattuor cornua insignia (hebr.) versus quattuor ventos coeli i. e. ex uno eius regno exstiterunt quattuor sat magna ac potentia per quattuor mundi plagas. Pugna enim ad Ipsum facta quattuor duces regnum Alexandri inter se partiti sunt anno 301 : Cassander Macedoniam et Graeciam obtinuit, Lysimachus Thraciam et Bithyniam, Seleucus Syriam, Babyloniam, Persidem, Ptolemaeus Aegyptum, Palaestinam, Arabiam petraeam. Cum in oraculis solum rei summa soleat exhiberi, varia illa omittuntur certamina regnique divisiones post Alexandri mortem, donec tandem post annos 22 multasque perturbationes quattuor illa regna ex variorum colluctationibus emerserint. Pari modo multo temporis intervallo omisso statim fit transitus in v. 9 ad Antiochi Epiphanis tempus et tyrannidem.

Ceteris praetermissis id unum oraculo illustratur quod ad Dei regnum et populum refertur v. 9 « *de uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum et factum est grande contra meridiem et contra*

orientem et contra fortitudinem »; — hebr. וְאֶל הַצֶּבִי i. e. contra gloriam vel pulchritudinem; eo autem nomine Palaestina, utpote terra eximia et favore Dei ornata, designatur; vide Ier. 3,19 hebr. Ez. 20,6. Zach. 7,14; alias *S. Hier.* vertit terram desiderabilem, egregiam. Dicitur cornu illud egressum esse vel ortum ex parvis initiis (hebr.). Antiochus enim, dum eius frater maior natu, Seleucus IV regnaret, per undecim annos obses fuit Romae; postquam Seleucus ab Heliodoro veneno est interemptus, Antiochus foedere inito cum Eumene rege pergameno regnum usurpavit contra fas, cum Demetrius filius Seleuci esset heres regni legitimus; cf. Dan. 11,21 : veniet clam et obtinebit regnum in fraudulentia. Bella gessit contra meridiem i. e. contra Aegyptum ab anno 171-168 a. Ch., contra orientem i. e. Persidem; cf. 1 Mach. 3,31. 37; 6,1-4; quantopere saevierit contra Palaestinam, in libris Mach. refertur.

Eius furor et insania contra divinum cultum legemque Iudaeorum ita describitur, ut facile deprehendatur typus et figura eius quem 7,8. 25 post regnum quartum vates proditurum esse dixerat; v. 10 « *et magnificatum est usque ad fortitudinem coeli et deiecit de fortitudine et de stellis et conculcavit eas*, v. 11 *et usque ad principem fortitudinis magnificatum est et ab eo tulit iuge sacrificium et deiecit locum sanctificationis eius;* v. 12 *robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata, et prosternetur veritas in terra, et faciet et prosperabitur* »; — usque ad exercitum coeli (hebr.), scil. ad astra vidit cornu illud extolli et de exercitu coeli, de stellis, aliquas stellas in terram deiecit rex ille et conculcavit; i. e. populum sanctorum Dei dire persequitur ac vexat, prout v. 24 explicatur; atque in ipsum etiam Deum efferetur, in principem exercitus (hebr.), eo quod ei aufert הַתָּמִיד *perpetuum* vel perenne i. e. cultum illum quem Deus semper sibi fieri lege vetere iusserat. Eo nomine praecipue significatur holocaustum quotidianum, matutinum et vespertinum; etiam panes propositionis (facierum) vocantur panes perpetui; similiter lucerna quae semper ardebat in tabernaculo (cf. Ex. 27,20. Num. 4,7; 28,6. 10. 15. 23). Uti cultum Dei tollit, ita locum cultus, sanctuarium, templum quoque deiicit. Ad ea efficienda ei a Deo potestas concessa est propter peccata, ut scil. studium multorum mores gentium imitandi puniretur; cf. 2 Mach. 4,13 seq.; qua in re ipsi quoque sacerdotes non immunes erant a culpa; templo enim contempto et neglectis sacrificiis ad palaestram festinabant et graecas glorias appetebant. Ita igitur impius ille veritatem, ordinem rectum et mores probos, in terram prosternet et in ausu suo impio prosperum habebit successum.

In textu legitur צָבָא תִּנָּתֵן עַל הַתָּמִיד; id quod varie reddunt : expeditio militaris facta est contra perennem cultum, bellum gestum est; exercitus constitutus est contra cultum in scelere, cum scelere, modo scelesto (cf. *Hitz. Z.*). Alii *exercitum* eodem sensu accipiendum esse docent quo vox v. 10 et statim in v. 13 legitur; ergo de populo Dei; dein habetur sensus : populus traditus est scil. in potestatem hostium simul cum cultu perenni (cf. *Vat.* et recentiores haud pauci cum *Troch. Keil*). Etiam de acceptione בְּפָשַׁע potest disceptari; vel in scelere, modo scelesto traditi sunt; vel in scelus traditi sunt i. e. in furorem et impietatem hostium, vel propter scelus. Theodotio vocem צבא non exprimit, sed vertit καὶ ἐδόθη ἐπὶ τὴν θυσίαν ἁμαρτία; LXX καὶ ἐγενήθησαν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ αἱ ἁμαρτίαι; Theodoretus καὶ δι' αὐτόν, φησί, θυσία ἐταράχθη παραπτώματι. Sensus textus hebr. debet determinari potissimum ex v. 13, in quo quid cornu illud facinorosi patret paucis comprehenditur. Ibi vero exercitus in conculcationem dari dicitur etc.; unde eodem modo in nostro versu eadem vox צבא capi debet; על explica *simul cum;* cf. Mich. 5,3 et quae ibi de ea notione adverti (Comment. in min. Proph. I p. 444 not. 1); traditur autem in scelus et furorem hostium; eo quippe sensu פֶּשַׁע etiam in v. 13 adhibetur, neque placet in visione qua populus Dei exercitui coeli et stellis coeli comparatur, in universum dici propter scelus eiusdem populi cultum Dei conculcari. Quare versio *propter peccata*, uti non congruit cum sequentibus, ita a ratione visionis et modo quo populus Dei hic describitur aliena esse videtur.

Quantopere angelis curae sit conditio populi Dei, pariter in visione Danieli offertur. Sollicite enim quaerit unus ex angelis, quamdiu ista vexatio et oppressio populi Dei duratura sit v. 13 « *et audivi unum de sanctis loquentem et dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti : usquequo visio et iuge sacrificium et peccatum desolationis quae facta est, et sanctuarium et fortitudo conculcabitur* »? — hebr. *dare sanctuarium et exercitum in conculcationem*, ita ut modus loquendi congruat cum v. 12 : quamdiu haec omnia durabunt. Angelus ea quaestione et suum manifestat in populum studium et amorem desiderans ut tempus illud durum probationis mox Deo favente finiatur, et occasionem praebet ut vates doceatur; quare ex angelo socio quaerit, ut Danieli explicationem procuret (*Calm.*). Atque fit responsio v. 14 « *et dixit ei : usque ad vesperam et mane dies duo millia trecenti et mundabitur sanctuarium* » ; — hebr. *et dixit mihi :* usquedum transierint עֶרֶב בֹּקֶר 2 300, sanctum denuo debito ordini restituetur. Determinatio temporis videtur esse ambigua. Potest enim accipi ita ut mane et vespere 2 300 vicibus numerentur i. e. ut dies 24 horarum computentur 2300; vel etiam ita ut ex numero noctium (vespere) et dierum (mane) conficiatur numerus totus 2300 i. e. ut dies 24 horarum computentur 1150.

Ab alterutra sententia haud pauci stant interpretes; v. g. a priore *Haevernick, Lengerke, Maurer, Keil, Loch, Rohl. Troch.* cum veteribus; ab altera *D. Bleek, Ewald, Hitz. Wieseler, Z. Meinhold* etc.; cui sententiae plerumque addunt eum dicendi modum esse electum ratione habita iugis sacrificii quod singulis diebus mane et vespere offerri oportebat et quod Ex. 29,41 מִנְחַת הַבֹּקֶר et Dan. 9,21 מִנְחַת עָרֶב appellatur.

Sed facile patet utramque explicationem premi variis difficultatibus. *Vespere mane* est dictio inusitata et falsa pro integro die, cum dies 24 horarum non designari possit quasi constans tempore vespertino et matutino. Neque iuvat provocare ut generatim faciunt ad Gen. 1,5. 8. 13 etc.; nam ibi quoque ea dictione « et factum est vespere et factum est mane » non designatur νυχθήμερον, sed opere diei peracto declaratur vesper quem exceperit tempus matutinum, alius dies operis, ergo solum tempus nocturnum. Neque ullo pacto ex vocibus colligi potest eas adhibitas esse apud Hebraeos pro integro die et idem significare quod νυχθήμερον. Id quidem asserunt multi; at nemo ne vestigium quidem eius usus ostendit. Pariter mirum esset, si sacrificium quotidianum iis declararetur nominibus; insuper eo numero recenserentur non sacrificia quae fierent, sed quae non offerrentur. Sed etsi hoc supposueris, numerus dierum 1150 vel sacrificiorum (non oblatorum) 2300 confici nequit, impletionis si rationem habueris. Nam sacrificium quotidianum tempore persecutionis Antiochi cessavit die 25 mensis casleu an. 168 a. Ch. et eodem die post tres annos iterum restitutum est, uti colligitur ex 1 Mach. 1,62 et 4,53. 54; sed tribus annis solum fiunt dies 1095, nec multum iuvaberis, si cessationem contra 4,53. 54 inceperis computare a die 15 mensis casleu propter 1 Mach. 1,57 : die 15 mensis casleu, 145 anno aedificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei. Neque longius temporis spatium assumi potest pro cessatione sacrificii quotidiani propter 1 Mach. 1,47; nam 4,52-54 explicite dicitur : 25 die mensis casleu 148 anni obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum quod fecerunt; *secundum tempus et secundum diem* in qua contaminaverant illud gentes, *in ipsa* renovatum est in canticis et citharis et cinyris et in cymbalis.

Unde ipsa dictione plane peregrina invitamur, ut ad coniecturam et emendationem textus confugiamus. Apud Theodoretum et etiam apud LXX vox inseritur ἡμέραι; unde probabilissimum est vocem יוֹם etiam in textu hebr. olim lectam esse. Iam si בקר vel potius בֹּקֶר explicaveris ita ut singulae litterae pro numeris ponantur, habes dies 2 300,

id est habes textum qui facillimo modo fluit. Unde Danielem scripsisse censeo עד יבים בקר : usque ad dies 2300. Ex qua scriptione non adeo difficile explicatur origo textus mas.; numeri scribebantur et per errorem vel dittographiam etiam בקר retinebatur; ad quam vocem cum יבים iam non quadraret, scribebatur altera vox ערב; quibus duabus vocibus fortasse notionem *diei* exprimere volebant.

Iam difficile non est ostendere oppressionem illam et vexationem propter cultum Dei illatam durasse per 2300 dies i. e. per sex annos et menses fere quattuor. Oportet autem ob oculos haberi, nullo modo agi de sola cessatione sacrificii. Nam, uti iam monui, תמיד dicit plus; praeterea in v. 13 visio explicatur ea qua vati multo plura sint ostensa: תמיד et scelus et vastatio et conculcatio sanctuarii et populi. Quare eam oppressionem incepisse merito dicimus, cum Antiochus versus finem anni 170 a. Ch. ab expeditione aegyptiaca redux ea committeret in templum et populum quae 1 Mach. 1,22-29 et 2 Mach. 5,11-16 narrantur. Etiam maior vexatio populo ingruit post duos annos 1 Mach. 1,30-67; anno scil. 168 mense decembri abominandum idolum desolationis ponebatur super altare Dei, postquam iam antea rex omnem Dei cultum, observationem festorum, circumcisionem, observantiam legum mosaicarum mortis poena proposita prohibuerat; cf. 2 Mach. 6,1-11 et 1 Mach. 2,7 seq. Certaminibus a Machabaeis feliciter factis post tres quidem annos cultus Dei in templo restitutus est; at vexatio et oppugnatio religionis causa nihilominus perducta est usque ad aestatem anni 163, quo tempore tandem Lysias concessit Iudaeis, ut ambularent in legitimis suis sicut prius (1 Mach. 6,59). Et ab eo tempore Iudaei iam non propter religionem vexabantur neque reges Syriae cultum Dei funditus evertere conabantur. Quare rebus illis inspectis quae narrantur, dies hos 2300 fluxisse existimo a fine 170 usque ad aestatem 163 (sunt enim 2300 dies anni 6, menses fere quattuor).

Non esse sistendum in dedicatione templi an. 165 quasi eo tempore persecutio finita esset, ipso quoque textu indicatur. In hebr. quippe v. 14 non fit mentio de emundatione sanctuarii, sed legitur נִצְדַּק קֹדֶשׁ; iam קדש generatim significat *sanctum;* ad templum designandum Daniel utitur voce מִקְדָּשׁ v. 11 et 9,17 et 11,31. Quare explica: et sanctum i. e. id quod ad cultum Dei, ad legis observationem, ad caerimonias ritusque sacros pertinet, ordini debito restituetur[1], id denuo iure permittetur et ratione stabili consistet. Id autem revera factum est, cum

1. Quare perperam contendit *D.* p. 153 nos ipso textu cogi verba referre ad emundationem templi quae facta sit die 25 mensis kisleu 148.

Lysias concederet ut Iudaei ambularent in legitimis suis sicut prius; id quod aestate 163 concessit (cf. *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter I. Ch. Leipzig 1889 I 1 p. 166. 167).

b) **Visio ab angelo explicatur 8,15-27.**

« Videbat visionem per picturam et imaginem et illius intelligentiam nesciebat » (*S. Hier.*). Bene adumbratur munus angelorum qui menti illustrationes immittunt hominesque docent ac dirigunt, utpote missi in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis (Hebr. 1,14): v. 15 « *Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem et quaererem intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri* »; — « non enim viri sunt angeli, sed in specie videntur virorum » (*S. Hier.*); Daniel *quaerit* intelligentiam i. e. orat et petit, ut sibi fiat explicatio; neque frustra; statim coram eo adest angelus Gabriel, cui alter angelus acclamat, ut explicationem det v. 16 « *et audivi vocem viri inter Ulai et clamavit et ait : Gabriel fac intelligere istum visionem* »! — inter Ulai i. e. inter ripas fluvii; proinde e regione inter utramque ripam vox ad aures vatis affertur; angelus ille qui praecipit Gabrieli putabatur, ut *S. Hier.* refert, a Iudaeis Michael; « consequenter autem quia visio de proeliis erat regumque certaminibus, immo regnorum successionibus Gabriel qui praepositus est proeliis huic officio mancipatur; Gabriel enim in linguam nostram vertitur fortitudo vel robustus Dei » (*S. Hier.*). Uti postmodum 9,21 tempus annuntiat messianum, uti tempus illud prope adesse nuntiat Zachariae in templo et faustissimum nuntium Incarnationis perfert ad beatissimam Virginem, ita hoc loco quoque ea explicat quae ad regnum Dei et populum eius, ergo ad praeparationem regni messiani spectant.

Vates autem apparitioni supernae debitum ac consuetum obsequium pro humana infirmitate pendit v. 17 « *et venit et stetit iuxta ubi ego stabam; cumque venisset, pavens corrui in faciem meam et ait ad me : intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio* »; — apparitione superna homo fragilis sacro percellitur terrore; cf. Is. 6,5. Ez. 2,1; 43,3. De appellatione fili hominis vide quae dixi ad Ez. 2,1. Visio dicitur spectare ad tempus finis; nam hebr. *quia ad tempus finis visio* scil. pertinet; unde omni consideratione digna est. Quid sit tempus finis, declaratur v. 19 : ultimum irae tempus, tempus constitutum finis, idque in v. 20-26 exponitur et demum additur ea quae dicta sunt fore *post multos dies* vel esse *in dies multos,* spectare tempora diuturna et remota. Dein in v. 26 visio haec designatur tamquam visio dierum 2300; unde sequitur praeprimis spectari tempus irae i. e.

persecutionis illius ac vexationis. Ex hisce etiam colligi oportet notionem temporis finis. Intelligitur itaque extremum illud oppressionis tempus quod post dies multos futurum sit et quod simul est tempus ultimum regni tertii et post quod incipit tempus regni quarti et consequenter quoque ad 2,44 tempus regni messiani. Nam qualis sit finis vel quid sit ultimum tempus, ubique oportet explicari non in universum, sed ex ratione particulari uniuscuiusque visionis propheticae. Haec ratio autem colligenda est ex summa rerum illarum quae prophetae repraesentantur. Eo enim complexu certum quoddam tempus constituitur, cuius extrema pars recte finis appellatur ratione habita visionis. Quare perperam hic aliqui ingerunt finem rerum omnium, finem regni messiani terrestris. Neque enim visio prophetae oblata in regno versabatur messiano, verum solum in regno secundo atque tertio atque in iis quae ex regno tertio sunt oriunda. Unde sicut istis visio concluditur haec et absolvitur, ita finis non in universum intelligi potest, sed habita ratione rerum visione exhibitarum.

Finis nostro loco de ultimo tempore messiano intelligi eo solum sensu potest quatenus cornu hoc, Antiochus, typus est cornu illius quod e medio decem cornuum post regnum quartum est oriturum; de quo 7,8. 25; quo cornu antichristus designatur. Atque revera cornu hoc cap. 8 ita describitur, ut aliqua cum illo similitudo omnino sit manifesta : oppressio sanctorum Dei et insolentia in ipsum Deum utrique adscribitur; utrumque quoque conabitur tollere cultum Dei; utrique vexationi certum tempus a Domino praefigitur. Qua similitudine via sternitur ad notionem typi concipiendam. Neque tamen similitudo ea est, ut hisce locis unum idemque cornu describatur. Aliud assignatur utroque loco tempus : quartum regnum cap. 7, cap. 8 tertium; alia origo : ibi in medio cornuum decem, hic de uno ex quattuor cornibus; alia facinora : ibi sermones in Deum et conatus mutandi tempora et leges, hic deiectio sanctuarii; alius interitus : ibi iudicium Dei et adventus filii hominis in nubibus coeli, hic sine manu contereturv. 25. Quare ex iis quae similia sunt typum eruere merito possumus, illis quae sunt dissimilia monemur, ne de uno solo sermonem fieri existimemus. Potest itaque visio haec finem spectare temporis messiani, quia in imagine quadam et figura ea quoque adumbrantur quae eo tempore eventura esse iam cap. 7 edocti sumus; accedit quod ad eam considerationem ipsa illa similitudine descriptionis et eodem *cornu* nomine invitamur.

Uti apparitioni angeli v. 17, ita eius quoque locutioni quasi debitum reverentiae munus exsolvit sacro quodam timore perfusus v. 18 « *cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram et teti-*

git me et statuit me in gradu meo, v. 19 *dixitque mihi : ego ostendam tibi quae futura sunt in novissimo maledictionis, quoniam habet tempus finem suum* »; — hebr. *in ultimo tempore irae, quia ad tempus constitutum finis* spectat scil. visio; ira dicitur oppressio et vexatio quae populo Dei inferetur; est enim tempus afflictionis quo Deus eos tradi irae inimici permittet; cf. v. 12. 13. Istud irae tempus statim declaratur esse tempus constitutum finis; unde quo sensu finis accipi debeat dubium esse nequit; vide ad v. 17. Ad v. 18 cf. Ez. 2,2; ab ipso angelo vates erigitur, ut stet in loco suo, postquam angeli locutione quasi sensibus destitutus et sopore oppressus in terram pronus procidit; legitur enim נִרְדַּמְתִּי i. e. gravi quodam somno oppressus iacuit; cf. תַּרְדֵּמָה Gen. 2,21; 15,12. Iob 4,13; 33,15. Ex hoc animi deliquio quo testimonium redditur de humana imbecillitate revocatur tactu angeli; opem scil. coelestem esse necessariam significatur, ut homo rite percipiat revelationem supernam.

Ab angelo confortatus audit rei secretae explanationem v. 20 « *aries quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum;* v. 21 *porro hircus caprarum rex Graecorum est, et cornu grande quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus* »; — hebr. v. 20 *reges* Medorum et Persarum; nota *unum* regnum dici Medorum et Persarum, sicuti ubique uterque populus iungitur; quare erroris convincuntur qui 2,39 regnum Medorum a regno Persarum separari volunt. Hebr. v. 21 hircus *pilosus* (est) rex *Iavan;* intelligi regnum eo quoque patet quia statim *primi* regis mentio fit qui cornu grandi significatur. Unde ii quoque refelluntur qui quartum regnum constitui volunt per successores Alexandri; nam si hoc esset, haberemus ridiculum illud cornu insigni idem enuntiari quod per hircum significatur et *primum* regem illum dici qui sit unicus, dum tamen in hirco qui cornu illud gerit eoque fracto quattuor alia nanciscitur, apertissime declaratur regnum *unum* Alexandri et eo mortuo quattuor aliorum. De quibus v. 22 « *quod autem fracto illo surrexerunt quattuor pro eo, quattuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius* »; — vide ad v. 8 et 7,6. Reges illos non imperasse in fortitudine Alexandri neque viribus illi pares aut potentia cum illo comparandos, historia teste insigniter comprobatum est. In hebr. non dicitur de gente *eius*, sed solum מִגּוֹי de gente, scil. de variis gentibus regna illa surgent, ex variis tribubus coalescent.

Dein ad cornu v. 9 seq. sermonem transfert v. 23 « *et post regnum eorum cum creverint iniquitates consurget rex impudens facie et intelligens propositiones*, v. 24 *et roborabitur fortitudo eius sed non in vi-*

ribus suis et supra quam credi potest universa vastabit et prosperabitur et faciet; et interficiet robustos et populum sanctorum v. 25 *secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu eius et cor suum magnificabit et in copia rerum omnium occidet plurimos et contra principem principum consurget et sine manu conteretur* »; — hebr. v. 23 *et in fine regni eorum,* in ultimo tempore dominationis eorum; quo modo loquendi iterum indicatur ad quem finem tendat visio; cf. v. 17; *cum iniqui consummaverint* scil. scelera, vel apostatae consummaverint apostasiam; verbum enim פשע notionem induit recedendi, rebellandi, deficiendi ab aliquo (cf. hebr. 1 Reg. 12,19. 2 Reg. 1,1; 3,5. 7; 8,20. 22. 2 Chron. 10,19; 21,8. 10) et saepissime adhibetur de perfidia et defectione Israelitarum qua a Deo et eius foedere recesserunt; ita praecipue apud prophetas; vide Is. 1,2. 28; 43,25. 27; 44,22; 46,8; 48,8; 50,1 etc. Ier. 2,8. 29; 3,13; 5,6 etc. Ez. 2,3; 14,10 etc.; at nimium contendunt *Rohl. Keil* vocem solum applicari ad defectionem Israelitarum a Deo; nam legitur sensu generaliori de scelere vel iniquitate usurpata vox v. g. Gen. 31,36; 50,17. Ex. 22,9. 1 Sam. 24,12; 25,8. Am. 1,3 de sceleribus Damasci, 1,6 de sceleribus Gazae, 1,9 de Tyro, 1,13 de Ammonitis, 2,1 de Moab. Quare dictio de se potius est anceps neque certo dici potest, de quorumnam sceleribus angelus loquatur, utrum de Israelitis an de regibus illis. Ad Israelitas apostatas vocem referunt *Lyranus, Mald. Sanct. Lap. Men. Calm. Loch, Rohl. Keil;* ad gentes autem et oppressores populi Dei *Theod.* ut videtur et *Hitz. Z. Meinhold;* id quod ex nexu grammaticali potius commendatur; nam in toto contextu de solis gentibus est sermo; cur igitur subito ad alios transferretur dictio de quibus nullum datur indicium? Adde quod rex ille impius bene omnino censeri potest exsurgere et roborari ex maxima illa iniquitate qua undique circumdatus est. Prior autem de Iudaeorum iniquitate explicatio commendari videtur, si ad oraculi eventum adverteris. Nam ex libris Mach. elucet Iudaeos apostatas pro virili exstitisse suffragatores et impulsores persecutionis ac vexationis piorum; vide 1 Mach. 1,12 seq. 2 Mach. 4,7 seq. 27 seq. 5,1-17 et ipse auctor sacer propter peccata habitantium Ierusalem Deum iratum permisisse illas tribulationes saepius affirmat 2 Mach. 5,17. 20; 6,12 seq. Quid igitur? Verba angeli ita proferuntur ut ante impletionem potius de gentibus sint intelligenda vel si malueris, ut solum in universum dicatur ex abundantia delictorum oriturum esse regem *fortem facie,* saevum et crudelem qui nec Deum nec homines reveretur (*Mald. Mar. Lap.*) et qui ad saevitiam ingenii adiungit sagacitatem et astutiam; est enim *intelligens aenigmata* (hebr.), malo utique sensu, i. e. astutus et fraudulentus et callidus, qui aeque novit

simulare ac dissimulare consilia sua. Bene notat *Theod.* designari τὴν πανουργίαν Antiochi.

Ad magnam potentiam contra pios perveniet v. 24, sed non viribus suis, verum Dei permissu, qui uti *S. Ephr.* dicit propter peccata populi populum suum relinquit vexandum; sim. *Theod. Mald. Sanct. Sa, Mar. Lap. Tir. Rohl. Troch. Hitz. Z.* et Deo dante vel permittente esse supplendum suadetur locutionibus : pedes sanctorum servabit et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir 1 Reg. 2,9 et Ps. 32,16 : non salvatur rex per multam virtutem et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae; fallax equus ad salutem... ecce oculi Domini super metuentes eum. Idem supra v. 12. 13 hebr. indicatur et voce quoque נִפְלָאוֹת *mirabilia*, miris modis *vastabit* (supra quam credi potest, *vulg.*), qua vis quaedam maior et altior connotatur. Alii tamen ex v. 5 malunt explicare omnia ei bene cedere propter dolos atque audaciam (*Keil*); sed dolum et audaciam iure dixeris pertinere ad subsidia humana vel ad vires quibus reges ac belli duces uti solent. Aliter *Calm.*, non suis viribus, sed ope aliorum, prospera rerum conditione, adversariorum imperitia et ignavia eum felicem eventum nactum esse; « Syriae solium ope regum Eumenis et Attali occupavit qui pulso Heliodoro Ptolemaei Philometoris factionem dissipavere; Aegyptum quidem subegit, sed res illi fuit cum puero ab eunuchis enutrito, consilio, experientia et viribus destituto; armis tentatam cepit Ierosolymam, templum diripuit, insectatus est Iudaeos; sed quantae virtutis est urbem capere minime munitam? templum diripere a sacerdote patriae ac religionis proditore traditum? populum sine duce, sine ope, imbellem trucidare » (*Calm.*)? Quae omnia si concesseris, tamen ulterius quaeri oportet, quis tandem prosperas illas conditiones omnes inter se iungi regique offerri permissu suo ac nutu voluerit? Quare prima explicatione intima rei ratio panditur. Ei itaque dabitur, ut *robustos perdat*, reges quoque qui viribus pollere videntur, et populum sanctorum, pios Dei inter Iudaeos cultores; ita explicatur צָבָא v. 10. 13 qua voce alludi videtur ad צְבִי v. 9 nomen ac designationem Palaestinae.

Per aliquod tempus res ei prospere succedent pro ipsius vafritie et fraudulentia v. 25; *dirigetur* dolus i. e. proventum ac successum habebit fraus in manu eius. Inde efferetur in magnam superbiam et multos *perdet* (hebr.) בְּשַׁלְוָה *in securitate*, dum scil. secure et in socordia degunt, incautos opprimet (*Vat.*) et eo sensu : inopinato, derepente (*Rohl. Hitz. Z. Keil*); vide 1 Mach. 1,32; alii : *in pace*, non solum tempore belli, sed pacis quoque; alii : ita ut ipse sit in pace,

ut impune, sine ullo suo detrimento per aliquod tempus plurimos perdat (*Mald.*). Demum contra ipsum Deum, regem regum, stabit; cf. v. 11; verum hoc scelerum culmen assecutus *sine manu conteretur* i. e. non ab homine peribit, sed a Deo confringetur, morbo percussus insanabili, « ut quemadmodum vivens non humanis viribus sed divino permissu populum Dei vexaverat, ita moriens intelligat se non viribus hominum sed divino iudicio puniri » (*Mald. Per. Lap.*); cf. 1 Mach. 6,10-13. 2 Mach. 9,5 : qui universa conspicit Dominus Deus Israel percussit eum insanabili et invisibili plaga. Quae enim a Deo sine externo atque aspectabili hominum ministerio fiunt, sine manu fieri dicuntur (*Sanct.*).

Demum monetur, ut vaticinium hoc diligenter conservet; post longum enim tempus ea erunt quae exposita sunt; unde pro posteris oracula sunt sollicite asservanda v. 26 « *et visio vespere et mane quae dicta est vera est; tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit* »; — *vespere et mane* explica secundum ea quae ad v. 14 dicta sunt; etiam hic lege בקר tamquam positum pro numero 2300; ergo visio de 2300 diebus i. e. de iis quae intra istud tempus evenient et isto tempore concluduntur est *veritas* (hebr.); igitur ne Daniel dubitet de revelatione sibi facta deque rebus ostensis; cum itaque ei gravissimum pro futuro tempore documentum sit traditum, id iubetur *claudere* (hebr.) i. e. uti fit in eiusmodi documentis, diligenter et sollicite asservare, studiose quasi in loco securo reponere ne pereat, et ratio est quia ea quae ibi continentur non tempus mox futurum spectant, verum *ad multos dies* pertinent; eventus qui ibi praedicuntur longo tempore differentur (*Mald.*). Claudere, abscondere vel, ut LXX, *Theodotio*, *S. Hier.* habent *signare*, σφραγίζειν (חתם? pro hebr. סתם; *Syrus* כסא) non dicit visionem nemini esse communicandam; nam ex fine v. 27 patet Danielem eam aliis narrasse neque tamen quemquam eam quid portenderet intellexisse; neque claudere dicit visionem esse obscuram (*S. Hier. Calm.*), sed id ei iniungitur, ut eam multis relinquat (*Theod.*), studiose conservet (φύλαξον, διατήρησον *S. Chrys.*) olim usui et solatio futuram (*Tir. Sanct. Rohl.*).

Daniel autem visione superna summopere percellitur et viribus destituitur v. 27 « *et ego Daniel langui et aegrotavi per dies; cumque surrexissem faciebam opera regis et stupebam ad visionem et non erat qui interpretaretur* »; — uti alias prosternitur, ita nunc exhaustis et consternatis viribus deficit languescens, eoque modo testimonium in se exhibet quam fragilis sit homo; accedit etiam moeror de calamitate populo impendente. Quod igitur, ut *S. Hier.* notat, Abraham confessus est postquam Dominum loquentem audierit se esse terram

et cinerem, id Daniel in illa virium defectione et aegrotatione in se experitur. Viribus redeuntibus surgit et illa obit ministeria quae ipsi in aula regia vel in munere sibi demandato incumbebant. Apud se autem magno stupore et timore volvit quae vidit, ea aliis quoque refert; at nemo vaticinium clare ac distincte explanare potest. « Reges audierat et eorum nomina nesciebat, futura cognoverat et quo tempore futura essent dubius fluctuabat; itaque quod solum facere poterat, stupebat ad visionem et Dei scientiae cuncta relinquebat » (*S. Hier.*). Aliter *Sanct.* neminem novisse causam languoris et stuporis Danielis, uti *Theod.* quoque explicuit.

3. *Oraculum de septuaginta hebdomadis. Cap.* 9.

ARG. — Daniel intelligens annos septuaginta desolationis Ierusalem a Ieremia praedictos vergere ad finem poenitentia et oratione ad Deum confugit (9,1-3); fundit orationem, qua nomine populi totius confitetur multiplices iniquitates ab omnibus esse contra Deum commissas et poenas quas Deus minatus esset merito esse inflictas (9,4-14); dein implorat misericordiam Dei, ut Deus memor beneficiorum olim praestitorum, memor suae ipsius gloriae, memor populi sibi sacri etiamnum miserationem largiatur et gratiam (9,15-19). Tum ei adstat Gabriel, qui eum edocet de liberatione messiana cui praestitutae sunt septuaginta hebdomades annorum (9,20-24); ab exitu enim sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem usque ad Messiam principem fore hebdomades undeseptuaginta; post eas Messiam iri occisum; hac autem caede effectum iri ut civitas et templum desolatione vastentur (9,25-26). Hebdomada autem septuagesima multis salus confirmatur; media hebdomada sacrificia evacuabuntur, quorum abrogatio quoque in desolatione templi perenni et vastatione demonstrabitur (9,27).

Oraculum hoc nexu consentaneo ad antecedentia adiungitur. Nam in cap. 7 visio de quattuor regnis, quae iam adumbrata erat in cap. 2, magis determinatur et novis rebus additis completur; in cap. 8 autem ea quae dicta sunt de regno secundo et tertio explicantur magis et complentur. Quare merito exspectamus fore ut in cap. 9 aliquid addatur de tempore regni quarti. Atque ita fit. Sed dum in cap. 7 a regno quarto statim transitur ad regni messiani tempus extremum eiusque gloriam perennem quae futura est cum venerit Messias cum nubibus coeli, in nostro capite postquam bona messiana generatim descripta sunt (v. 24), initium adumbratur eius regni et tempus determinatur quando Messias opus suum est aggressurus et sua morte perfecturus. Quemadmodum igitur 2,44 regnum messianum depingitur

in universum ita ut a parvis initiis ad summum pertingat imperium atque perpetuum, ita in cap. 7 et 9 haec duo modo prophetico illustrantur : imperium eius et gloria in cap. 7, initium eius et causa dominationis et gloriae in cap. 9. Haec ita esse et vere et commode ex verbis oraculi erui posse et debere, subsequenti explicatione probandum erit, in qua et Danielis sententiae et praecedentium oraculorum effata ab aliis prophetis iam edita sollerter perpendenda erunt.

a) **Oratio pro peccatis 9,1-14.**

Anno quarto Ioakim regis (607-606 a. Ch.) Ieremias prophetavit fore ut omnes gentes servirent regi Babylonis septuaginta annis; eundemque annum designat tamquam annum primum Nabuchodonosor regis (25,1. 11). Eodem tempore post pugnam ad Charcamis factam rex Babylonis obsedit Ierusalem, urbem cepit et partem vasorum templi et nobiles Iudaeos abduxit Babylonem (Dan. 1,2). Deum autem visitaturum esse super regem Babylonis iniquitatem, cum completi fuissent septuaginta anni, Ieremias pariter anno quarto Ioakim vaticinatus est (25,12) et postea cum istis septuaginta annis coniunxit promissionem fore ut exsules in patriam reducerentur : cum coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, *visitabo vos* et suscitabo super vos verbum meum bonum, *ut reducam vos* ad locum istum (29,10). Ex hisce omnibus concludendum erat annos illos initium ducere ab eo anno quo vaticinium de imperio Babylonis est editum, ita ut post annos 70 a quarto anno Ioakim futurum esset, ut concideret regnum babylonicum; atque cum eius ruina altero vaticinio nectitur promissio liberationis; quare ex istis duobus Daniel Babylone a Cyro expugnata anno 539 vel 538 intellexit prope adesse tempus liberationis. Ex tali autem ratione inita se id deprehendisse ipse nobis narrat v. 1. « *In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum qui imperavit super regnum Chaldaeorum* v. 2 *anno uno regni eius ego Daniel intellexi in libris numerum annorum de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, ut complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni* »; — de Dario vide quae dicta sunt supra ad 5,31 p. 170; uti ibi dicitur in textu *accepit regnum,* ita h. l. הָמְלַךְ *rex constitutus est* super regnum Chaldaeorum; in utroque igitur loco tamquam is describitur qui ab alio ea dignitate sit ornatus et eo titulo donatus, id quod ad Cyaxaren, filium Astyagis, de quo Xenophon narrat, haud male referri potest. Genus eius non ad patrem Astyagen, sed ad avum Cyaxaren I regem potentem et celebrem referri ex nomine Achasveros sequi videtur; neque obstat quod *filius* eius dicatur, cum sit ne-

pos; nam in genealogiis id haud raro reperitur; vide quae de Baltassar *filio* Nabuchodonosor supra p. 158 adnotavi.

Insigni exemplo comprobatur Danielem legisse vaticinia priorum prophetarum; oracula Ieremiae iam fuisse collecta et cum aliis libris sacris coniuncta sequitur ex modo loquendi בַּסְּפָרִים ἐν ταῖς βίβλοις (LXX, Theodotio); sed qui et quot libri fuerint non determinatur. Cum Daniel mentionem faciat desolationis urbis, certum est eum ob oculos habuisse Ier. 25,9, ubi de vastatione terrae sermo fit; pro ipsa regione Daniel ponit Ierusalem caput regionis. Sed quia commemorat annum primum quo regno Chaldaeorum alienigena princeps dominatur et eo tempore exspectat vi oraculi liberationem, etiam assumendum erit eum ad 29,10 respexisse indeque spem suam hausisse. Alio modo annus septuagesimus computatur Zach. 1,12; vide quae ad eum locum notavi. Quod in *vulg.* dicitur v. 2 anno *uno* explica ex noto hebraismo de anno *primo*, prout in v. 1 *S. Hier.* eandem vocem hebr. אַחַת vertit.

Ea temporis conditione Daniel ad orationem et opera poenitentiae confugit v. 3 « *et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in ieiuniis, sacco et cinere* »; — quam serio et constanter orationi incubuerit et quam determinato consilio, declaratur dictione *ponere faciem;* hebr. *ad quaerendam orationem et deprecationem* in ieiunio etc.; additis poenitentiae et humilitatis indiciis et orationis fervorem augere et Dominum ad misericordiam inflectere studet. Habitu lugentis et moerentis qui sua sponte se affligit coram Domino se sistit, ut is facere solet qui aliquid a Deo impetrare magno conatu exoptat; cf. 2 Reg. 12,16. Quo exemplo docemur Deum pro iis quoque exorandum esse quae se daturum promisit. Novit Daniel promissionem Dei; quae res, ut *S. Hier.* loquitur, non facit eum negligentem, sed magis provocat ad rogandum; « in cinere igitur et sacco postulat impleri quod promiserat Deus, non quod esset incredulus futurorum, sed ne securitas negligentiam et negligentia pareret offensam ». Timuit itaque ne forte propter populi peccata bonum Dei verbum differretur; noverat praeterea oracula quandoque conditionibus adstringi, ita ut eorum expletio ex eo pendeat si in fide stabiles manserint illi quibus oraculum favet (*Calm.*); id quod *Theod.* quoque monet : « etsi millies bona polliceatur Deus et nosmetipsos tali munere praebeamus indignos, divinae munificentiae impedimento sumus; hoc vero etiam per Ezechielem ait Deus (33,13; Ier. 18,9-10); haec edoctus beatus Daniel ieiunio et sacco et cinere quasi alis instructas preces Deo offerebat ». Ne igitur ex peccatis populi impedimenta obiiciantur promissis Dei, merito a Deo flagitat; dein certum quoque

est multum dependere ab hominum cooperatione, studio, pietate, qua amplitudine et copia bona a Deo promissa hominibus obveniant. Quare ratio exsistebat multiplex cur propheta subsidium orationis et poenitentiae adhiberet. Nesciebant enim sancti, ut *Sanct.* monet, an absoluta esset vel conditionata promissio atque ideo impediri retardarive posset hominum peccatis; similiter *Per.*

In ipsa oratione Daniel ea in multis utitur precandi forma quae ex tempore Baruch prophetae erat pervulgata (vide ad Bar. 2,15 seq.), sicut in aliis modos precandi psalmorum imitatur vel sententias ex pentateucho et Ieremia orationi suae inserit. Idque ex rei natura enascitur. Neque enim nova et eousque inaudita proferre vult, verum pro rerum conditione peccata humiliter confitetur, Dei misericordiam implorat, ad Dei fidem populo exhibitam totus provocat; proin ea in medium affert quibus alii quoque libri sacri pleni sunt. Unde ea afferri eodem fere modo e re ipsa oritur. Statim Dei maiestatem et fidelitatem implorat; pro illa scil. potest et pro hac censeri debet velle misericordiam concedere; v. 4 « *et oravi Dominum Deum meum et confessus sum et dixi : obsecro Domine Deus magne et terribilis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus te et custodientibus mandata tua* »! — Dei compellatione orditur ea quae legitur Deut. 7,21. 9 et Ex. 20,6; 34,7 et simili modo precatus est Salomon 3 Reg. 8,23. Deum quoque ipsi exsules experti sunt magnum et terribilem; quare cognoscere et agnoscere debent se peccasse; culparum vero conscii confortantur et ad spem eriguntur Dei fidelitate et misericordia. Haec autem imploranda est humillima confessione peccatorum; v. 5 « *peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus et recessimus et declinavimus a mandatis tuis ac iudiciis;* v. 6 *non obedivimus servis tuis prophetis qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris omnique populo terrae* »; — cf. Lament. 3,42. Bar. 1,17. 3 Reg. 8, 47. Ps. 105,6; verba hebr. ita poteris explicare : חטא aberrare a recto, עוה agere perverse, הרשיע se exhibere scelestum et facinorosum, מרד rebellem esse; demum deficere סור a norma iusti et veri in Dei praeceptis et statutis praescripta. Ad augendam culpam accedit quod omnes ordines continuo per prophetas a Deo missos admonebantur et docebantur, quibus aures surdas et animos exhibebant obduratos. Confitetur itaque accusationem a Ieremia prolatam esse veram; cf. Ier. 7,25; 25,4 etc.; ostendit igitur curam qua Deus perpetuo eos dignabatur et ingentem populi torporem (ἀναλγησίαν *Theod.*).

Quare in afflictione populi commendatur iustitia Dei et sanctitas; ipse autem populus pudore suffusus non potest non accusare suum ingrati animi crimen; ideo iure pergit (*Theod.*) v. 7 « *tibi, Domine,*

iustitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda et habitatoribus Ierusalem et omni Israel, his qui prope sunt et his qui procul in universis terris ad quas eiecisti eos propter iniquitates eorum in quibus peccaverunt in te; v. 8 *Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris et patribus nostris qui peccaverunt* »; — hebr. *quia in te peccavimus;* culpam scil. confitetur *nationalem*, sed cuius ipsi quoque consortes sunt. Ceterum vide ad Bar. 1,15. 16; 2,6. Lament. 1,18; simili modo postmodum precati sunt Esdras 9,6 et Nehemias 9,33, et iam monuerat Moyses esse precandum Lev. 26,40. Verum in ista peccatorum multitudine non esse desperandum vates docet misericordiam ac benignitatem Dei in medium proferens, quae eo magis imploranda est quod pluribus culpis obruimur. Ad rem notat *Theod.* : « decet enim te mitem et clementem misericordia et miseratione erga nos commoveri; et commorans in accusandis peccatis (audivit quippe Deum per alium prophetam dicentem : dic tu iniquitates tuas primum ut iustificeris Is. 43,26 LXX) ea accusat divinam praedicans misericordiam »; v. 9 « *tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio, quia recessimus a te*, v. 10 *et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege eius quam posuit nobis per servos suos prophetas*, v. 11 *et omnis Israel praevaricati sunt legem tuam et declinaverunt, ne audirent vocem tuam, et stillavit super nos maledictio et detestatio quae scripta est in libro Moysi servi Dei quia peccavimus ei* »; — recedere hebr. *rebellare;* pariter *in legibus eius;* effusa est super nos maledictio et *iuramentum;* cf. Bar. 1,20. Maledictio הָאָלָה Deut. 29,18 refertur ad minas 28,15 seq. propositas; quandoque comminatio Dei iuramento confirmatur; cf. Num. 32,10. Deut. 1,34; additur quoque ad vim maledictionis augendam Num. 5,21; apposite *Theod.* maledictionem refert ad eam quae a sex tribubus facta est in monte Gebal et iusiurandum ad Deut. 32,40-42; vide quoque Lev. 26,16. Deut. 27,14 (*Mald. Mar. Lap. Tir. Calm.*). Ad dictionem תִּתַּךְ cf. Ier. 42,18; 44,6. Nah. 1,6. 2 Chron. 12, 7; 34,21. 25.

Etiam quae Deus minatus erat per prophetas opere implevit v. 12 « *et statuit sermones suos quos locutus est super nos et super principes nostros qui iudicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum quale nunquam fuit sub omni coelo, secundum quod factum est in Ierusalem* »; — vide Bar. 2,1. 2. Lament. 2,17. Ez. 5,9; v. 13 « *sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos et non rogavimus faciem tuam Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris et cogitaremus veritatem tuam* »; — culpa augetur quia ne poenis quidem eruditi sunt neque ad meliorem frugem

redierunt; « grandis duritia, ut in plagis positi Deum non rogarent; quod etsi rogarunt, ideo non rogarunt quia non sunt reversi ab iniquitatibus suis » (*S. Hier.*). Hebr. *ut saperemus in tua veritate,* ut resipisceremus et tua veritate edocti veram nancisceremur sapientiam quae est in timore Dei et observatione mandatorum eius. Idem Bar. 2,8 et vide Ier. 2,30 : frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt; cf. 3,8; 5,3 etc. Quare v. 14 « *et vigilavit Dominus super malitiam et adduxit eam super nos; iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis quae fecit; non enim audivimus vocem eius* »; — idem Bar. 2,9; Deum vigilare super verbo suo ut faciat illud, saepius Ieremias monuit (1,12; 31,28; 44,27); « quasi enim excusso quodam suae diutinae lenitatis somno poenas iis quae egimus dignas nobis inflixit » (*Theod.*). Precatur vates eum in modum quem docuit Michaeas 7,9, Ieremias 3,25 : poenas iure infligi a Deo iusto, unde eas luendas esse cum omni animorum demissione et cum confessione et detestatione peccatorum. Uti Baruch, ita Daniel quoque docet quae sit oratio animi contriti.

b) Implorat Dei misericordiam 9,15-19.

Eodem modo quo Bar. 2,11 seq. a confessione culparum transit ad Dei miserationem implorandam et eius gratiae et benevolentiae spem firmam concipit; « pristina commemorat beneficia ut grati animi significatione dum ea se memoria tenere ostendit, misericordiam sibi conciliet, et ait : facile est tibi, Domine, libertatem nobis dare; infinitis enim iam editis miraculis et poenis Aegyptiis illatis ab amara illa servitute in libertatem populum tuum vindicasti » (*Theod.*). Sunt enim illa magnalia simul certissima documenta et pignora quibus Deus probavit se velle salutem populi sui; v. 15 « *Et nunc, Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu forti et fecisti tibi nomen secundum diem hanc; peccavimus, iniquitatem fecimus,* v. 16 *Domine in omnem iustitiam tuam; avertatur, obsecro, ira tua et furor tuus a civitate tua Ierusalem et monte sancto tuo; propter peccata enim nostra et iniquitates patrum nostrorum Ierusalem et populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum* »! — vide ad Bar. 2,11-13; hebr. *secundum omnes iustitias tuas* avertatur ira tua; scil. secundum documenta quibus saepe demonstrasti te velle statuta iustitiae et sanctitatis tuae in populo tuo valere, etiamnum averte iram et populum tibi consecratum restitue; ita quoque LXX κατὰ τὴν δικαιοσύνην σου et *Syrus,* dum Theodotio praebet ἐν πάσῃ ἐλεημοσύνῃ σου (ita in A, B; cf. *Nestle*, Veteris test. graeci codices vat.

et sin. collati). Vates Deo proponit rationem gravissimam agi scil. Dei honorem et gloriam; opprobrium populi Dei Deo verti ignominiae; civitatem Dei et montem Dei, templi montem, non posse subiacere furori Dei diuturno.

Quare omni fiducia Deo potest supplicare, etsi populus indignus est qui talia obtineat (*Theod.*); v. **17** « *nunc ergo exaudi Deus noster orationem servi tui et preces eius et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum quod desertum est, propter temetipsum* v. **18** *inclina Deus meus aurem tuam et audi, aperi oculos tuos et vide desolationem nostram et civitatem supra quam invocatum est nomen tuum; neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis* »; — cf. Bar. 2,14-19; hebr. *lucere fac faciem tuam* (*Vat.*) vel illumina, illustra faciem tuam i. e. benigno vultu respice templum (*Mald. Mar. Lap. Tir.*); est enim *lumen vultus* Dei benevolentia, gratia, clementia, favor Dei. Id ut faciat *propter Dominatorem* (hebr.) precatur, vid. quia tu es Dominator a cuius honore et potentia alienum est, ut templum eius iaceat prostratum. Daniel igitur precatur, sicut edoctus est per Isaiam 48,11. Quanto cum desiderio apud Deum instet, ex v. 18 colligitur et ex verborum cumulo quibus Deo supplicat ut ad preces animum advertat, ut videat *desolationes nostras* et civitatem quae Dei civitas appellatur et in qua sui nominis maiestatem et gloriam manifestavit et quasi in sede propria collocavit. Precandi fervorem et animum humilem declarat, cum dicat *prosternere preces* i. e. orare corpore coram Deo prostrato supplicum more; cf. Ier. 36,7; 38,26; 42,9. « Neque nostris iustitiis freti tuam imploramus benignitatem, sed tua misericordia confisi audemus tibi supplicare » (*Theod.*).

Atque ne Deus promissa dum tempus iamiam completum sit differat enixe rogat v. **19** « *exaudi Domine, placare Domine! attende et fac! ne moreris propter temetipsum Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem et super populum tuum* »; — « copia orantis erumpens affectu » (*Mald.*); « admirari autem operae pretium est eorum quae dicta sunt ordinem; supplicat enim Deo primum ut *audiat* deprecationem et ne preces aversetur, deinde ut cum audierit *propitius fiat* et propitius factus benigne *attendat*, tum ostensa sua benevolentia id perficiat quod obsecratione petitur; his addit *ne moreris;* hoc est, ne quod precamur in aliud tempus differas, sed mox dignos nos censeas quibus te ipsum ostendas. Et finis deprecationis dignus est Danielis humilitate : *propter te*, inquit, *mi Deus;* neque enim ego, inquit, dignus sum qui hanc a te gratiam exorem, sed quia nomen tuum vocatum est... »; ita aliquanto prolixius, sed praeclare evolvit *Theod.*

vim verborum et nexum. Ceterum vide Ps. 16,1; 37,23; 39,18; 54,3; 60,2; 69,6. Ier. 14,9 etc.

c) Edocetur de tempore bonorum messianorum 9,20-24.

« Cum ita petiisset ac tanto studio pro cognatis suis supplicasset et precatus esset ne Deus moraretur, statim divinum accipit responsum » (*Theod.*); impletur in eo illud : adhuc illis loquentibus, ego audiam (Is. 65,24); v. 20 « *Cumque adhuc loquerer et orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei Israel et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei*, v. 21 *adhuc me loquente in oratione ecce vir Gabriel quem videram in visione a principio cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini* » ; — explica : quem videram in visione *antea, prius*, vid. 8,15 seq.; de dictione בַּתְּחִלָּה vide ad 8,1. Gabriel angelus nuntius et interpres mittitur qui postea eodem munere fungitur in opere Incarnationis, quia haec praeambula erant et quasi praenuntia illius mysterii (*Salmeron, Tir. Lap.*); *vir* dicitur, ut viri specie eum apparuisse significetur. Tempore sacrificii vespertini igitur Daniel preces fudit memor templi et horae qua olim sacrificium quotidianum offerri solebat; ex eo quod longo tempore post eversum templum (586-539) adhuc eo utitur nomine et ea hora orat facile liquet, quanti sacrum illum cultum aestimaverit; eos pandit sensus quos expressos legimus Ps. 136,5.6. Sacrificium vespertinum offerendum erat inter duas vesperas Num. 28,4 hebr. i. e. ante solis occasum; Iosephus (Ant. 14,4. 3) περὶ ἐννάτην ὥραν dicit; 3 Reg. 3,20 mane quando sacrificium offerri solet auxilium praestitum est divinitus regi Iosaphat. Dicitur מִנְחָה, proprie *fertum;* cum holocausto enim iungebatur fertum ex simila et oleo cum vino ad libandum (Ex. 29,38-42. Num. 28,3-8); unde ex parte appellatur totum. Apposite monet *Salmeron* tangi vatem tempore sacrificii vespertini, quo tempore ferventius oraret et virtute sacrificii vespertini a Christo in cruce offerendi exaudiri promereret.

Verba מֻעָף בִּיעָף veteres interpretes explicarunt a עוּף; Theodotio πετόμενος, LXX τάχει φερόμενος, *Syrus* volavit volando et *S. Hier.* cito volans; de celeri *volatu* recentiores raro explicant; eam tamen acceptionem ***Heb. Z.*** defendunt eaque non solum veterum interpretum expositione commendatur, sed etiam eo quod saepius in s. litteris angeli exhibenter volantes; cf. Iud. 13,20. Is. 6,2. Ez. 1,8; 3,13; 11,22. Alii autem plerique ab hac acceptione recedunt et varia proponunt : festinare factus est cum festinatione (***Ros. Haevernick, Hitz.***); defatigatus cursu fatigante, vid. a verbo יָעֵף (***Sanct. Gesenius,*** Thes. p. 600); eandem notionem defatigationis propu-

gnant *Rohl. Keil, Meinhold;* sed verba referunt ad Danielem : quem antea videram in visione *lassus defatigatione* vel animi deliquium passus; videl. ut verba referantur ad 8,17. 18. 27; a qua interpretatione se non alienum esse *Palmieri* profitetur. Aliter *Fürst* monens de תּוֹעָפֹת Iob 22,25 explicat vocem יעף splendere : splendore splendens, angelum igitur splendore magno circumfusum ad vatem accessisse. Quae acceptio si probari possit apta angeloque digna est. Ceterum in re obscura consultius erit veterum vestigiis insistere.

Gabriel angelus non *tetigit me*, sed *accessit ad me* vertunt LXX et *Syrus;* atque eodem sensu hebr. נֹגֵעַ capi potest, uti *S. Hier.* vertit Ion. 3,6 : *pervenit* verbum ad regem Ninive; idque eo magis quia hic quoque uti Ion. 3,6 cum אֶל iungitur; v. 22 « *et docuit me et locutus est mihi dixitque : Daniel nunc egressus sum ut docerem te et intelligeres;* v. 23 *ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni ut indicarem tibi quia vir desideriorum es; tu ergo animadverte sermonem et intellige visionem* »! — hebr. *ut docerem te intelligentiam;* in exordio tuae deprecationis egressum est verbum, i. e. decretum a Deo, quod ut nuntiaret Gabriel venit. Bene sensum exprimunt LXX πρόσταγμα παρὰ κυρίου; « ut rogare coepisti, statim impetrasti misericordiam Dei et egressa est sententia et ego idcirco missus sum ut exponerem tibi quae ignoras » (*S. Hier.* sim. *Theod.*). Cur statim simul atque deprecari coepit Deus eum exaudierit et sententiam decreverit, ratio est quia Daniel Deo est carissimus, vir *desideratissimus;* Deo valde gratus et dilectus; ita hebr. rite explicant *Vat. Mald. Sa, Lap. Tir. Calm.* et recentiores; et eo modo iam ἄνδρα ἐπιθυμιῶν interpretatus est *Theod.* ὅτι ἐράσμιός ἐστι καὶ λίαν ἐπέραστος et *S. Hier.* quoque inter alia explicat : amabilis, Dei amore dignus. Hebr. ad verbum : *quia deliciae tu;* sed 10,11 *vir deliciarum* qui scil. summopere diligitur. *Syrus* praebet רגיג suavis, dulcis, iucundus, amabilis (cf. *Bernstein*, Lexicon chrest. Kirsch. p. 466); cur autem Deo ita sit acceptus, rationem affert *S. Ephr.* : quia pro peccatoribus preces fudit. Dein admonetur, ut diligenter attendat ad Dei sententiam decretam[1] et ad visionem הַמַּרְאֶה, ad apparitionem angeli et ad ea quae angelus apparens eum docet (*Sa, Rohl.*).

Iam angelus eum docet septuaginta hebdomades annorum a Deo esse statutas, ut bona messiana populo obvenirent. A quo termino nu-

---

1. Quo loco *S. Hier.* monet : « si Danieli dicitur : diligenter attende ut audias et intelligas quod vides, quid nos facere oportet quorum oculi ignorantiae tenebris et caligine vitiorum obcaecati sunt »?

merus iste annorum 490 sit computandus, explicat in v. 25; in v. 24 ipsa illa bona messiana enumerat sex : tria quibus peccata removenda et expianda esse declarat, tria alia quibus edicit adductum iri iustitiam, prophetias impletione a Deo obsignari et confirmari, ungi sanctum sanctorum; proin novum regnum Dei sanctitate insigne condi et sacrari; v. 24 « *septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna et impleatur visio et prophetia et ungatur Sanctus sanctorum* » ; — numerum *septuaginta* non esse positum modo indeterminato statim ex eo elucet quod in ipso vaticinio dividitur in 7 + 62 + 1 hebdomadas, quae una hebdomada iterum clarius definitur, cum de eius dimidio quoque mentio fiat. Quare numerum esse totum ad rationem symbolicam referendum excluditur; certa igitur ac definita notio est retinenda. Hebdomadas intelligi non dierum, sed annorum, sententia est longe communissima apud veteres et recentiores eaque unice vera. Quae ex ipsa quoque oratione contexta colligitur. De *annis* enim septuaginta Daniel meditatus erat; illos annos mente volvens orationem fuderat et propter illos annos liberationem et instaurationem rerum israeliticarum efflagitaverat. Iam ei angelus nuntiat *hebdomadarum* septuaginta tempus esse praefinitum, ut maxima illa et optatissima liberatio concedatur messiana; vocem enim hebdomadum in textu mas. primo legimus loco, ut Danieli de annis cogitanti 70 hebdomades totidem statim suggerantur, hebdomades utique annorum. Id quod eo magis sequi debet quia quae dicuntur intra septimanas dierum confici haud posse manifestum est; quomodo enim v. g. intra 49 dies aedificaretur urbs? Qui loquendi modus de hebdomadis annorum i. e. de tempore septem annorum Iudaeis non adeo alienus videri poterat, quia ex lege septimus quisque annus esse debuit annus sabbaticus; unde sicut numerus septenarius iam erat notus et celeber in computatione dierum, in mense septimo, ita quoque in anno septimo; iste annus vocabatur quoque שַׁבָּת Lev. 25,2. 4; 26,34. 43 et Lev. 25,8 legimus : numerabis quoque tibi septem hebdomades annorum שָׁנִים שֶׁבַע שַׁבְּתֹת id est septies septem annos et erunt tibi septem hebdomades annorum quadraginta novem anni (hebr.). Quare tempus septem annorum tamquam temporis pars in se conclusa omnibus notum erat. Si igitur ea in rerum conditione Danieli de annis cogitanti hebdomades ab angelo suggeruntur, annorum intelligi hebdomadas satis est manifestum. Addi potest quod aliquibus placet, 10,3 Danielem scribere שְׁלֹשָׁה שָׁבֻעִים יָמִים; adiungi *dies* quo indicetur antea non de hebdomadis dierum sermonem fuisse.

Huic acceptioni iam testimonium exhibetur libro quarto Esdrae, in quo saepius imitatio quaedam Danielis exprimitur. Ita legitur, non quidem in textu illo quem editiones *vulg.* ferunt, sed in syriaca eius libri interpretatione dictio haec : hebdomas annorum. Sermo est de die iudicii : ille enim dies iudicii sic est : non sol est in eo neque luna neque stellae... longitudo autem erit ei sicut hebdomada annorum (cf. ***Fritzsche,*** Libri apocryphi. Lipsiae 1871, p. 607). Ex veteribus fere omnes qui de istis hebdomadis loquuntur, hebdomadas annorum intelligunt; ita Clemens alexandrinus, Tertullianus, Hippolytus, Africanus, Eusebius, Cyrillus hierosolymitanus etc. et ipsi Hebraei apud *S.* ***Hier.***; excipiendus est Origenes qui unam hebdomadam annis constare vult septuaginta; Eusebius in Eclogis prophetarum ultimam hebdomadam ad annos septuaginta extendit; Bruno astensis singularem profert sententiam in eo quod septem hebdomadas diebus, reliquas autem annis definit (cf. ***Fraidl*** p. 50. 66. 114). Scriptor quidam anonymus saeculi duodecimi refert sapientissimum quendam Iudaeorum ita numerasse ut unumquemque diem hebdomadis pro septem annis computarit et ideo unam hebdomadam Danielis annis constare quadraginta novem asseruerit; « continebunt 70 hebdomades annos tria millia quadringentos triginta nec arctari poterimus intellectu vel numero quem computant Christiani, cum adhuc supersint anni mille et eo amplius antequam 70 hebdomades impleantur »; respondet ille nequaquam ex Scriptura probari diem pro septem annis computari, cum Deus dixerit Ezechieli : diem pro anno dedi tibi (Ez. 4,6. *M.* 213,786).

Quia igitur Christiani hoc vaticinio utebantur ad demonstrandum Messiam iam venisse, Iudaei aliqui aliam interpretationem confinxerunt, cuius rei testis est etiam Raymundus Martinus in celebri opere, cui titulus est pugio fidei : « per septenam in hoc loco spatium debet intelligi 7 annorum, non septem iubilaeorum vel centenariorum, ut aliqui Iudaei mentiuntur; nullus tamen usque nunc sive in talmud sive alibi hoc scripsit quantumque perversus » (cf. ***Fraidl*** p. 135). Atque eodem modo loquitur ***Galatinus :*** « hic omnes tam Christiani quam Hebraei expositores in modo accipiendi hebdomades conveniunt; accipiunt enim illi hebdomadam hic pro 7 annorum spatio, quemadmodum et nos. Quamvis quidam ex nostri saeculi Iudaeis, si quando eos his Danielis sermonibus ad veritatem confitendam concuti atque coarctari contingat, hebdomadam hoc loco non septem annorum, sed septem iubilaeorum vel centenariorum seu decadum spatium intelligi debere asserunt. Quod nemo eorum quantumque perversus sive in talmud sive alibi scripsisse compertus est » (de arcanis catholicae veritatis, Basileae 1550, lib. 4 cap. 14 p. 230). Atque rabbinos revera hebdomadam annorum esse interpretatos et 70 hebdomadas explicasse de 490 annis, ex iis liquido constat quae *Fraidl* p. 123-134 in medium profert ex Seder olam et ex interpretibus Saadia Gaon, Salomo Iarchi, Ibn-Esra, Abarbanel.

Aliam computandi rationem excogitavit *Berthelet* (in hebd. Dan. meditationes novae; habentur in tomo secundo Dissertationum *Calm.* Wirceburgi

1789 p. 484 seq.); hebdomadem scil. constare vult annis decem et eo modo hebdomadas determinari 7 et 62, unam autem constare annis 70. Computationem vero ita instituit ut 62 hebdomades i. e. 620 anni fluant a priori anno Darii Medi usque ad annum quo Vespasianus suam in Iudaeos expeditionem suscepit. Septem autem hebdomadas i. e. 70 annos numerat a quarto anno Ioakim usque ad primum annum Cyri; eos iterum alia ratione computat ab anno undecimo Sedeciae usque ad annum quintum Darii Hystaspi; tertio eos numerat ab hoc anno usque dum Nehemias urbem moenibus cinxit. Unam demum hebdomadam quam ad annos 70 extendit ponit intra annorum 620 periodum eamque a Christo nato usque ad urbem a Romanis eversam conficit.

Pauci ex recentioribus protestantibus hanc explicationem de annorum hebdomadibus reiiciunt statuentes vel in universum solum agi de 70 temporum spatiis quae nequeant definiri vel hebdomadam intelligi de spatio unius iubilaei (*Kliefoth*, *Leyrer*, *Keil*) vel septem hebdomadas ponentes post 62 + 1 easque septem interpretantes de temporis spatio definito (cf. *Hofmann*, *Wieseler*, *Franc. Delitzsch* in Realencyklopädie für prot. Theol. 2 ed. III p. 477). Quae ad arbitrium esse excogitata neminem fugit. Annos iubilaei non posse intelligi iam eo patet quia quinquagesimus quisque annus erat iubilaeus; iam vero anni 50 non possunt designari numero septenario; proinde non spatia annorum 50 essent statuenda, sed potius quod aliis placuit numerus quadratus i. e. 49 anni; verum talis annorum 49 computatio Iudaeis erat pariter incognita neque ullo pacto ex verbis angeli colligi potest septimanam esse concipiendam de 49 annis. — Primum fere vestigium quo quis existimare possit 70 hebdomadas modo indeterminato esse conceptas, cerni potest in pseudepigrapho libro Henoch, in quo septuaginta pastoribus tempora assignantur septuaginta et totum mundi tempus ab Adam usque ad ultimum iudicium decem hebdomadis comprehenditur atque describitur (cf. *Fraidl* p. 11-15).

Hebr. proprie : hebdomades 70 *abscissae sunt*, ita ut ex temporum spatio haec quasi pars vel portio dicatur abscissa, quare communiter explicant : definitae, statutae, fixae sunt. Theodotio vertit συνετμήθησαν, et explicat vocem *Theod.* ἐδοκιμάσθησαν καὶ ἐκρίθησαν et ultima voce utuntur LXX. Eodem modo explica *abbreviatae sunt*, quasi exiguum aliquod tempus dicatur quod ex longo spatio reliquum sit (*Per. Sanct.* sim. *Lap. Tir.*); proinde non est explicandum, ut aliqui voluerunt, quasi hic dicatur ad preces Danielis aliorumque prophetarum Deum citius quam antea decretum fuerat Messiam misisse, quam explicationem hic improbant *Sanct. Lap. Tir.*, quamvis *Suarez* censeat Danielem suis precibus obtinuisse, ut tempus redemptionis non ultra 70 hebdomadas differretur (in III partem S. Thomae qu. 2; disp. 10 sect. 6). Neque *abbreviatae sunt* ideo dicitur quod non anni solares,

sed lunares intelligantur, sicut voluerunt *Beda*[1] venerabilis et *Alb.* et *Dionysius* carthusianus; ceterum annos lunares etiam statuerunt *Africanus, Theod. Per. Gord.* — Dicitur *super populum tuum et urbem sanctam tuam,* quia Daniel tanto cum studio pro populo et urbe preces fuderat; Deus igitur ipsi populum et urbem maxime cordi esse declarat; vocatur itaque populus Danielis, ut *Per. Sanct.* notant, ut ostendatur singularis Dei in Danielem benevolentia, cum in eius quasi gratiam tam esse velit in populum munificus; sim. *Calm.* ait angelum dicere populum qui sit curae Danieli eique gratus (*Rohl. Troch.*); urbs quamvis ruinis prostrata sit appellatur sancta, quia ibi Deus templum suum sedemque posuit, quia urbem tamquam centrum theocratiae restituet, quia ei vaticinia adeo praeclara annexa sunt et quia haec urbs instaurata figura est regni messiani (cf. Is. 54,1 seq. 60, 1 seq.). Haud bene alii in vocibus *tuum, tuam* reprehensionem populi exprimi opinantur; ita *S. Hier.* : « nequaquam populus Dei est, sed populus tuus; simile quid in Exodo legimus, quando Deus loquitur ad Moysen : descende, peccavit enim populus tuus (Ex. 32,7), hoc est non populus meus qui me deseruit » et sim. *Euseb. Chrys. Theod. Salmeron;* verum haec sententia merito a *Sanct.* reiicitur iam ex eo quia statim subditur quot et quanta bona largiturus sit populo et urbi; praeterea cum exsilium ad finem vergeret, Deus sibi satisfactum satisque poenarum a populo exsolutum esse significat et populum suum omni amore reducere in patriam paratus est (cf. Is. 40, 1-11. Mich. 2,11. 12. Ier. 3,14; 31,20 seq.).

Iam exponitur ad quid tempus illud constitutum sit i. e. quid ex divino consilio fieri debeat spatio illo determinato temporis, hebdomada septuagesima; priore loco tria enumerantur quae ad peccata referuntur. Apte quidem et ad orationem Danielis accommodate; *ut consummetur praevaricatio* i. e. ut apostasia הַפֶּשַׁע aboleatur et penitus auferatur; *et finem accipiat peccatum* vel hebr. peccata coerceantur, impediantur; proin non solum defectio a Deo foederis iam non erit, sed etiam ea quibus Dei praecepta sancta negliguntur et maiestati divinae infertur iniuria coercebuntur ne serpant, et efficaciter impediri poterunt; demum *et deleatur iniquitas,* hebr. *ad expiandam iniquitatem;* culpae itaque expiabuntur, Deo praestabitur satisfactio qua iniuriae ipsi illatae iniquitatibus hominum reparabuntur et ipse plene pro sua iustitia reconciliatus et propitius erit. Hac expiatione

---

1. « Abbreviatas asserit hebdomadas occulte videlicet lectorem commonens, ut breviores solito annos noverit indicatos »; *M.* 90,334. Alios quoque *Per.* nominat.

facta Deus veniam concedet et favore divino populum prosequetur. Hisce tribus autem tempus declarari messianum vel haec tria inter bona connumerari temporis messiani, ex oraculis prophetarum priorum manifestum est; vide Is. 4,4; 53,4-12; 60,18. Ier. 3,17; 30,21; 31,34. Ez. 11,19; 36,26. Os. 2,17; 14,5. Mich. 7,18. 19. Soph. 3, 13 etc. etc.

In primo membro textus hebr. legitur לְכַלֵּא; Theodotio vertit συντελεσθῆναι, idem legitur apud LXX; similiter *Aq.* συντελέσαι et *Syrus* מֵשַׁלֵּם et *S. Hier.* ut consummetur; quibus omnibus textus hebr. לְכַלֵּה supponitur. Quod in textu *mas.* legitur לְכַלֵּא aliqui eodem modo accipiunt ita ut א pro ה ponatur; quae sententia eo quoque commendari potest quia in altero membro parallelo *qeri* הָתֵם reperitur. Si igitur *consummare* legitur, quo sensu vox erit capienda? Sunt qui exponant : ut apostasia ad culmen perducatur, ut mensura peccatorum impleatur, eo scil. modo quo Christus dixit : implete mensuram patrum vestrorum; ita *Theod.* : « praevaricationem auctam et ad summum perductam vocat crucem quam ausi sunt illi contra Dominum parare » et similiter de plena defectione et summa peccatorum mensura explicant *Orig. Euseb. Chrys.* et ex recentioribus *Hitz. Z. Meinhold;* at merito alii sequuntur notionem consummandi i. e. abolendi et delendi, quae et hebr. כַּלֵּה inest v. g. Gen. 41,30. Num. 25,11. Ios. 24,20. 2 Sam. 21,5. 2 Reg. 13,17. 19. 2 Par. 31,1. Ier. 5,3 ; 14,12 etc. neque ab usu vocis graecae exsulat; ita v. g. *Hippolytus* vocem συντελέσαι accipit (*M.* 10,653). Haec enim notio necessario seligenda est quia in membro tertio de expiatione iniquitatis sermo fit, unde patet quo sensu in membro priore verba sint capienda; dein cum in reliquis membris bona nuntientur messiana, eodem modo duo priora intelligi oportet, neque enim probabile est cum Deus orationes Danielis viri sibi adeo grati benigne susceperit, nunc per angelum ei qui peccatorum remissionem efflagitaverit nuntiari fore ut crimina augeantur in immensum. Proinde bona nuntiantur. Eundem sensum bonum etiam sequuntur qui scriptionem כלא retinentes vel לִכְלֹא legunt vel etiam eiusdem verbi piel (alias inusitatum) quo verbi notio augeatur. Habet enim verbum significationem claudendi, includendi, coercendi, impediendi (ita *Reinke, Rohl. Lengerke, Hengstenberg, Aub. Keil*), qua notione etiam declaratur tempore messiano vim peccatorum iri coercitum. Demum in codd. 22. 34. 36. al. et apud *Afric. Chrys. Theod.* invenitur alia lectio παλαιωθῆναι τὸ παράπτωμα quam etiam secutus est *Tertullianus :* quoadusque inveteretur delictum; quae lectio vocem hebr. בַּלֵּה supponit.

Etiam in altero membro aliquod cernitur discrimen. Scribitur in textu hebr. חתם signare, obsignare, cui respondet versio Theodotionis σφραγίσαι et vetus latina apud *Tert.* ut signentur peccata. Notio vocis eadem est quae habetur Iob 9,7 et 37,7 i. e. obsignare, claudere, ut impediatur et coerceatur actio. Proinde sensus exsistit ad contextum aptus : peccata ut coercean-

tur, ut iam non serpere permittantur sicut manus hominis apud Iob dicitur signari i. e. ab omni opere cohiberi. Propter rationes quas modo attuli, *sigillare* non potest explicari cum *Hip. Orig.* de peccatis quae non remittantur sed ad iudicium divinum asserventur, verum *signare* priore modo cum *Sanct. Reinke, Rohl. Aub. Keil* exponi debet, uti vocem accepit *Theod.*: « obsignavit autem peccata, dum vitae secundum legem compositae finem imposuit et spiritus gratiam largitus est qua adiuti qui spiritualiter vivunt superant affectiones ». At in hebr. etiam reperitur *qeri* הָתֵם quam vocem exprimit *Aq.* τελειῶσαι et *Syrus* מגמר et quam praeter σφραγίσαι etiam *Theod.* συντελεσθῆναι ἁμαρτίαν affert. Etiam haec vox exponenda est ad finiendum peccatum, uti *S. Hier.* eam accepit; nam הָתֵם ea significatione legitur Gen. 47,18 hebr. Ps. 102,28. Is. 16,4; 33,1. Lament. 4,22. Ez. 22,15.

Iam si quaeris, quae lectio in utroque membro sit probabilius genuina, haec perpende: versiones veteres quotquot exstant pro priore membro omnino commendare, ut in textu hebr. scribatur לְכַלֵּה; scriptio cum א non poterit consistere, quia כלה saepius apud Danielem legitur (v. 27; 11,36; 12, 7); verbum autem כלא cohibere, coercere non habet ullum apud veteres pro hoc loco testimonium. In altero membro propter parallelismum, propter versionem *Aq.* et *Syri* et *S. Hier.* הָתֵם praeferendum erit. Insuper notio *obsignandi* eo sensu qui hic requiritur est rarior et cum statim subsequatur חתם facile poterat scriba, ut *Houbig.* censet, ad illam vocem aberrare. LXX in hoc membro habent σπανίσαι *imminuere* qua notione utrum ex duobus illis verbis explicetur dubium est. *Euseb.* quidem affirmat LXX edidisse ἐσφραγίσθη ἡ ἁμαρτία; at haud immerito censet *Field* eum tamen Theodotionis versionem ab Ecclesia in libro Danielis unice sancitam ob oculos habuisse.

Tamquam prior pars bonorum messianorum promittitur cessatio et expiatio peccatorum. Peccata quidem sacrificio a Christo in morte oblato expiantur; ea autem finem accepisse eo quoque vere dici potest quia nos redemit e servitute peccati, nobis promeruit Spiritum s. eiusque gratias quibus adiuti peccata gravia vitare possumus, et in sacramentis aliisque subsidiis remedia nobis peccatorum subministravit potentissima (cf. *Lap. Gord.*). In altera huius versus parte declaratur quae bona peccatis deletis futura sint: *ut adducatur iustitia sempiterna,* is scil. rerum ordo sanctus quem Deus exsistere et secundum quem hominum vitam moresque componi vult. Enuntiatur igitur adfore sanctitatem quae apud prophetas continuo describitur tamquam propria regno messiano; atque hunc ordinem rectum et sanctum fore *perpetuum,* novam theocratiam vel regnum messianum iam non defecturum propter peccata, sicut veteri contigit; proinde

id fore quod iam Osee vaticinatus est : et sponsabo te mihi in sempiternum et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia et miserationibus (2,19). Haec autem iustitia et sanctitas tempori messiano adscribitur a prophetis in locis plurimis, cum fere nunquam de eo tempore loquantur ita ut non vel ipsis verbis vel symbolica ubertatis terrae ac felicitatis descriptione illam sanctitatem summis laudibus celebrent; vide Ps. 71. Is. 11,9; 12,1-6; 54,10; 60,13; 65,17 seq. Ier. 23,5; 30,19; 31,14. 33. Ez. 11,20; 34,25; 36,27. Ioel 3,18. Am. 9,13. Mich. 7,14. Soph. 3,13-20; huc quoque referri debent loci omnes in quibus indoles spiritualis novae theocratiae indicatur, quos frequentissimos inveniri in commentariis prophetarum saepe monui (vide v. g. Comment. in Isaiam II p. 61. 108. 129. 140. 147. 236. 255. 265. 277. 342 etc.) Quare manifestum est adductione iustitiae sempiternae designari tempus messianum.

Idem tempus declaratur altero membro *et impleatur visio et prophetia* vel ex hebr. *et ad obsignandam visionem et prophetam.* Quid sit hoc loco *obsignare* σφραγίσαι apud Theodotionem (συντελεσθῆναι apud LXX, מטלם apud *Syrum*), interpretes in duas sententias abeunt, quarum tamen utraque ad tempus messianum refertur. Explicant enim vocem alii de impletione prophetiarum quae impletione facta a Deo sint confirmatae et quasi sigillo divino munitae omnibus exhibeantur; ita *Clemens alex., Tert. Hip. Polychronius, Ephr.;* et ita vocem hebr. quoque exponunt *Sanct. Lap. Calm. Rohl. Heb. Corluy* et ex protestantibus *Haevernick, Lengerke, Ewald, Hitz. Z. Meinhold;* aliis autem obsignare idem est ac finire, includere, facere ut desinat et cesset prophetia; ita concipiunt *Afric. Orig. Athan. Chrys. Basil. Ammon.* et *Vat. Mar. Reinke, Palmieri, Keil.* Sunt etiam qui utramque proponant et coniungant, ut *Euseb. Theod. :* « σφραγίσαι hoc est ad imponendum finem omnibus vaticiniis et ad hoc efficiendum, ut a Iudaeorum natione in posterum prophetica gratia deficiat; nisi enim apparuisset Dominus Christus et ea fecisset ac passus esset quae prophetae praedixerunt, non ostensa fuisset veritas prophetarum; perficit itaque et quasi obsignat et confirmat a prophetis praedicta omnia faciens ac patiens quae illi vaticinati fuerant ». Iam in priore acceptione omnia illa dicuntur impleri et tamquam divinitus dicta confirmari quae prophetae praedixerunt. Sed cum oracula prophetarum maxime celebria et splendida sint de nova theocratia et regno messiano, dubitari non potest quin tempus messianum declaretur quando asseritur oracula illa impleri et a Deo sanciri. Si autem altera acceptio probatur, dicendum est cessare prophetas cum exstiterit princeps prophetarum, cessare oracula quia quae oraculis erant

praeparanda iam data sint. Unde iterum necessario ad tempus messianum erit concludendum.

Ex hisce duabus sententiis prior praeferenda videtur. Tantum enim abest ut pro tempore messiano cessatio visionum et prophetiarum praedicatur, ut largissima quaedam horum charismatum effusio annuntietur; ita Ioel 2,28 de tempore messiano : effundam spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae; senes vestri somnia somniabunt et iuvenes vestri visiones videbunt. Cui oraculo rerum eventus in primordiis rei christianae plane respondit. Neque vox חָתַם ab ea notione abhorret. Nam *signare* epistolam rex dicitur, ut epistolae summam fidem et auctoritatem regiam conciliet; vide 3 Reg. 21,8 et Esth. 8,8; ex quo usu facile illa significatio derivatur, immo sua sponte fluit. Impletione enim ostenduntur vaticinia quam maxime fuisse originis divinae; impletio ergo est pro hominibus praeprimis illud quo sigillo divino has epistolas esse munitas et insignitas apparet; apte igitur dicuntur eo sigillo insigniri ratione habita cognitionis omnibus perviae, quando implentur. Accedit quod altera notio ne apta quidem est; cur enim diceretur visionem et prophetam coerceri, impediri, cohiberi ab opere? haec vero est significatio quae ex Iob 9,7 et 37,7 colligitur; talia de peccato coercendo bene dici posse constat, neutiquam de visione et munere prophetico, quae duo a Deo proficiscuntur et a Deo gratiose dantur.

Tertio demum loco promittitur fore ut *ungatur Sanctus sanctorum* vel secundum hebr. ut ungatur *sanctum sanctorum*. Ut ad huius partis explicationem nobis viam paremus, considerare oportet quantopere promissiones eousque Danieli factae respondeant orationi ab eo fusae et petitiones eius eximium in modum superent. Rogaverat Dominum ne moraretur, statim mittitur ad eum angelus qui Dei consilia nuntiet; rogaverat veniam peccatorum, promittitur cessatio et expiatio peccatorum, promittitur adductio iustitiae sempiternae; rogaverat ut oraculum Ieremiae de cessatione vastationis impleretur, promittitur fore impletionem visionum et prophetiarum omnium. Unum adhuc reliquum est : rogaverat ut ira Dei averteretur a civitate Dei et monte sancto suo, ut Deus vultum suum benignum et favorem ostenderet super sanctuarium suum desertum (v. 16. 17); prostraverat itaque preces suas pro monte sancto Dei v. 20. Cum ceteris eius petitionibus responsum datum sit magnificum et spem vatis longe superans, dubium non est quin ei quoque petitioni de Dei sanctuario restituendo satisfactum sit modo quodam eximio. Atque profecto id fit in tertio hoc membro. Promittitur enim verbis minime dubiis sanctissimum quoddam sanctuarium fore ut ungatur i. e. ut habitaculum quoddam Dei

exsistat sanctissimum, Dei spiritu impletum et consecratum quod in se perfectissime exprimat illud cuius figura et umbra vetus fuerit sanctuarium. Unde novum quoddam templum sanctissimum quod sit erigendum et unctione sacra consecrandum menti prophetae proponitur. Est haec ultima promissio in ista serie; quare sicuti reliquae progressu quodam et incremento ad bona assurgunt maiora, ita in hac maximum contineri bonum facile concluseris, et quemadmodum in ista serie promissio subsequens in se continet antecedentem eamque ampliore bono includit atque perficit, eodem modo hanc ultimam reliqua omnia in se comprehendere eaque ad perfectionem adducere, quasi *a priore* merito exspectaveris. Atque ita est.

Isto enim membro primo et per se in memoriam revocantur alia prophetarum oracula, quibus Deus peculiari modo in populo novae theocratiae quasi in suo sanctuario inhabitare dicitur et quibus excellentissimum novi foederis sanctuarium ita describitur, ut tota theocratia nova designetur eo modo quo in vetere designatur ipsum sanctum sanctorum. Ita v. g. Is. 4,5: et creabit Deus super omnem locum montis Sion et super coetum eius nubem per diem et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte, super omnem enim gloriam protectio; et Ier. 3,17: in tempore illo vocabunt Ierusalem *solium Domini;* et Ez. 37,26. 27: dabo sanctuarium meum in medio eorum in perpetuum et erit tabernaculum meum in eis et ero eis Deus et ipsi erunt mihi populus; atque hoc sanctuarium Ezechieli quoque in visione ostenditur et hoc ita inter alia describit, ut omnis terminus domus in summitate montis circumquaque sit sanctum sanctorum 43, 12. Vide quae de istisl ocis in commentariis notavi. Ex hisce igitur oraculis patet etiam Danieli hoc loco manifestari fore ut templum sanctissimum, habitaculum Dei, *ungatur.* Sed a quo? tabernaculum seu habitaculum Dei prius foederis veteris unctum est iubente Domino et consecratum a Moyse servo Dei (Ex. 30,25 seq. 40,9. Lev. 8,10); sed si de unctione sermo fit quae tempore messiano futura est, ea fit ab ipso Domino et confertur in eum qui est novi foederis mediator Ps. 44,8. Is. 61,1. Quare templum illud sanctissimum ab ipso Domino unctum iri, id est Spiritu Domini iri consecratum et impletum omnino sequitur. In quo autem quaeremus ipsum illud Dei habitaculum novum et sanctissimum? Si respicimus Ps. 44,8 et Is. 61,1, dein ea quae de novo Dei sanctuario prophetae priores vaticinati sunt, et si ipsius impletionis in novo foedere rationem habemus, istud sanctum sanctorum a Deo unctum est ipsa Christi Ecclesia, corpus Christi mysticum cum capite ipso qui est Christus, est ipse Christus quatenus Ecclesiam tamquam corpus suum mysticum efformat. Haec enim Ecclesia est Dei

aedificatio, in ea plene impletur illud : vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos (2 Cor. 6,16); haec est tabernaculum Dei cum hominibus; haec est templum illud quod a Messia exstruendum esse Zacharias prophetavit : et ipse aedificabit templum Iahve (6,13 hebr.); haec est illa domus quam verus Salomon, Messias, ut figuram Salomonis in se impleat, aedificabit nomini Domini (2 Reg. 7,13). In isto demum templo Dei, in isto corpore mystico cuius caput est Christus reposita sunt et hominibus obveniunt bona illa quae ab angelo enumerantur : deletio peccatorum, remedia ad ea impedienda efficacissima, expiatio eorum, adductio ac largitio sanctitatis quae nunquam marcescat, impletio oraculorum veterum eorumque confirmatio ac sanctio continua et insignis.

Hac itaque acceptione plene habetur id quod ipsa enumeratione et serie bonorum postulandum esse diximus. Habetur progressus, habetur comprehensio quaedam bonorum antecedentium, cum in Christo capite et in eius corpore mystico summa contineatur omnium promissionum Dei, summa omnium perfectionum, summa omnium bonorum quae sperare possumus et debemus. Neque minus patet quam praeclare illa enumeratio et series hoc quasi culmine et fastigio absolvatur, quam splendida, ut ita dicam, ei corona imponatur. Aeque manifestum est Christo capiti et corpori eius summopere atque unice convenire nomen templi sanctissimi a Deo uncti et consecrati. In Christo enim capite ipsa divinitas inhabitat corporaliter, ipse in humana natura unctus est divinitate; quod autem in capite factum est, pro natura et ratione membrorum etiam in membris fiat necesse est; de eius enim plenitudine omnes nos accepimus; ipse est vitis, nos palmites; ipse est caput ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei (Ioan. 1,16; 15,6. Col. 2,19; cf. 1 Cor. 12,12. Col. 1,24. Eph. 1,23; 4,12. 16); in Christo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, « in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in spiritu » (Eph. 2,21. 22). Ecclesia igitur quae est sponsa Christi est revera sanctissimum Dei templum, in quo Deus inhabitat, quod unctum est Spiritu Dei, et sanctitas illa et unctio et inhabitatio Dei quae modo perfectissimo et substantialiter exsistit in Christo capite, per modum accidentalem et participationis pro ratione creaturae in seipsa subsistentis etiam habetur in membris Christi, in Ecclesia. Atque tale templum Dei sanctissimum revera institutum est in hebdomada septuagesima; sed de ratione temporis accuratius agetur infra.

Ex hac acceptione *et ungatur Sanctus sanctorum*, de qua obiter

mentionem iam feci in Comment. in Proph. min. II p. 288 et in Comment. in Isaiam II p. 421, pariter elucet impletione facta appellationem istam Sancti sanctorum merito de Christo explicari. Atque SS. Patres et scriptores ecclesiastici fere omnes quotquot de hoc Danielis versu scripserunt et interpretes catholici ita appellari Christum senserunt; explicite id affirmant v. g. Clemens alex. Tert. Hip. Afric. Orig. Commodianus (*Pitra,* Spicilegium I p. 28 v. 266), Euseb. Athan. Aug. Theod. Ammonius, Anastasius sinaita, Paschasius, Beda, Ado etc. etc.; immo in versione syriaca simpliciter dicitur : ad Messiam sanctum sanctorum, ita ut verbum hebr. למשח expressum sit per Messiam למשיחא. Sed qui de solo Christo explicant, non omnino inter se consentiunt quando unctus sit : unctus est Spiritu sancto factus homo (*Sa*); haec unctio et consecratio Christi facta fuit primo Incarnationis eius instanti, sed publicata et mundo declarata est in baptismo (*Tir.*); tempore baptismi descendente super eum Spiritu sancto sicut columba eum esse unctum sanctum sanctorum censet *Beda;* idque *Corluy* censet explicationem probabiliorem; merito autem plerique unctionem eam in universum intelligunt, qua unctus est divinitate et consecratus in sanctissimum pontificem, regem, legislatorem, doctorem et redemptorem mundi (*Sanct. Lap.*). Verum eo ipso iam ostenditur unctionem hanc et appellationem sancti sanctorum vel templi sanctissimi non posse ad unum Christum referri. Ea enim unctio facta est ipso momento Incarnationis; iam vero Incarnatio non potest attribui hebdomadae septuagesimae. Praeterea si de solo Christo sermo esset, plura occurrerent in ipso textu quae offensioni merito essent. Primo enim deesset consonantia illa inter orationem Danielis et bona promissa; efflagitavit enim etiam restitutionem templi Dei, cui petitioni in solo Christo non satisfit. Dein ordo enumerationis bonorum in ultimo membro interturbaretur et interrumperetur; nam non adesse ordinem temporis per se patet; accedit quod unctio Christi solius in se spectata est causa efficiens et meritoria illorum bonorum; iam vero eam causam enumerari post effectus quos producet et eodem cum effectibus ordine ac censu et in se est valde inconcinnum et in nostro versu admitti nequit, quia non mera habetur enumeratio, verum tempus declaratur quando vel potius usque ad quod isti effectus producendi sint. Ergo id quod est horum omnium causa et conditio non potest ultimo loco poni, non potest enumerari eadem forma grammaticali tamquam effectus quidam reliquis continuatus.

Si vero *ungatur sanctum sanctorum* accipitur pro templo illo sanctissimo, pro Ecclesia Christi sensu explicato, omnia ista incommoda vitantur. Haec enim institutio Ecclesiae revera locum habuit in heb-

domada septuagesima; haec est revera effecta uti reliqua quae enumerantur, est insuper ea institutio qua bona praecedentia quasi in thesauro reponuntur, qua pro hominibus asservantur et per quam singulis obveniunt. Hac porro institutione opus redemptionis absolvitur eo sensu ut provisum sit id quo fructus redemptionis pro omni tempore in genus humanum distribui possint; est itaque vero sensu haec institutio corona operis Messiae. Quam bene ea acceptio respondeat orationi Danielis, iam dictum est; item quam arcte adnectatur aliis prophetarum oraculis. Porro commendatur ea explicatio etiam dictione קֹדֶשׁ קָדָשִׁים quae dictio ex usu non poterat directe et immediate ad Christum referri. Nunquam enim eousque ad personam aliquam designandam[1] erat adhibita, sed solum usurpabatur de rebus sacrosanctis, de altari holocautomatum, de thure, de vasis sacris, de sacrificiis, de omnibus quae Deo per modum cherem consecrantur, de locis sacris et cum articulo de tabernaculo et de adyto templi (cf. Ex. 29,37; 30,10. 29.36; 40,10. Lev. 2,3. 10; 6,10. 18. 22; 7,1 etc. 10,12. 17. Num. 18,9. Ez. 45,3; 48,12 — et cum articulo Ex. 26,33. 34. Num. 4,4. 1 Reg. 6,16; 7,50; 8,6 etc.). Quare cum Daniel neque hic neque in subsequentibus aliquam afferat explicationem, fieri non potuit, ut vox de Messia intelligeretur dicta immediate et per se, sed solum intelligi potuit ex usu et ex Ez. 43,12 et 45,3 aliisque prophetarum indiciis de sancto quodam templo in Dei habitaculum consecrando tempore messiano, quod templum ab ipso Messia esse erigendum Zacharias postmodum diserte edixit (6,13). Quale sit hoc templum, ipsa impletione patefactum est; ex qua impletione quoque discimus quo sensu verba illa valeant de Christo, scil. Christum intelligi oportere eodem modo quo 1 Cor. 12,12: sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, *ita et Christus*. Similiter verba concipiunt *Allioli*, *Reinke* (p. 258), *Palmieri* et uti videtur *Troch.*, cum unctionem Christi explicet de eius missione divina et de fundatione Ecclesiae.

Theodotio rite vertit τοῦ χρῖσαι ἅγιον ἁγίων, LXX autem καὶ εὐφρᾶναι ἅγιον ἁγίων; cf. שׂמּח pro משׁח? Ex veteribus auctor operis: Incipit expositio bissexti (inter opera S. Cypriani; vel etiam: Caecilii Cypriani de pascha computus inchoat; *M.* 4,939-968) praebet: ut ungatur sanctum sanctorum, et explicat de templo hierosolymitano iterum exstructo: « templum per 46

1. Quandoque pro ea notione in medium profertur 1 Chron. 23,13; at id eo loco non probatur, neque a LXX neque *vulg.* illa acceptio praebetur, sed τοῦ ἁγιασθῆναι ἅγια ἁγίων.

annos est aedificatum et in sacramento Spiritus sancti oleo est unctum, quomodo ab angelo fuerat dictum : ut consummetur visio et prophetia et ungatur sanctum sanctorum; ipsum autem fuit sanctum sanctorum quod cum ipsa civitate pro infidelitate Iudaeorum ab ipso Domino nostro iterum temporibus Vespasiani est exterminatum; sic fuerat enim in eodem capitulo scriptum : et post 62 hebdomadas disperibit unctio et iudicium non est in eo et civitatem et illud sanctum corrumpet cum illo duce qui veniet » (*M.* 4,960). Pari modo ***Iulius Hilarianus*** (Chronologia sive libellus de mundi duratione) explicat : « Cyrus rex Persarum iubet populos ire ad Hierusalem primo anno regni sui ut aedificari posset Hierusalem et ungeretur sanctum sanctorum quod fuit in templo Dei sacratissimum » et addit per 62 hebdomadas restituto templo et civitate in oblationibus eos Domino serviisse et has hebdomadas vel 434 annos compleri temporibus Machabaeorum (*M.* 13,1103). Etiam aliqui recentiores verba referunt vel ad altare holocautomatum a Iosue et Zorobabel erectum, de quo Esdr. 3,2 mentio fit (*Wieseler*) vel ad templum a Zorobabel erectum (*J. D. Michaelis, Jahn, Steudel*) vel de altari holocaustorum iterum dedicato tempore Machabaeorum 1 Mach. 4,53 seq. (*Hitz. Meinhold*). Verum has explicationes erroneas esse ex ipsa bonorum enumeratione patet qua bona scil. messiana continentur. Idem error evincitur ex tempore assignato, de quo agendum erit ad v. 25. In interpretatione horum verborum ***Polychronius***, Apameae episcopus, prius unctionis communicationem quae nobis fiat exponit; dein advertit etiam ad Christum qui Spiritu sancto unctus sit verba referri posse; unde ἅγιον ἁγίων accipit pro gratia qua nos ungamur vel pro eximia virtute Spiritus sancti qua Christus sit unctus quia quod in Ps. 44,8 ἐξαίρετον παρὰ τοὺς λοιπούς dicitur, in nostro loco nomen sortiatur ἅγια ἁγίων (*Fraidl* p. 87).

Praeclare disputat de hoc loco *Palmieri* : « hac phrasi potest certe designari sanctuarium aliquod novum ipsumque mysticum, ut sensus sit : *ut ungatur aliquod (novum) sanctuarium seu templum,* quod indeterminate utique ponere licet, etsi res sit futura determinate. De novo templo alio a templo secundo Iudaeorum iam locutus erat Ezechiel qui 45,3 illud vocat קֹדֶשׁ קָדָשִׁים. Cur hoc non sit idem de quo angelus ad Danielem loquitur? Mentio autem unctionis suadet accipere templum istud mystice. Si vero sanctum sanctorum mystice accipias, iam constat quid sit, tabernaculum scil. Dei cum hominibus Apoc. 21,2 seq. sive domus Dei 1 Tim. 3,15 h. e. Ecclesia Christi, quae una cum suo capite uncta est Spiritu s. (nam et Spiritus s. est unctio 1 Ioan. 2,27), cum mundo apparuit die Pentecostes. Quam bene vero post annuntiatam cessationem legis veterisque oeconomiae mentio fit instituendae Ecclesiae, quae eam excepit! In hac interpretatione interpretatio Patrum continetur. Cum enim Ecclesia dicitur, necessario eius caput et fundator a quo et quocum uncta est intelligitur. Ideoque etsi modus interpretationis sit alius, res tamen quae extunditur eadem est apud nos et Patres. Id autem sufficit, ut Tridentino obsequamur » (p. 75) et antea dixerat p.74 : « non puto quidem, ut morem geramus Tridentino decreto de interpretatione Scripturarum opus esse defendere quod immediate his

verbis Christus ipse significatur; alia paulo inflexa interpretatio potest illi decreto facere satis. Sane difficile est eam Patrum interpretationem secundum textum hebr. tueri ». Atque etiam *Corluy* advertit p. 479 : « forma hic adhibita abstracta est et de *rebus* sanctis adhibetur; ideo vertendum est *sanctum sanctorum* neutro genere et quidem absque subaudito articulo ».

d) **Tempus Messiae eiusque mortis determinatur 9,25-26.**

In v. 24 dictum erat statutas esse hebdomadas annorum septuaginta, ut Deus bona messiana largiatur. Nunc accuratius determinatur primo a quo termino istae hebdomadae annorum computandae sint, dein quid per hebdomadas septem et post hebdomadas 62 futurum sit. Ita v. 25 « *Scito ergo et animadverte : ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum;* v. 26 *et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus et non erit eius* (*populus qui eum negaturus est*); *et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo et finis eius vastitas et post finem belli statuta desolatio* »; — verba *populus qui eum negaturus est* non pertinent ad versionem *S. Hier.* uti colligitur ex S. Augustino qui epist. 199 n. 21 asserit solum legi *et non erit eius* in hebraeo, quo loquendi modo versionem *S. Hier.* ex hebraeo factam designat. Continetur itaque in illis interpretamentum. Legitur in v. 25 לְהָשִׁיב i. e. hiphil verbi quam formam etiam LXX et Theodotionem legisse versione eorum ἀποκριθῆναι ostenditur; quare accuratius explicabis : ab exitu sermonis ad restituendam (in integrum) et aedificandam urbem; notione enim *iterum* non hiphil, sed qal poni solet; id quod *Meinhold* neglexit.

Verbis *et scies et intelliges* (hebr.) non novum inducitur oraculum, ut aliqui coniectarunt, sed quanti momenti res sit indicatur et vates admonetur, ut ad ulteriorem explicationem oraculi in v. 24 incepti animum advertat. Id enim eo iam indicatur quod 70 hebdomadum tempus in certas quasdam partes dividitur : hebd. 7 et hebd. 62 et in v. 27 hebd. 1. Proinde sententiae subiunctae arcte ad v. 24 adnectuntur; angelus ex v. 22 missus est ut intelligentiam vati tribueret; quare verbis istis non novum introducit oraculum, sed cur missus sit denuo exponit et ut propositum assequatur attentionem vatis excitat.

Ut in tanta sententiarum varietate quae de hoc oraculo propositae sunt quid certo tenendum sit certis indiciis deprehendamus, tria ob oculos habenda sunt : primum est quod iam in v. 24 probatum est, agi propter bona illa promissa et propter prophetarum aliorum ora-

cula de tempore messiano; proinde vi verborum in hebdomada septuagesima fore ut illucescat tempus messianum. Alterum est, si Daniel suo tempore loquitur de uncto, de principe, usque ad quem certum quoddam tempus debeat praeterire, non posse intelligi nisi unctum illum i. e. regem theocraticum a prophetis promissum qui post exsilium solutum novam theocratiam sit instituturus, i. e. Messiam regem. Tertium est tempus 70 hebdomadum ita dividi in tres partes, ut unicuique parti certus quidam eventus attribuatur; ita uni hebdomadae in v. 27 adscribitur confirmatio pacti; post 62 hebd. occidetur Unctus; unde eventus qui remanet pro tempore septem hebd. non est nisi aedificatio plateae et murorum in angustia temporum v. 25. Itaque verborum compositio ac collocatio est haec : uti in v. 25 duo assignantur, scil. restitutio urbis et adventus uncti, ducis, ita duae quoque partes temporis distinguuntur, 7 hebd. et 62. Cum autem pergatur in v. 26 *et post hebd.* 62 *occidetur Unctus,* apparet sententiam quae antecedat *et rursum aedificabitur platea...* referendam esse ad priorem temporis partem, ad 7 hebdomadas. Nihil enim aliud restat ad quod pertinere possint illae 7 hebdomadae. Atque hic ordo in ipsa sententiarum collocatione nobis manifestatur : aedificatio urbis, unctus — 7 hebd., 62 hebd. — aedificatio urbis et post 62 hebd. occisio Uncti; habes ter membra bina, quae inter se eodem ordine subsequuntur. Quare 7 hebdomadae spectant ad urbem aedificandam, 62 autem hebdomadae quae post illas 7 currunt tempus assignant post quod Unctus occidetur.

Secundum textum *mas.* potest in dubium vocari, utrum 62 hebdomades ad priorem sententiae partem trahendae sint, uti certe fit in *vulg.,* an ab ea separandae et ad subsequentem sententiam adnectendae : et (per) 62 hebd. revertetur et aedificabitur; sequitur enim תָּשׁוּב sine particula coniunctionis. At ante תָּשׁוּב eam particulam esse ponendam eamque olim fuisse in textu hebr. hisce suadetur : Theodotio in sua versione eam exprimit καὶ ἐπιστρέψει καὶ οἰκοδομήσεται; item *S. Hier.; Syrus* quidem eam non praebet, at antea habet *et* usque ad adventum Messiae regis; quare certe tempus hoc usque ad adventum Messiae computavit ex utroque numero. Praeterea cum in v. 24 bona messiana promittantur in hebdomada septuagesima, sensus esse nequit usque ad Messiam esse 7 hebdomadas; nam bona messiana afferuntur et efficiuntur per Messiam; unde absurdum esset et prophetarum oraculis plane contrarium affirmare, Messiam venturum esse post hebd. 7 et bona messiana post 70 (vel 63) hebd.; quare necessario assignari debet terminus *usque ad unctum, ducem* tempus 7 + 62 hebd.; id vero clare fit, si inseritur *et.* Demum ita esse iungendum praeter concinni-

tatem trium istorum membrorum bipartitorum ostenditur ipsa impletione. Nam cum ex v. 24 adhibitis oraculis prophetarum antecedentium evidens sit tempus praedici messianum intra hebd. 70 futurum, fieri nequit ut statim dicatur usque ad Christum esse solum 7 hebdomadas. An dicemus hebdomadas alio sensu concipi in v. 25 et alio in v. 24? hic pro hebdomada annorum, ibi in v. 25 pro 7 × 10? Nemo tam arbitrarium interpretandi modum probaverit.

Vis igitur demonstrationis in duobus potissimum reponitur. Prius est in v. 24 promitti bona messiana; de qua re supra iam tractatum est. Alterum est unctum, principem in v. 25 non posse alium intelligi nisi ipsum Messiam. Hoc itaque magis est declarandum et evincendum. Etiam hic debet praecipue valere quod pro v. 24 monui : ut deprehendamus quo sensu verba Danielis intelligi et possint et debeant, accurate expendenda sunt oracula priorum prophetarum. Iam vero ex iis manifesta sunt duo : venturum esse filium David qui thronum Davidis in aeternum sit stabiliturus, qui vocatur David, Germen Domini, Germen iustum, qui regnabit in iudicio et iustitia, cuius imperium multiplicabitur, amodo et usque in sempiternum, qui erit pastor a Domino suscitatus (Ps. 71. 109. Is. 4,2; 9,6. 7 ; 11,1 seq. Ier. 23,5; 33,16. Ez. 34,23. Os. 3,5. Am. 9,11. Mich. 5,2); hoc est prius; alterum est : post ruinam regni quae expugnatione urbis et abductione populi in exsilium facta est, iam non fore regem theocraticum nisi solum Messiam. Id autem conceptis verbis annuntiatur apud Ier. 22,30 et apud Ez. 17,22 et praeprimis 21,25-27, uti ipsis sententiis proditur et uti latius exposui in commentariis. Idem quoque satis clare enuntiatur apud alios prophetas, si post exsilium et post reditum ex exsilio nobis statim regem David vel regnum davidicum resuscitatum ostendunt, uti Os. 3,5. Am. 9,11; etiam Is. 42,1 seq. 49,1 seq. 59,20-61,11; pariter Mich. 2,12-13. Ier. 31,22 etc. Haec vero oracula nota erant. Unde sicut Daniel in v. 24 vaticinia priora expressit, ita in v. 25 quoque secundum normam eorum locutus est et intelligi debet. Quare cum post promissa messiana sermonem inferat de uncto quod est nomen regis theocratici et quem unctum insuper principem vel ducem nominat, ex oraculis prioribus alius nequit intelligi nisi unus ille qui Unctus et Dominator iure praecipuo vocatur i. e. Messias rex (uti *Syrus* rite vertit). Si autem solus Messias intelligi potest, evidens est non posse post 7 hebdomadas poni interpunctionem, sed eam divisionem sententiarum et temporis distributionem esse adoptandam quam supra indicavi.

Textus hebr. in v. 25 etiam ita quandoque concipitur, ut duplex termi-

nus *ad quem* indicetur, cui duplex temporis determinatio respondeat. Sed ל non per se induit notionem *usque ad,* sed temporis notio si adest continetur in verbis appositis; unde vix verti *potest :* ab exitu sermonis usque ad restitutionem et aedificationem Ierusalem, usque ad Christum sunt hebd. 7 et hebd. 62. Ita *Syrus* tamen textum accepisse videtur, cum in utroque membro praebeat ל (pro hebr. ל et עד) et ante alterum inserat *et* usque ad adventum Messiae regis. Huic acceptioni praeterea obstare videtur, quod non satis declaratur qualis sermo intelligatur; unde ut clare habeatur quid illo verbo debeat contineri, communiter ל accipitur ea notione qua ad quid tendat oratio significatur; ita in *vulg.* ut aedificetur, Theodotio : λόγου τοῦ οἰκοδομῆσαι. At posset reponi, quale sit verbum pro ratione oraculi sufficienter innui ipso adscripto termino priore, quo simul indicetur saltem indirecte et connotetur, ad quid tendat verbum, praesertim si attenderis dici *ab exitu;* unde verbum quod concipiatur *egrediens* et usque ad certum terminum quasi perveniens, eo ipso concipi posse *tendens* ad illum terminum; quare quale sit verbum, haud immerito ab ipso termino colligi. Vide *Reinke* l. c. p. 262. 263.

Quaeri etiam potest quomodo proprie accipi debeat dictio מָשִׁיחַ נָגִיד, utrum scil. princeps unctus (ita ut *unctus* per modum adiectivi ponatur : princeps qui sit unctus) an unctus quidam qui simul sit princeps, an quasi nomen proprium Unctus ille notus qui sit princeps vel rex. Primum refellitur ex verborum collocatione, quia in hebr. adiectivum suo substantivo postponitur (cf. *Ewald,* Lehrbuch § 293; quae excipiuntur paucissima sunt neque huc spectant). Neque tertium probari potest; exspectaretur enim articulus הַנָּגִיד; unde quod secundo loco positum est sequendum erit. Vox נָגִיד etiam de rege theocratico dicitur; 1 Sam. 9,16 : et unges eum ducem super populum meum Israel; 2 Sam. 7,8. 1 Reg. 1,35. 1 Chron. 11,2 etc.; quamvis saepe latiore sensu de nobili, principe, duce adhibeatur. Cum *unctus* de sacerdote quoque dicatur Lev. 4, 3. 5 hebr. 16; 6,15 hebr., hic intelligi potest sacerdos qui simul sit dux et princeps, sicut Zacharias quoque de Messia dicit : erit sacerdos super solio suo, regem eum et sacerdotem declarans, prout iam fit Ps. 109 : virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion... tu es sacerdos in aeternum. Quae vocis significatio optime cum v. 26 de morte Messiae congruit qui tamquam sacerdos se ipsum in ara crucis obtulit et sacrificio suo hostias et sacrificia veteris foederis cessare fecit et abrogavit v. 27.

Hisce praemissis quibus oraculum demonstratur messianum reliqua facilius expediuntur; *ab exitu sermonis* i. e. ab eo tempore quo decretum egreditur vel promulgatur, ut Ierusalem restituatur et aedificetur. Eiusmodi igitur decretum tamquam initium temporis designatur a quo 70 hebd. sint computandae. Iam quale verbum egrediens intelligendum est? Quamvis eadem dictio in v. 23 legatur, tamen ille sermo nequit intelligi, quia illo non aedificatio urbis, sed bona annuntian-

tur messiana v. 24, ad quorum temporis determinationem inveniendam hic recurritur ad verbum aliquod vel decretum quo aedificatio urbis statuatur. Neque verbum referri potest ad v. 2 et ab eo ad oraculum Ieremiae de annis septuaginta dominationis babyloniae, post quos suscitabit Deus verbum suum bonum, ut reducat eos ad locum istum, ad Ierusalem (Ier. 29,10; 30,18); ita quidem aliqui volunt (*Meinhold, Hitz.*) et iam *Galatinus* ad confutandos Iudaeos ad Ieremiae vaticinium recurrit (l. c. p. 238). At ibi proxime solum sermo est de reditu; dein reditus et etiam aedificatio urbis iam antea ab Isaia quoque 44,26 praedicebatur. Si itaque ad oraculum antea datum verba ea referuntur, res est plane anceps; ad quod enim referri debent? ad Isaiae oraculum? ad Ieremiae? ad Ezechielis? ad Michaeae vaticinium 7,11? Quare verbum explanari oportet de tempore futuro. Cum *egredi verbum* saepius dicatur de promissionibus divinis, uti Is. 45,23 et 48,3 et Ez. 33,30, sunt qui censeant de edicto regis gentilis dictionem non posse accipi (*Hitz. Z.;* similiter *Stawars*). Sensus itaque ab initio est indeterminatus; dicitur solum initium 70 hebd. esse capiendum quando tempore futuro clare et distincte verbum vel edictum vel iussio dabitur, ut urbs aedificetur. Utrum verbum istud immediate egressurum sit a Deo, an Deus suam voluntatem sit manifestaturus per regem cui Iudaei sint subiecti vel alio modo, in ipso oraculo non definitur. Id solum monetur, ut ad tempus illud attendant, quo tale verbum fiat. Proinde sicut Daniel et eius aequales exspectare debebant et diligenter attendere quando demum talis sermo promulgetur, ita nobis inquirendum est ex rebus gestis quando sit promulgatus.

Talem sermonem exiisse a Cyro aliqui putabant (cf. *Clemens alex. Ps. Cypr. Euseb.* in prima sua computatione, *Ibn Esra* apud *Fraidl* et complures protestantes quos recensent *Z.* p. 188 et *Keil*); at in Cyri decreto, quod refertur Esdr. 1,1-4 et 6,3-5 de aedificatione *urbis* ne verbulum quidem legitur; solum agitur de templo aedificando; igitur immerito ad eius decretum recurritur. Alii tale edictum editum esse putant a Dario Esdr. 6,6-12 (*Euseb.* in altera computatione a templo anno 6 Darii completo incipit, quem sequuntur *Cyr. hier. Prosper aquit. Isid. hisp. Freculphus* aliique apud *Fraidl;* a primo anno Darii computat *Polychronius,* ab anno altero *Driedo, Cornelius Iansenius* aliique apud *Z.*). Neque hoc stare potest; nam in eius decreto solum permittitur ut templum aedificetur et prohibetur ne eius aedificatio impediatur; nihil vero continetur de urbe aedificanda.

Quaestio igitur solum vertitur de decreto promulgato vel anno septimo Artaxerxis vel anno eius vigesimo (Esdr. 7; Neh. 2,7-9). Ultimo hoc anno permissum esse ut urbs aedificaretur certum est; restat igi-

tur, ut inquiramus, sitne ea potestas iam concessa anno regni eius septimo, cum Esdras in Iudaeam pergeret. Atque id omnino videtur sequi et ex concessione amplissima litteris regis expressa et ex rebus gestis dictisque quae de Esdra et Nehemia referuntur. Epistola enim regia plena datur Esdrae potestas res religiosas et civiles ordinandi; ei permittitur, ut quidquid sibi et fratribus placuerit faciat iuxta voluntatem Dei v. 18; praecipitur ei ut constituat iudices et praesides, ut doceat imperitos v. 25. Sed quomodo respublica ita institui potest, nisi praeter templum etiam urbs e ruinis surgat? Porro in regia epistola omnibus permittitur, ut revertantur in Ierusalem v. 13; et Esdrae praecipitur ut omnia in Iudaea et Ierusalem diligenter inspiciat eorumque curam gerat sedulam (v. 14 בַּקֵּר). Quibus verbis potestas urbem restituendi data est. Atque idem continetur in oratione Esdrae quam cap. 9 grato animo fudit; dicit enim : Deus inclinavit super nos misericordiam coram rege Persarum ut daret nobis vitam et sublimaret domum Dei nostri et *exstrueret solitudines eius* et *daret nobis sepem in Iuda et Ierusalem;* גְּדֵר autem est murus, locus munitus atque scite advertit *Petavius* (doctr. temp. 12,29) exstruere solitudines eius de ipso templo non posse intelligi quippe quod anno 6 Darii completum iam erat. Idem colligitur ex accusatione quam inimici Iudaeorum mox ad Artaxerxen regem perferebant : notum sit regi quia Iudaei qui ascenderunt a te ad nos venerunt in Ierusalem civitatem rebellem et pessimam quam aedificant exstruentes muros eius et parietes componentes (Esdr. 4,12; cf. v. 13. 16); monent regem iam non recepturum tributum et vectigal urbe aedificata, immo ipsum amissurum omnem possessionem trans Euphraten; urbem enim illam semper exstitisse rebellem. Et rex accusatione illa et minis ita revera est instigatus ut rescriberet: prohibeatis viros illos, ut urbs illa non aedificetur, donec a me iussum fuerit. Neque dicit tamen eos egisse contra potestatem a se factam neque eos propter inceptam aedificationem punit, sed solum praecipit, ut prohibeantur, ut aedificatio sistatur.

Huic prorsus congruit quod Neh. 1,3 seq. et 2,3 de Nehemia legitur. Anno enim vigesimo regis Artaxerxis mense casleu Hanani cum aliis ex Iuda veniunt ad Nehemiam, qui eos interrogat de Ierusalem. Illi respondent: murus Ierusalem dissipatus est et portae eius combustae sunt igni; « cumque audissem verba huiuscemodi, sedi et flevi et luxi diebus multis, ieiunabam et orabam ante faciem Dei coeli et dixi » etc. Ex qua narratione sequitur urbis aedificationem fuisse inceptam, sed ab inimicis non solum Iudaeos esse prohibitos, sed etiam quae iam aedificata erant fuisse destructa. Si enim nihil laboratum est in urbe aedificanda, sed ruinae remanserunt eodem statu in quem anno 586 per

Chaldaeos erant relictae, cur Nehemias viros illos ex Iudaea advenientes interrogat de Ierusalem? Quaestio fuisset valde otiosa. Verum cum audit murum esse dissipatum, portas igni combustas, vim fundit lacrimarum, luget diebus multis, ieiunat, orat Deum, tristis est ita ut rex causam tristitiae exquirat 2,2. 3. Iam vero urbem a Chaldaeis ante plurimos annos esse destructam et combustam Nehemias scivit antequam illi advenirent; calamitatem itaque recenter factam et aliam a priore illa deflet et luget; nuntium alium et aliud responsum exspectaverat, nuntium scil. urbem iam esse aedificatam vel saltem prospere rem agi. Sed spe sua deiicitur; inde acerbe luget. Quomodo enim probabile est Nehemiam anno c. 445 subito in lacrimas prorumpere, cum ei dicatur quod ante annos c. 140 factum sit et quod a puero factum esse scivit? Eum autem flere de calamitate recenter facta, contra spem facta, quid magis ad animi naturam consentaneum esse potest? Hisce igitur evinci videtur iam ante annum 20 Artaxerxis, igitur anno eius septimo potestatem urbis aedificandae esse datam; esse etiam aedificationem inceptam, murum erectum, portas factas; at postmodum aedificationem non solum inhibitam, uti rex male edoctus voluerat, sed ab inimicis plane iterum dirutam. Quare simul iam videmus impleri oraculum fore ut restituatur murus *in angustia temporum;* quae temporum angustiae etiam tempore Nehemiae minime deerant; adeo enim est, ut *Beda* iam notat ad angustiam temporum declarandam, a finitimis gentibus impugnatus Nehemias, ut structores singuli gladio renes accincti una manu pugnasse, altera murum recuperasse narrentur (cf. Neh. 4,1-15).

Cum Xerxes occisus esset anno 465, septimus annus Artaxerxis probabilissime incidit in annum 457, si Esdras computandi rationem apud Persas usitatam secutus est. Ex inscriptionibus enim Cyri v. g. scimus annum accessionis ad thronum, dein annum regni primum etc. numeratum esse (vide p. 171). Iam si annus ille 7 respondet anno u. c. 299, hebdomades annorum 69 vel anni 483 effluxerunt anno u. c. 782 i. e. ex aera Dionysii anno 29 p. Ch. quo tempore Christus secundum multos ad baptismum venit. Cum non constet inter chronologos quando Christus natus sit, ratio temporis omnino accurate nequit definiri. Si ad annum 457 a. Ch. addideris annos 483, pervenies ad annum 26 p. Ch. quo tempore secundum alios ad baptismum venit. Vide de ratione computandi *Neteler,* Tübinger Quartalschrift 1875 p. 136 et *Rohl.* p. 270. 271. Annum 7 Artaxerxis esse annum a quo initium capiendum sit hebdomadarum iam statuit *Tir.* qui eum annum esse dicit an. 4 olympiadis 80 et u. c. 297 « a quo anno si calculos subduxeris usque ad 15 annum Imperatoris Tiberii quo Christus est baptizatus i. e. usque

ad annum 3 olymp. 201 et u. c. 780 deprehendes annos 483 vel 69 hebdomadas ». Eandem sententiam amplectuntur *Sanct. Lap.* et ex recentioribus *Delattre, Neteler, Palmer, Rohl.;* complures ex protestantibus *Z.* recenset p. 189, eiusdem sententiae est *Aub.* p. 123.

Dictionem ***ab exitu sermonis*** explicat ***Stawars,*** Tübinger Quartalschrift 1868 p. 418 eo sensu ut dicatur ab impletione vaticinii de urbe aedificanda, igitur a tempore urbis iam restitutae; murum autem urbis ex Flavio Iosepho esse completum anno ab initio regni Xerxis 28 i. e. anno 458 a. Ch. vel u. c. 296; unde si Christus baptizatus sit u. c. 780 vel 27 p. Ch. hebdomadas annorum effluxisse 69 et septuagesimum incipere a mense ianuario 27 p. Ch. — At ***ab exitu sermonis*** non est idem quod impletio oraculi. Nam ***exitus sermonis*** certe eandem habet notionem quam habet dictio verbum egredi; hebr. מוֹצָא et יָצָא; iam verbum egreditur vel egressum est nunquam dicitur de ipsa illa re iam facta de qua verbum loquitur, sed solum de ipso sermone qui ore profertur aut prolatus est; ita vovere, votum nuncupare vel enuntiare significatur ea dictione Num. 30,3 hebr. 32,24. Iud. 11,36. Ier. 44,17; ratione magis generali Ios. 6,10 : non clamabitis nec audietur vox vestra neque ullus sermo ex ore vestro egrediatur; similiter Esth. 7,8 : necdum verbum de ore regis exierat et statim operuerunt faciem eius; dicitur de edicto regio Esth. 1,19; de sententia iudicis Hab. 1,4. Ps. 17,2; de rumoribus qui in vulgus sparguntur Esth. 1,17; sim. Ps. 19,5. Cum usus adeo constans sit, arbitrarium est dictionem eam alio sensu accipere, praesertim quia de oraculis quae dantur etiam usurpatur, ut supra iam monui: cf. Is. 45,23; 48,3. Ez. 33,30 : audiamus quis sit sermo egrediens a Domino.

Haud pauci tum ex veteribus, tum etiam ex recentioribus initium 70 hebd. computant ab anno 20 Artaxerxis et ab illo decreto, de quo mentio est Neh. 2,5-8. Ita iam Africanus, S. Chrys. Isidorus pelusiota, Theod. Beda, ille anonymus saec. 12, Albertus magnus, Theodosius melitenus, Ioannes Zonaras, Lyranus, Dionysius carthusianus (cf. ***Fraidl*** p. 156 seq.), Galatinus et ex recentioribus Salmeron, Pererius, Pandulphus, Men. Gord., Petavius, Natalis Alexander (Historia eccles. II p. 329, Parisiis 1730), Calm. Dereser, Allioli, Bade, Reinke, Loch, G. K. Mayer, Corluy[1], Trochon, Cornely, Palmieri, Hebbelynck, et ex protestantibus praeter aliquos veteres praesertim Hengstenberg. Decretum illud tamen plerumque adscribunt anno 454 a. Ch.; statuunt enim Artaxerxen iam ab anno 474 simul cum Xerxe regnasse et ab eo iam tempore eius regni annos computari. Immo *Stawars* censet a Xerxe filium Artaxerxen quinque annos natum, cum expeditionem in Graeciam susciperet, regem esse nominatum; igitur anno 480 a. Ch.; et Nehemiam iam anno 460 i. e. anno vigesimo Artaxerxis esse in

---

1. Eam sententiam in se spectatam existimat *Corluy* probabiliorem, sed alteri quoque de anno 7 satis probabilitatis tribuit, ut assumi possit, si melius vaticinii adiunctis aptari probetur.

urbem profectum et anno 458 moenia urbis esse completa. At quantum video chronographi recentissimi annos Artaxerxis regis computant a morte Xerxis; id quod ex norma communi qua regum Persarum annos solent computari praeferri debet. Decretum anno septimo Artaxerxis datum secundum priorem sententiam esset confectum Xerxe regnum tenente et tamen solo nomine et auctoritate Artaxerxis est inscriptum et promulgatum! Reponit quidem *Stawars* Xerxen ab expeditione graeca reducem nomine filii sui res administrasse ideoque decretum illud Artaxerxi esse adscriptum. Sed quis hanc explicandi rationem amplectetur?

Annos Artaxerxis a termino priore esse computandos *Stawars* ex ipso libro Nehemiae ostendere conatur. Eliasib enim sacerdotio fungebatur anno 12 postquam Nehemias praefectus Iudaeae erat constitutus; unde si in libro Nehemiae anni Artaxerxis a morte Xerxis numerantur, Eliasib etiam anno 433 a. Ch. inter vivos erat. Id autem improbabile esse contendit; nam Neh. 12,22 enumerari quattuor sacerdotes magnos qui inter se successerint : Eliasib, Jojada, Johanan, Jeddoa quorum ultimus mortuus sit tempore Darii nothi, fortasse c. annum 405 a. Ch.; unde si pro unoquoque pontifice anni sacerdotii numerentur 20, Eliasib iam anno 465 a. Ch. munere suo defunctum esse necessario sequi. At haec argumentatio nullo modo est certa. Nam Neh. 12,22 non de quattuor tabulis sermo est quae confectae sint sub quattuor pontificibus inter se succedentibus, sed sensus verborum obvius est de uno albo quod confectum sit in diebus quattuor illorum de domo et familia pontificis. Legitur enim : levitae, in diebus Eliasib et Jojada et Johanan et Jeddoa scripti sunt principes familiarum et sacerdotes quidem in regno Darii Persae. Iam in aliis eiusdem capitis tabulis v. 1. 12. 26 de uno solum pontifice agitur cuius tempore tabulae sint confectae; insuper in v. sequenti v. 23 additur ex quo fonte haustae sint illae tabulae, scil. « ex libro verborum dierum et quidem usque ad dies Johanan filii Eliasib » i. e. ex annalibus qui usque ad tempus Johanan res gestas recensebant; igitur tabulae illae in v. 22 non possunt esse tabulae sub quattuor pontificibus confectae. Sensus ergo verborum est eo tempore tabulas esse factas cum quattuor illi ex familia pontificis essent simul inter vivos. Iam vero patrem, filium, nepotem nepotisque filium in una familia exsistere non est adeo mirum, dummodo Eliasib ad aetatem satis provectam pervenerit. — Alterum ex quo *Stawars* argumentatur est Esdram iam cum Zorobabel et Iosue anno 536 in Ierusalem venisse; superstitem autem fuisse usque ad dedicationem muri Ierusalem (Neh. 12,35); quare si haec dedicatio incideret in annum 443 a. Ch., Esdram eo tempore iam plus 112 annos natum fuisse censeri debere; unde annos Artaxerxis non ab anno 465 esse computandos. At Esdram iam cum Zorobabele rediisse falsum est. Utique Neh. 12,1 vir quidam Esdras nomine cum Zorobabele ascendisse dicitur; at hunc virum non esse Esdram scribam et sacerdotem ex eo patet quia in libro Nehemiae si de Esdra scriba sermo infertur, non nudum nomen ponitur, sed titulus scribae vel sacerdotis additur; ita vide Neh. 8,1. 2. 4. 9. 13; 12,26. 35. Quare 12,1 alius est intelligendus, sicut etiam 12,33.

Ceterum in assignando tempore quando exierit sermo maxima cernitur interpretum dissensio. Et Origenes quidem (in comment. Matth. ad c. 24) ab Adam incipit numerare; ibi enim 70 hebd. explicat de 4900 annis; aliter, ut *S. Hier.* refert, censuit in decimo Stromatum volumine : « studiosius requirenda sunt tempora a primo anno Darii filii Assueri usque ad adventum Christi quot anni sint et quae in illis gesta dicantur, et videndum est an ea possimus adventui Domini coaptare ». A primo anno Darii Medi etiam numerant Hip. Iulius Hilarianus, Polychronius, Petrus Alphonsi quem Petrus blessensis sequitur. A primo vel secundo anno Cyri, cui anni regni 30 adscribuntur, exordium numerandi capiunt Clemens alexandrinus, Pseudo-Cyprianus, Eusebius (in prima computatione), qui tamen in altera a sexto anno Darii Hystaspi numerat, Petrus archidiaconus; Sulpicius Severus incipit ab anno altero Darii (nothi), « cui Ochus tum nomen erat », Tertullianus vero ab eiusdem anno primo eumque sequuntur Iulianus toletanus, Petrus Damianus, Petrus Mauritius; Basilius seleuciensis initium capit ab urbis aedificatione, quam finitam esse dicit ex Flavio Iosepho anno 28 Xerxis; cf. *Fraidl* p. 156 seq.

Neque minor est varietas inter recentiores. Alii enim incipiunt ab anno quarto Ioakim (Hardouin), Vat. a vaticinio Ier. 29,10; Calm. in dissertatione a vaticinio Ier. 50,19; Lyranus in altera computatione a quinto anno Sedeciae, ab eius quarto anno Raimundus Martini, Paulus burgensis et Galatinus qui ad confutandos Iudaeos ab hoc anno computationem inchoari vult, sed ut veritas habeatur ex nostris historiis, ab anno 20 Artaxerxis (l. c. p. 238. 240). Alii a Cyri edicto Esdr. 1; ita Kleinert, Naegelsbach, Ebrard, Kliefoth quos sequitur Keil; alii aliter; at omnium enarrare tentamina non opus est; aliqua postmodum erunt proponenda.

Varie quoque quis sit Christus dux exponunt. Zorobabelem designari docent Clemens alexandrinus, Iulius Hilarianus; Iosue sacerdotem Hippolytus, seriem pontificum Eusebius, Petrus archidiaconus; Cyrum ipsum Petrus Alphonsi, Petrus blessensis, Hardouin, Calm. in dissertatione, Hitzig, Zoeckler; Nehemiam Berthelet. Ipsum autem Iesum Christum plerique agnoscunt a vate describi; ita Origenes, Cyrillus hierosolymitanus, Theodoretus, Chronicon paschale et interpretes plurimi. Iudaeorum sententias refert Galatinus p. 242 quorum alii Cyrum, Zorobabelem alii, alii Iosue sacerdotem, Nehemiam alii intelligunt.

Per septem hebdomadas i. e. 49 annos Ierusalem restituetur et aedificabitur. Ita ex vaticinio. Proin c. annum 408 aedificatio erat completa. Id ex rerum gestarum monumentis non satis potest demonstrari, cum testimonia certa desint. At quae exsistunt ita fuisse suadent. Esdras in Iudaeam reversus est c. annum 457; post annos 13 advenit Nehemias qui per annos 12 dux erat in terra Iuda (Neh. 5,14; 13,6); dein rediit ad regem Artaxerxen, sed post aliquod tempus quod non accuratius determinatur (« in fine dierum ») iterum reversus est in Iu-

daeam. Eum diutius abfuisse ex variis abusibus qui irrepserant concludi potest. Per id igitur tempus non sine magna rerum difficultate urbs paulatim est restituta. Hebr. verte : *aedificabitur* (Ierusalem scil.) ita ut sit *spatium amplum* et *munimentum;* ceterum verba hebr. varie concipiuntur : Theodotio πλατεῖα καὶ τεῖχος; ita quoque *vulg.;* LXX εἰς πλάτος καὶ μῆκος v. 27; modus igitur declaratur quo urbs sit restituenda. רְחוֹב designat amplum spatium, forum, plateam; proinde urbem aedificatum iri ita ut fora habeat et plateas; magis controvertitur de חָרוּץ; *fossam* multi explicant qua scil. urbs vallumque circumdetur; proinde in una re designari urbem munimentis protegi ac defendi; urbem itaque iri exstructum et magnam et bene munitam. Quod utrumque etiam *Theodotio* et *S. Hier.* exprimunt. Aedificationem autem fore *in angustia temporum* i. e. inter multas molestias atque vexationes; de quibus vide Esdr. 4,7 seq. Neh. 1,3; 4,1 seq. 6,1 seq.

Vocem חָרוּץ alii aliter concipiunt; verbum significat *secuit, abscidit;* unde aliqui vertunt : et decretum est vel ut constitutum est (*Hengstenberg, Haevernick, Lengerke, Wieseler, Kranichfeld* apud *Z.* et *Keil*). At medium in oraculum tale inseri membrum quo sermo dure interrumpatur admitti nequit. Quare alii vocem concipiunt quasi oppositam priori : spatium definitum, ut scil. urbs aedificetur cum spatiis quidem amplis, attamen definito quodam ambitu (*Keil*); sed urbem non exstrui in indefinitum per se liquet; unde id addere inutile est. *Hitz.* olim vertit : ut decretum est; postea autem voce illa vicos et regiones urbis designari censuit seriesque domorum; at urbem constare non solum foris et spatiis amplis, sed insuper requiri domus quis putabit vaticinio declarari? Alii aquaeductum interpretantur vel lacum (*Reinke*). *Syrus* praebet : et aedificabit Ierusalem, vicos (fora) et plateas. Cum vox aramaica חָרִיץ significet *fossam* (cf. Iob 38,24; *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 284), eadem notio hoc loco erit retinenda; usus enim linguae aramaicae Danieli erat familiaris; verum fossam explica de parte munitionis; cf. *Corluy*. Sensus exsistit aptus : urbs aedificabitur magna et bene munita.

Quid hebdomades septem sibi vellent dictum est. Iam de hebdomadibus 62 agit vates, ea repetitione simul declarans membrum antecedens de urbe aedificanda referendum esse ad 7 hebd.; v. 26 *et post hebdomadas* 62 *occidetur Christus;* hebr. מָשִׁיחַ qua voce necessario idem ille significatur qui in v. 25 *unctus dux* eadem voce designabatur. Praedicit itaque Daniel de illo uncto idem quod Isaias de servo Domini vaticinatus erat cap. 53. Variis modis iam Isaias mortem violentam Messiae declaraverat (cf. Comment. in Is. II p. 299 seq.) et mortem eam ab eo obiri pro aliis, pro nobis saepius clare significaverat. Utrumque etiam hic voce יִכָּרֵת exprimitur; mors notatur violenta : exscindetur, delebitur; dein vox haec est sollemnis in poena pro gra-

vibus delictis annuntianda; vide Gen. 17,14. Ex. 12,15. 19; 31,14. Lev. 7,20; 17,4. 14; 18,29; 20,18. Num. 9,13; 15,30 etc.; dicitur itaque Messias illo mortis genere perimendus quo peccatores puniendi erant; sollemnis illa in lege formula : *exscindetur* etc. iam in ipsum vertitur; quod nihil aliud est nisi eum in se suscipere mortem eam quam peccatores sibi promeriti sint. Quae verba si potissimum cum Is. cap. 53 comparantur, iam ante impletionem intelligi poterant; sunt enim simplicia ac dilucida neque unctus alius intelligi poterat nisi qui in v. 25 designatus erat; secus haberetur, ut *Corluy* dicit, inextricabilis verborum confusio. Christum autem revera *post* 69 hebdomadas i. e. *post* annos 483 ab exitu sermonis i. e. ab anno septimo Artaxerxis, ergo post annum c. 26 p. Ch. mortuum esse nemo est qui neget.

Textum hebr. optime verterunt *Syrus* et *S. Hier.;* Theodotio praebet ἐξολοθρευθήσεται χρῖσμα; pariter in versione latina ante *S. Hier.* legebatur : exterminabitur unctio, vel ut alibi fertur : interibit chrisma. Quare mirum non est Patres graecos et ante *S. Hier.* latinos quoque hoc membrum non de Christo explicasse; si enim versio deficit, quomodo vera explicatio posset exspectari? Solus *S. Ephr.* versione syriaca clara adiutus sensum bene attigit et versione a *S. Hier.* facta etiam *S. Augustinus* (ep. 199 n. 19; Civ. D. 18,34; *M.* 33,911; 41, 593), *Beda* etc. Exterminari autem unctionem acceperunt de oleo unctionis, dein de cessatione sacerdotii veteris foederis, vel etiam de templi destructione et dissolutione reipublicae iudaicae. Eusebius id retulit ad Hyrcanum quem Herodes interfecit, quo tempore pontificia illa unctio quae ordinem ac progressum habuit usque ad Herodem et Augustum terminabatur; « Herodes enim Hyrcano interfecto non amplius iis qui a parentibus succedendi ius haberent ministerium illud concessisse dicitur, sed ignobilibus quibusdam obscurisque hominibus »(*M.* 22,622). Pariter explicat Iacobus edessenus de tempore quo Herodes ascalonita regnum iudaicum invasit (in operibus *S. Ephr.* ad h. l.). Simili modo explicat Basilius seleuciensis : cornu dicit quo reges et prophetae, populi civitatisque iudices ungebantur. Commodianus exterminari ait chrisma regale; chrisma quod fuit in templo a populo esse sublatum Origenes exponit; in templi autem destructione Pseudo-Cyprianus verba videt impleta. Plane singularis est Ammonii sententia : haec ad antichristum spectant qui post Christi adventum in fine dierum iam non permittet hominem christianum administrare baptisma. — Referente Eusebio vertit Aquila καὶ μετὰ τὰς ἑπτὰ ἑβδομάδας καί ἑξήκοντα δύο ἐξολοθρευθήσεται ἠλειμμένος καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ, Symmachus autem... ἐκκοπήσεται χριστὸς καὶ οὐκ ὑπάρξει αὐτῷ; qui duo itaque praeter Syrum et S. Hier. textui hebr.

ferunt egregium testimonium. LXX ἀποσταθήσεται χρῖσμα καὶ οὐκ ἔσται.

Subditur quid ex occisione Christi secuturum sit. Duo assignantur : ipsum quidem minime iri exterminatum, perditum vero iri civitatem et sanctuarium. Hebr. *et non ei et civitatem et sanctuarium perdet populus ducis venientis* i. e. id quod dictum est יִכָּרֵת *exterminabitur,* funditus exterminari non ei contingit, verum dum eum perdere volunt, ipsi sibi ac urbi et templo interitum et exterminationem moliuntur. Ad illud *et non ei* supplenda itaque est notio ex antecedenti verbo, ita ut exterminatio illa ex una parte asseratur de Christo, ex altera parte negetur, id quod de Christo optime valet qui morte sua vicit, qui morte sua imperium ac gloriam acquisivit aeternam. Qui loquendi modus etiam ex Isaia commendatur; postquam enim servum Domini morte violenta abreptum dixit 53,3-9, statim eum exhibet viventem, Dei consilia exsequentem, gaudentem de fructu laborum, suos reddentem sanctos v. 10. 11. Atque nostro loco haec explicatio suadetur quoque sententia sequenti qua edicitur cui tandem exterminatio sit futura. Ad dictionem וְאֵין לוֹ suppleri notionem ex verbo antecedenti non est inusitatum; lege Ex. 22,2 hebr. (et si non ei scil. erit quod reddat, ipse venumdabitur). Ea enim est notio אין ut significet *non est,* sed quid non sit, ex nexu sententiarum et voce praeeunte declarari debeat; notio autem in sententia praedominans, immo una quae exprimitur est *exscindetur;* quare eam suppleri oportet. Ita habetur oppositio efficax et simul exprimitur quod iam annuntiatur quoque Ps. 15,10 : non derelinques animam meam in inferno nec dabis sanctum tuum videre corruptionem; dein vaticinium sisti in occisione Christi ita ut nihil de eius post mortem vita et imperio innuatur, vix credibile est, cum etiam in Ps. 21 morte eius descripta quam praeclaros fructus ille editurus sit a v. 23-32 praeclare exponatur[1].

At in his verbis explicandis magna deprehenditur apud interpretes varietas. Aliquae explicationes referendae sunt. Illae repudiandae sunt in quibus אין accipitur ac si scriberetur אֵינֶנּוּ et ipse non est; quae sententia insuper falsa est. Pariter falsum est vertere *et nihil ei erit,* id quod praeterea notioni vocis אין repugnat. Cum de Messia sermo sit, neque eius interitus neque eius omnium rerum spoliatio praedici potest. Idem dici debet de aliis explica-

1. Similiter praeter alia etiam accepit verba haec *Salmeron;* scribit enim : « vel non ei nocebit mors, quia statim victor a morte resurget; immo non tantum ei non obfuit, sed etiam ad gloriam profuit; si leges *non erit,* intellige : non erit excisio in veritate, sed auctio potius, quia non finietur in morte, sed in vita gloriosa ».

tionibus quibus suppletur : imperium, sanctuarium, populus, asseclae (*Rohl. Troch. Palmieri, Heb. Corluy :* id quod ad eum pertinet; *Hengstenberg, Keil*). Morte enim sua ea quae Messiae esse debent nullatenus amisit, sed acquisivit sibi imperium et gloriam et populum, prout iam ab Isaia 53,10-12 et in Ps. 21, 23 seq. egregie dictum est. Neque placet vertere: et non (est, fit) sibi, non sua causa mortuus est, non ad suum commodum, sed aliorum causa (*Reinke, Mayer*). Id enim quod per se enuntiatur, parum dicit, immo potius ineptum videri potest; cum in aliorum utilitatem et aliorum causa occisum esse verissimum quidem est; at quis credet id eo modo exprimi a propheta, ut solum dicat eum non ad suam utilitatem mortem obiisse, et quod rem constituat plane omittat? Neque placet expositio : non sui causa i. e. non ob aliquam suam culpam; cui enim de culpa Messiae in mentem venire posset postquam prophetae tam praeclara de eo vaticinati sunt? Alii supplent: non est ei adiutor vel opem ferens (*Mar. Z.*); id quod supplere audacius est. Theodotio vertit καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. Cum Theodotio praebeat κρίμα, fortasse legit דִּין, quae lectio (omissa negatione) וְדִין לוֹ *et iudicium ei* omnino apta esset. Diceretur enim Messiam post mortem suam exerciturum iudicium, quod iudicium in urbem et sanctuarium statim subiungitur, et haberetur idem quod Is. 63,4 : dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meae venit; dein Messiam instituturum esse iudicium, iustis in salutem, in poenam peccatoribus, haud raro a prophetis declaratur (vide Comment. in Is. II p. 456). — Quae in *vulg.* leguntur, *S. Hier.* affert, dum suis verbis perstringit quae Hebraei de hoc loco sentiunt; sed addit : sive non erit illius (illis?) imperium quod putabant se retenturos (*M.* 25,552). Quae in *vulg.* leguntur, dicunt populum eum qui negaturus sit Messiam ab eo esse repudiandum et desinere esse populum Dei.

In oraculis prophetarum eventus illi arcte inter se coniungi solent qui etsi tempore sint inter se dissiti tamen interno quodam nexu cohaerent (vide quae notavi ad Mich. 1,9). Id hoc quoque loco cernitur. Quare nullo pacto sequitur ex indole vaticiniorum interitum urbis et sanctuarii in idem tempus incidere cum morte Messiae; sed ut vates ab uno eventu ad alterum immediate transeat, sufficit si illi eventus inter se ita coniunguntur, ut prior sit causa alterius. De qua re iam *Beda* advertit : « quod autem sequitur : et civitatem et sanctuarium dissipabit... non ad 70 hebdomades pertinet, sed Scriptura praedicto adventu et passione eius quid etiam post hanc populo qui eum recipere nollet esset eventurum ostendit » (*M.* 90,336) et *Amulo* episcopus notat ad v. 26 : « quibus verbis evidenter ostenditur quia non solum vastationem civitatis et templi praecessit adventus et passio Christi, sed etiam propter ipsam passionem et mortem quam ei impie intulerunt continuo subsecuta sit illa subversio » (*M.* 116,150). Atque *Salmeron* advertit, ut hoc immediate addatur id sufficere quod peccatum Iu-

daeorum in interficiendo Messia commissum promeruerit vastationem. Ipsa itaque collocatione sententiarum eversio urbis templique tamquam effecta proponitur propter occisionem Messiae. Populum intelligi exercitum Romanorum duce Tito didicimus impletione; intelligi exercitum habes in voce הַבָּא quae apud Danielem et alias de bellica expeditione adhibetur; cf. 1,1; 11,10. 13. 15. 16. 40. 41. Et qualis perditio inferenda sit exponitur *et finis eius* (rei scil. de qua agitur, civitatis templique) *in inundatione;* vim et impetum belli vates declarat (*Sanct. Lap.*); « perniciem funditus sustinebunt qualem olim sustinuerunt homines, cum omnem terram diluvium tegeret » (*Theod.*). De calamitate magna quae aquarum inundantium instar grassatur et cuncta ruinis quasi sepelit, inundatio saepius dicitur; cf. Ps. 31,6. Is. 8,7. 8. Nah. 1,8 et Dan. 11,10. 22. 26 hebr.

Illa autem inundatione omnia obvolvi neque rempublicam iudaicam unquam ex illis ruinis iri restitutum, ultimo membro statuitur: *et usque ad finem bellum, decretae vastationes* i. e. bello penitus conteretur civitas et templum et decretum est a Deo, ut sint et maneant ruinae. In civitate autem et sanctuario designatur res iudaica et civilis et religiosa; utraque ruinis perpetuis prostrata iacebit. Bene notari oportet hoc oraculum. Post mortem Messiae praedicitur urbi et templo destructio eaque perpetua. Quare hoc quoque vaticinio edocemur minime cum chiliastis exspectandam esse restitutionem urbis et templi in ultimo tempore regni messiani neque aliorum prophetarum oracula de urbe eo sensu posse intelligi (vide quae disputavi in Comment. in Ez. p. 512 seq.).

Destructionem praedici per Romanos quae effecta sit plerique exponunt: ita Tertullianus, Pseudo-Cyprianus, Eusebius saltem in una expositione, Athanasius, Polychronius, Isidorus pelusiota, Basilius seleuciensis, Beda, Euthymius etc.; at sunt qui ducem venturum ipsum Christum explicent, uti Tertullianus, Isidorus, Basilius, Euthymius (cf. *Fraidl* l. c. p. 38. 91. 93. 112). Alii ducem accipiunt de Herode sive Agrippa (Orig. Cyrill. hier.), de Herodianis (Eusebius in alia expositione), de regno alienigenarum et non legitimo pontificatu (Theod.), de antichristo (Bruno astensis). — Membrum illud ***et finis eius in inundatione*** aliqui referunt ad ipsum ducem bellica expeditione venturum (***Hitz. Z. Keil, Meinhold***); at perperam; nam inundatio imago est expeditionis militaris et exercitus irrumpentis, uti quoque infra 11,10. 22. 26 habetur; sed in ea expeditione dux ille perdet civitatem, ergo vincet; proinde summe improbabile est ipsum sua ipsius victoria interiturum esse. Porro membrum ultimum ipsa voce vastationum et ruinarum quae decretae sunt ad urbem templumque refertur; proinde valde inconcinnus esset sermo, si membrum medium de alia re esset dic-

tum. Quare omnino standum est ab explicatione plurimorum, membrum hoc referri ad urbem et templum.

e) **Novo foedere tollitur vetus 9,27.**

Cum in v. 26 dictum sit post hebdomadas septem et sexaginta duas, iam tempus designabatur hebdomadis septuagesimae i. e. illius unius quae post 7 et 62 relinquitur. Iam de hac hebdomada plura annuntiantur quae intra ipsam fiant et quae ex illis quae fiunt consequantur; unde sententia in v. 27 uti complet antecedentem, ita ad eius quoque structuram est conformata; v. 27 « *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium et erit in templo abominatio desolationis et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* »; — quid sit *corroborare foedus* ut probetur, oportet advertere iam esse sermonem de hebdomada septuagesima explicite; proinde quae in v. 24 dicta sunt fore in hebdomada septuagesima etiam in hoc loco significantur. Atque bona illa merito nomine pacti efferuntur et eorum largitio tamquam pacti confirmatio vel roboratio. Sunt etenim a Deo promissa; foedere inito cum Abraham spopondit Deus se in eo et semine eius omnibus gentibus esse benedicturum; vi istius foederis conclusum est foedus sinaiticum quod erat prolusio quaedam ac praeparatio bonorum promissorum. Insuper instauratio theocratiae et bona messiana iam ab Osee (2,18 seq.) et Ieremia (31,31 seq.) nomine foederis, foederis novi erant designata, immo iam ab Isaia ipse Messias propositus est tamquam dandus in foedus populi (49,8) et pariter locutus est Deus apud Ezechielem : et percutiam illis foedus pacis, pactum sempiternum erit eis (37,26); praeterea vide Is. 54,10; 59,21; 61,8 : foedus perpetuum feriam eis et 55,3 : et feriam vobiscum pactum sempiternum; Ier. 32,40; 33,21; Ez. 16,60. 62; 34,25. Cum itaque in oraculis ante Danielem toties declarata sit instauratio messiana nomine foederis vel pacti, et cum ipse Daniel iam antea bona messiana adscripserit hebdomadae septuagesimae, omnino certum est *corroborare foedus* de illo foedere messiano, de largitione bonorum messianorum, de fundatione regni messiani esse intelligendum. Ad quem locum notat Polychronius : accuratissime dixit δυναμώσει, quia ante Christi adventum bona illa erant in promissione; ipse autem illa adventu suo firma reddidit, et erit foedus certum et firmum neque poterit ulla re concuti vel mutari. Similiter verba de novo foedere explicant *S. Ephr. Euseb. Basil. Theod. Per. Sa, Sanct. Lap.* etc. etc.; neque multum ab ea sententia recedunt qui exponunt de illuminatione apostolo-

rum (*Orig.*), vel de Christi et apostolorum praedicatione (*Beda*). Dicitur autem *corroborare foedus,* quia novum hoc foedus est perpetuum neque unquam fiet irritum. Nova enim theocratia erit perpetuo sancta; Ecclesia est sponsa perpetuo fidelis.

Theodotio vertit sicut *S. Hier.* quoque, ita ut hebdomas una dicatur pactum roborare. Ita textus quoque hebr. intelligi potest et probabilissime debet. Nam in aperto est positum neque de populo ducis venientis, neque de duce veniente posse esse sermonem, cum ille non bona messiana, sed perniciem afferat; Messiam autem cum nomen longius absit hoc loco supplere durius videtur, quamvis sensus utique habeatur foedus per eum roborari. Neque est inusitatum ut quae in tempore fiunt ea tempus quandoque dicatur facere; cf. Iob 3,3 pereat nox quae dixit : conceptus est homo (hebr.), v. 10 quia non conclusit ostia ventris; 30,17. Mal. 3,19 hebr. Atque si rem consideraveris, apte ita dicitur, cum ea hebdomada regnum messianum sit fundatum; quodsi diceretur : Messias per unam hebdomadem multis roborabit pactum, verum quidem diceretur, at posset videri quasi Messias solum per hebdomadem annorum thesauros gratiae suae dispensaret. Ille autem semper vivit ad Ecclesiam suam regendam et ditandam; quare cum in oraculo nostro agatur de tempore determinando quando bona messiana sint populis aperienda, modus loquendi quo ipsum tempus per se et directe efferatur magis est consentaneus.

Qui modus etiam in altero membro servatur : *et media hebdomada cessare faciet sacrificium et fertum* i. e. sacrificia cruenta et incruenta quibus cultus sacrificalis veteris foederis declaratur. Unde clare praedicitur tum cessatura esse sacrificia vetera quando bona messiana venerint. Facta autem impletione, cur media hebdomas assignetur optime potest declarari. Hebdomas enim septuagesima ex calculo instituto incipit eo tempore quo Christus ad baptismum venit; vita autem eius publica tres annos et aliquot menses complectitur — clare enim in evangeliis quattuor paschata indicantur Ioan. 2,13; Luc. 6,1 tempus post alterum pascha, Ioan. 6,4 et Luc. 9,10 tertium, postea pascha passionis; cf. *Cornely,* Introd. III p. 282. — Unde Christi mors revera incidit in mediam hebdomadam; eius autem morte foedus antiquum iure cessavit et ritus et caerimoniae eius et sacrificia sunt abrogata. Id ostendebatur velamine templi scisso, id docet S. Paulus Rom. 7,4 : vos mortificati estis legi per corpus Christi et Gal. 2,19; id e re ipsa patet, cum umbra et typus et figura cesset quam primum ipsa apparuerit veritas. Morte itaque Christi evacuata sunt et significatione spoliata sacrificia vetera; iure cessabant illo sacrificio oblato quo peccata vere expiantur. Itaque defecit, ut *Alb.* loquitur, virtus

hostiarum et sacrificiorum; haec enim omnia in passione Christi mortua sunt; evacuantur itaque et tolluntur. Aliud est utrum statim etiam ritus illi externi auferantur necne. Vaticinium id tangit quod rem constituit. Postquam illi ritus significatione sua destituti sunt, mox revera etiam externe cessabant, in illa scil. inundatione de qua in v. 26.

Uti in v. 26 morte Messiae commemorata statim subiungebatur ruina urbis et templi ex illa occisione secutura, ita hoc quoque loco ad cessationem sacrificiorum eorumque abolitionem continuo additur vastatio templi eiusque ruina perpetua. Ita enim ratione manifesta omnibusque pervia declaratur sacrificia illa esse abolita et divinitus deleta, si unus sacrificandi qui exsistebat locus abominatione et maledicto iacet prostratus. Verba hebr. non carent difficultate. Theodotio vertit καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων; eodem modo LXX et similiter *S. Hier.*; unde veteres vocem כנף de templo interpretati sunt eamque in statu absoluto grammaticali legerunt, non uti apud mas. in statu constructo : et super alam (fastigium) abominationum. Atque illa veterum lectio videtur praeferenda, uti eam etiam praeferunt *Ges.* Thes. p. 698 et *Z.* Vocem כְּנַף veteres acceperunt de templo, si eam vocem omnino legerunt; vox dicit alam, oram; dein explicant de fastigio templi vel de eius pinnaculo, ut sit notio eadem ac πτερύγιον Matth. 4,5, vel etiam ex significatione alae de laterali aliqua templi parte, de aedificio adiecto. Secundum interpretationem LXX, Theodotionis, Syri, S. Hier. etiam מְשֹׁמֵם est substantivum ἐρήμωσις, desolatio; nomen quippe eadem ratione formatum esse potest qua מְתָעֵב rem dicit abominabilem (*Hitz.*). Apponitur autem ad antecedens nomen sicut v. g. Ps. 45,5 hebr., ita ut explanari oporteat abominationes quae sint res horrendae, horrificae. Sensus itaque est : super fastigium templi venturas esse abominationes horrendas. Cum *abominationes* שִׁקּוּצִים frequenter de idolis dicantur (1 Reg. 11,5. 7. 2 Reg. 23,13 hebr. Ier. 4,1; 7,30; 13,27; 16,18. Ez. 5,11; 7,20 etc.) et de cultu idololatrico et de idololatris qui sint abominabiles coram Deo (Os. 9,10. Zach. 9,7), non solum illa intelligi possunt scelera quibus tempore belli iudaici ipsi Iudaei zelotae qui dicebantur locum templi foedarunt, verum etiam profanationes illae a Romanis invectae, dum signa militaria et idolorum imagines in loco olim sacro collocarentur (cf. *S. Ephr. Theod. Chrys. Per. Lap. Tir. Calm. Loch, Corluy*).

Sicut in ultimo membro v. 26 desolatio declaratur perpetua, ita hic quoque excidium plene cumulateque futurum annuntiatur : *et usque ad consummationem eamque firmiter decretam* (consummatio

vel excidium) *effundetur super vastitatem* i. e. super locum vastatum iterum iterumque vastatio ac desolatio erit, largiter effundetur vehementis instar imbris vel tempestatis, donec excidium omni ratione absolutum ac perfectum fuerit consummatum, quod iudicio divino est decretum ac sancitum. Proin verbis gravissimis interitus ac destructio templi et cum eo cultus iudaici ac reipublicae iudaicae annuntiatur. Abolitio enim et abrogatio sacrificiorum veteris testamenti eo quoque manifestetur oportet, ut templum diruatur et perpetuis suis ruinis perpetuo iacere illa quoque prostrata et sublata contestetur omnibusque reddat perspicuum. Permanet igitur, ut Eusebius dicit (*M.* 22,629), illa templi desolatio in hunc usque diem singulis diebus in deteriorem solitudinem corruens.

Secundum puncta *mas.* verti oportet *et super fastigium abominationum vastator* vel vastatio. Sensus non differt a priore explicatione. מְשׁוֹמֵם explicatur etiam *vastator;* scil. participium poel verbi שָׁמֵם (*Reinke*, *Bade*, *Rohl. Corluy, Keil*). Dictio eadem legitur 11,31 הַשִּׁקּוּץ מְשֹׁמֵם quae tamen propter articulum in priore voce positum verti nequit *abominatio vastatoris;* neque abominatio vastans, nam si esset adiectivum, vix posset articulus omitti; quare commendatur expositio: illa abominatio quae est res horrenda. Huic acceptioni concordat dictio valde similis 12,11: שִׁקּוּץ שֹׁמֵם abominatio vastata vel desolata, horrida; de verbo שָׁמֵם vide Ez. 33,28; 35,12. 15; 36,4 etc.; quare שׁוֹמֵם quod in ultimo membro legitur significat id quod vastatum est vel horridum; inde habuimus in v. 26 שׁוֹמֵמוֹת et item Is. 49,19 et 61,4, ubi in *vulg.* solitudines, deserta ponuntur. Quod in fine v. 27 dicitur *super vastatum,* sensum exprimit eius quod in membro antecedente vocabatur מְשֹׁמֵם, quae vox cum Esdr. 9,3. 4 quoque legatur, neque tamen notione vastatoris, sed tristis, moerens (ut *vulg.* habet) vel stupescens, horrens, in dubium vocari potest liceatne explicare *vastatorem,* quae scil. significatio pro hoc solum loco assumpta videtur neque apud veteres reperitur. Duae enim istae voces apud veteres eodem modo explicantur; Theodotio habet utroque loco ἐρήμωσιν; Aquila et Symmachus in priore loco ἐρημωθήσεται, altero ἠρημωμένον (apud *Field*); alia versio graeca pariter utroque loco ἀφανισμόν; etiam *Syrus* utrimque praebet חבלא perniciem, pestem. Notatu quoque dignum est Aquilam et Symmachum vertisse ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τῶν βδελυγμάτων (*Field*); ergo כנף in statu constructo acceperunt, sicut in textu *mas.* legitur; ἀρχή, in syr. hex. רישא significabit cacumen, fastigium h. l.

f) De interpretatione messiana.

S. Iustinus in dialogo cum Tryphone, Cyprianus in testimoniis contra Iudaeos, Lactantius in Instit. 4,16 seq. Gregorius nyssenus in te-

stim. adversus Iudaeos, dum alia vaticinia messiana pertractant, huius quod nunc prae manibus habemus mentionem non faciunt (cf. Tübinger Quartalschrift 1868 p. 540). Fortasse hoc oraculum illis visum est obscurius, modus computandi hebdomadas incertus, explicatio anceps et in varias partes quae flecti possit, indeque ad persuadendum et ad convincendos adversarios minus vel apta vel efficax. Ceterum apud alios Patres in hoc oraculum multo studio est inquisitum, id quod praeprimis *Fraidl* insigni commentatione ostendit. Postquam centum et septem interpretes usque ad Dionysium carthusianum (+ 1471) recensuit, ita fere concludit : si ea quae christiani homines de hoc oraculo commentati sunt paucis complectimur, deprehendimus ex iis qui accuratius id explicarunt omnes, solum exceptis Iulio Hilariano, Apollinario et Hesychio (qui duo eschatologice interpretati sunt), vaticinium hoc concepisse tamquam messianum; omnes eius interpretationis argumentum firmissimum inveniunt in v. 24; plerique quoque in priore parte v. 27 Eusebio duce notam deprehendunt messianam, explicantes pactum de doctrina evangelii et docentes sacrificio in cruce oblato abolita esse sacrificia vetera; ii demum qui usi sunt vel versione syriaca vel versione *S. Hier.* vel qui textum hebr. consuluerunt, in v. 26 etiam Christi mortem praedici docent. In reliquis autem explanandis et praecipue in computatione hebdomadum magna cernitur varietas (*Fraidl* p. 154. 156-159).

Interpretatio messiana commendatur itaque maxima auctoritate et consensu fere unanimi interpretum christianorum. Atque interpretes quoque catholici a tempore Dionysii carthusiani usque ad nostra tempora vestigiis maiorum fideliter haeserunt messianam interpretationem propugnantes. Solum excipe quantum equidem scio duos : *Hardouin et Calmet* (in dissert.) qui tamen sensu typico oraculum ad Christum pertinere volunt, dum illud sensu litterali tempore Machabaeorum et in occisione Oniae qui sit unctus in v. 26 impletum esse opinantur. Quae tamen sententia quam primum prolata est vehementer ab aliis est impugnata, et merito quidem; vide v. g. La sainte Bible en Latin et en François, avec des notes littérales, critiques etc. de M. l'abbé de Vence etc. Paris 1749, vol. 9 p. 485 seq.

Haec autem interpretatio messiana vehementer suadetur ut unice vera 1° ex bonis illis quae in v. 24 promittuntur et quae sunt bona messiana, prout ex aliorum prophetarum oraculis constat; id quod supra iam satis declaratum est; 2° ex ipsa impletione i. e. si Christi adventum, mortem, ea quae eius mortem consecuta sunt cum verbis oraculi conferimus, fatendum erit cuncta habere explicationem facilem, obviam, claram. Nam *a*) hebdomades annorum (quas fere omnes,

etiam rationalistae, statuunt), hebdomades 70 ab exitu sermonis de urbe aedificanda finiuntur tempore illo quo Ecclesia Christi in qua bona messiana reconduntur et hominibus praesto sunt originem cepit; *b*) post hebdomades 69 Christus revera occisus est; *c*) morte sua qua obiit post annos tres mensesque complures vitae publicae revera abrogavit sacrificia vetera; vere itaque dici possunt cessasse hebdomada media vel in dimidio hebdomadis septuagesimae — utrumque enim חצי significare de se potest —; *d*) post Christi mortem civitas et sanctuarium destructum est a Romanis duce Tito; *e*) atque ista ruina reipublicae iudaicae ex eo tempore iam non est reparata. Si igitur verba oraculi et has res gestas inter se comparaveris, nonne fateri debebis maximam utrorumque cerni consonantiam? Itaque profecto dicendum est iis rebus et eo tempore declarari et manifestari vaticinii sensum.

Huic acceptioni pondus accedit non minimum 3° ex verbis Christi : « cum ergo videritis abominationem desolationis (τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως), quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes » (Matth. 24,15. Marc. 13, 14). Christum vaticinari de excidio urbis futuro, elucet, uti iam argumentatur S. Paschasius Radbertus (*M.* 120,806), ex verbis apud Lucam 21,20 : cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio (ἐρήμωσις) eius; tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes et qui in medio eius sunt, discedant et qui in regionibus sunt, non intrent in eam. Idem quoque patet ex contextu apud Matth. et Marc.; admonentur enim ut ex Iudaea fugiant; incepit Christus sermonem praedicens templi destructionem Matth. 24,2. Marc. 13,2. 3; transitus autem ad secundum Christi adventum et ultimum iudicium clare habetur postea Matth. 24,29. Marc. 13,24. Luc. 21,25. Porro verba quibus Christus utitur ex Daniele propheta deprompta esse censeri oportet ex loco quem tractamus, non ex 11, 31 ubi apud LXX βδέλυγμα ἐρημώσεως quoque legitur, neque ex 12,11 ubi eadem verba et apud LXX et apud Theodotionem habentur; nam iis in locis de re sermo fit quae tempore Christi iam erat facta, Christus autem loquitur de destructione templi tali qua non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur; sed Dan. 11,31 et 12,11 nullatenus agitur de destructione templi. De excidio quippe urbis et templi non fit mentio apud Danielem nisi nostro loco; est autem manifestum Christum de utriusque excidio instituere sermonem et quidem de excidio perenni; « et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum » Luc. 21,24. Sed talis interitus nullatenus descri-

bitur Dan. 11,31 neque 12,11; ergo necesse est Dan. 9,27 intelligi, ubi tale excidium in v. 26. 27 clare describitur.

Porro interpretatio messiana commendatur 4° eo quoque quod tempore Christi exspectatio vigebat Messiam esse venturum. Undenam haec exspectatio eo tempore explicari potest? Non ex solis rebus Iudaeorum afflictis; nam tempore Machabaeorum res iudaicae pariter erant prostratae, immo eorum religio persecutione dirissima impugnabatur et tamen ne minimum quidem cernitur vestigium exspectationis messianae; sperant fore ut propheta aliquis a Deo suscitetur (1 Mach. 4, 46; 14,41); at Christi tempore quo tamen religionem liberrime exercent subito spes messiana et exspectatio ubique viget apud Iudaeos, apud Samaritanos, uti testantur evangelicae narrationes et ipse quoque Iosephus scribens de suis aequalibus : « sed quod maxime eos ad bellum excitaverat, vaticinium erat ambiguum in sacris litteris repertum, illis circiter temporibus (ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον) quendam ex ipsorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum » (Bell. iud. 6,5, 4). Immo tanta erat eo tempore exspectatio, ut ei quoque a Suetonio et Tacito testimonium feratur; ille quidem ita scribit : percrebuerat oriente toto vetus et constans opinio esse in fatis ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur (Vespas. cap. 4); hic autem : antiquis sacerdotum libris contineri eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens profectique Iudaea rerum potirentur (Hist. V, 13). Iam unde explicari potest spem illam ad illud tempus esse relatam? Nulla habetur in vaticiniis temporis designatio pro Messia quae in illud tempus conveniat, nisi haec apud Danielem 9,24. 25. Poterat esse dubium quis sit ille sermo a quo incipiendae sint hebdomades 70; fortasse aliqui iam a decreto Cyri vel Darii Hystaspi computabant; at urbe denuo aedificata manifestum erat oraculum hoc Danielis intra 70 hebdomadas iri impletum. Inde autem commode explicatur cur tempore Christi subito spes illa et exspectatio orta sit.

Hisce accedit 5° quod Iosephus hoc Danielis vaticinium ad destructionem urbis quae suo tempore per Romanos fiebat retulit; eius autem sententia nobis satis panditur Iudaeos circa tempus Christi oraculum impleri debere existimasse; Iudaeorum vero de hoc vaticinio sententia digna est quae consideretur. Atque Iosephus quidem postquam ea enarravit quae cap. 8 de ariete et hirco habentur, ultimam eius capitis partem exponit de Antiocho Epiphane : haec enim pati genti nostrae contigit ab Antiocho Epiphane, sicut Daniel vidit et multis annis antea ea quae evenerunt conscripsit. Dein pergit : eodem modo etiam de imperio Romanorum scripsit et quod ab ipsis vastabitur (ἐρημωθήσεται), scil. gens nostra (Antiq. 10,11. 7). Unde cum hoc

addat postquam cap. 8 explicuit, omnino probabile est eum loqui de nostro oraculo; alibi enim nihil legitur apud Danielem quod ad desolationem per Romanos inferendam trahi possit; nam cap. 11 Romani hostes describuntur vastatoris. Idem confirmatur pluribus locis operis eius de bello iudaico. Postquam lib. 4 cap. 6 exposuit a zelotis omne ius humanum conculcari, divina quaeque derideri et prophetarum oracula subsannari, pergit: zelotae effecerunt ut prophetia quae adversus patriam fuerat concepta exitum suum sortiretur; vetus enim virorum sermo erat tum urbem captum iri et loca sancta conflagratura iure belli, ubi seditio invaserit et indigenarum manus polluerint sacrum Dei locum; quibus licet fidem non detraherent zelotae, ipsi tamen se earum rerum ministros praebuerunt (l. c. n. 3). Atque in oratione ad Ioannem et Iudaeos habita iterum monet: quis ignorat scripta veterum prophetarum et oraculum quod miserae urbi iam praesens imminet? tunc enim eius excidium fore praedixerunt quando aliquis e popularibus caedem patrare incipiet; vestris autem cadaveribus nonne civitas et templum omne repletum est? Deus profecto, Deus ipse cum Romanis ignem ei lustrationis infert totque scelerum plenam civitatem evellit (6,2. 1); insuper in eodem sermone mentionem facit iam cessasse sacrificium quotidianum idque tamquam omen maxime infaustum proponit: et siquidem tibi, o scelestissime, quisquam quotidianum auferat cibum, eum pro hoste nefario habebis; ipsum vero Deum quem perpetuo cultu privasti in bello tibi auxilio speras futurum? Ad verba vero illa *occidetur unctus* videtur Iosephus alludere, dum scribit: non autem erraverim, si initium urbis excidii ab Anani morte factum esse dixero et mox ex illo die muros everti remque publicam Iudaeorum pessumdari coepisse quo pontificem et ἡγεμόνα propriae salutis in media civitate trucidatum viderunt (4,5. 2; cf. *Fraidl* p. 19 seq.).

g) **De explicatione eschatologica.**

Septuaginta hebdomadis tempus comprehendi usque ad secundum Christi adventum et antichristi interitum, ex veteribus duo docuerunt: Apollinarius laodicenus et Hesychius episcopus Salonae in Dalmatia. Et ille quidem exitum sermonis computat a Christi nativitate; hebdomadas septem usque ad annum octavum Claudii Imperatoris; ab eo anno usque ad adventum Eliae et Henoch hebdomadas 62, hebdomadam ultimam finiri interitu antichristi. Ex epistolis apud S. Augustinum (ep. 197. 198. 199; *M.* 33,899 seq.) discimus Hesychium quoque hebdomadas 70 de altero Christi adventu accepisse, quem tamen

S. Augustinus dedocere studet eo potissimum argumento quia in ea acceptione tempus adventus Christi posset dinumerari, cum tamen ipse Dominus dicat : nemo potest cognoscere tempora quae Pater posuit in sua potestate. Simul cum epistola ei misit « Hieronymi hominis doctissimi expositiones eorundem verborum »; ipse quidem *S. Hier.* de hebdomadum ratione proprium affert nihil, sed refert in suo commentario quid de iis habeatur apud Africanum, Eusebium, Hippolytum, Apollinarium, Clementem alexandrinum, Origenem, Tertullianum et demum apud Hebraeos.

Ex veteribus Ammonius alexandrinus v. 26. 27 ad finem mundi refert explicans abrogationem unctionis de eo quod antichristus haud amplius baptizari quendam patietur, confirmationem pacti de Henoch et Elia qui Iudaeis et fidelibus persuadebunt ut ne deceptori obsequantur; « septimanam unam dicit septem annos, quando Elias et Henoch venient et manebunt tres annos et dimidium, et veniet antichristus eosque interficiet ac manebit ipse quoque tres annos et dimidium; denique vero adveniet Christus atque tunc saeculum ad finem verget » (*M.* 85,1377).

Etiam complures veterum ultimam hebdomadam a reliquis separantes de tempore antichristi v. 27 accipiunt; ita S. Irenaeus, Hippolytus, Africanus (in una explicatione, ad quam teste S. Hieronymo etiam Apollinarius provocavit), Pseudo-Cyprianus, Victorinus, Hilarius, Ambrosius. Plerumque concipiunt confirmationem pacti de praedicatione Henoch et Eliae (Hip. Apoll.), cessationem hostiae et sacrificii de sacrificio eucharistico quod ne iam offeratur antichristus statuet (Hip. Ps.-Cypr. Hil. Apoll.); abominationem desolationis autem appellant ipsum antichristum quippe qui desolationem mundo sit annuntiaturus (Hip.) vel qui dicatur abominatio quod adversus Deum veniens honorem sibi Dei vindicet, desolationis autem abominatio, quia bellis et caedibus terram cum piaculo desolaturus sit (Hil. in Matth. *M.* 9,1054), vel quod sacrilegiis infaustis mentium interiora contaminet, sedens iuxta historiam in templo, ut sibi divinae vindicet solium potestatis (Ambrosius; *M.* 15,1808; in Matth. 21,20). Imaginem auream antichristi in templo positam eo nomine designari Victorinus censet (*M.* 5,340) et similiter Apollinarius idolum et statuam proprii dei (*Fraidl* l. c. p. 74).

Ex recentioribus aliqui protestantes vaticinium ad ultima tempora referunt explicantes hebdomadas 70 symbolice de spatiis temporum quae nequeant determinari sed apud Deum secundum numerum septenarium computentur (cf. *Kliefoth, Leyrer, Keil*). Ita enim ab edicto Cyri usque ad Christum esse hebdomades septem; dein per hebdoma-

das 62 Ecclesiam Christi iri exstructum; in ultima hebdomada venturum esse antichristum et magnam apostasiam, in qua Messias exterminetur ita ut ei nihil sit reliquum; dein vastatum iri civitatem et sanctuarium, ablatum sacrificalem cultum, donec ipse antichristus intereat. Dein ea a Deo efficientur et donabuntur quae in v. 24 sunt promissa et quae in Apoc. 21,1-3 quoque repraesentantur; erunt scil. novi coeli et nova terra in quibus iustitia habitat.

Iam eas explicationes non posse admitti haud difficile ostenditur. Statim a limine esse repudiandam eam interpretationem quae ultimam hebdomadam ab aliis ita separat, ut hebdomades 69 in Christi vita publica finiantur, ultima autem ad tempora antichristi reiiciatur, extra omnem est controversiam. Haec enim acceptio arbitrario modo hebdomadas discerpit, sine ullo vestigio textus spatium indefinitum interponit inter hebdomadam 69 et ultimam, immo contra v. 24 apertissime peccat. Etiam recentiorum illa interpretatio pluribus peccat. Primo gratuito statuitur numerus indefinitus qui nihilominus in suas partes 7 + 62 + 1 dividatur. Dein arbitrarie asseritur a Cyro usque ad Christum esse hebdomades 7; nam ille annorum numerus non potest reduci ullo pacto ad aliquem numerum septenarium. Si autem in computatione divina anni 538 vel 536 sunt septem hebdomadae, dein 62 hebdomades efficiunt c. annos 4765; ergo tamdiu stabit regnum Christi; dein veniet antichristus per unam hebdomadam i. e. per annos c. 76, et potest responderi quod S. Augustinus Hesychio rescripsit. Porro arbitrarium est bona messiana in v. 24 solum referre ad consummationem saeculorum, ubi utique in summa perfectione dabuntur; pariter valde coactum est, postquam dictum est : ut restituatur et aedificetur *Ierusalem*, id quod statim sequitur : restituetur et aedificabitur etc. non de urbe intelligere, de qua vates sollicitus Deum rogavit, sed de Ecclesia Christi, de qua tamen in illa acceptione nihil adhuc dictum est. Dein quis feret apostasiam illam quae ante antichristum docente Paulo (2 Thess. 2,3) erit ita designari : exscindetur Christus? Iterum civitas et sanctuarium v. 26 alio prorsus sensu accipi debent ab eo qui unice ex oratione Danielis et ex priore parte v. 25 colligi potest; corroborare pactum quod incidit in hebdomadam ultimam et ideo obvio sensu ad ea bona referri debet quae ex v. 24 huic hebdomadi adscribuntur, in hac explicatione de impio iugo explicatur quod antichristus suis imponet ut eos ad quaevis scelera impellat. Verum cum hoc vaticinium detur in exsilio et detur postquam Daniel solutionem exsilii et instaurationem a Deo petiit, foedus necessario debuit ab ipso et ab aliis intelligi illud foedus, de quo prophetae antecedentes locuti erant et quod fore dixerant tempore instaurationis.

Itaque hisce conficitur explicationem eschatologicam admitti non posse. Aliud est, si quis contenderit ex modo quo Christus loquatur de excidio Ierusalem et de fine mundi colligi posse vel debere, ruinam urbis illasque calamitates esse typum ac figuram vel praesagium consummationis saeculorum, quae est multorum sententia vel certa vel admodum probabilis (cf. *Cornely,* Introd. I p. 541 not. 4). Hac enim sententia supposita quam ex verbis Christi derivamus poteris quoque affirmare etiam apud Danielem ea quae in ultima parte v. 26. 27 de urbe et templo legantur esse typum quendam ultimi rerum eventus. Atque eo modo Cyrillus hierosolymitanus rem considerasse videtur, ut *Fraidl* p. 72 scite adnotat. Nam in catechesi 15 (*M.* 33,869) verba Christi apud evangelistas de abominatione desolationis explicat de tempore antichristi; unde necesse est eum eodem sensu intellexisse verba apud Danielem, cum Christus Danielem explicite nominet. Verum Cyrillum duplicem impletionem eorum verborum insinuare voluisse colligit *Fraidl* ex hisce : in computatione hebdomadum 69 sequitur Eusebium; proin vix ab eo recessit in una illa hebdomada; etiam verba Christi : non relinquetur lapis super lapidem, bis impleri ait, in destructione Ierusalem et tempore antichristi; demum, cum Iulianus apostata templum hierosolymitanum iterum aedificare conaretur, referente Rufino (hist. eccl. 1,37; *M.* 21,505) « Cyrillus vel ex iis quae in Danielis prophetia legerat vel quae in evangeliis Dominus praedixerat, consideratione habita perstitit nullo genere fieri posse, ut ibi a Iudaeis lapis super lapidem poneretur »; templum vero non iri aedificatum ex Daniele v. 27 colligere poterat; unde teste Rufino v. 27 etiam de destructione tempore Titi facta exposuit.

h) **De explicatione non messiana.**

Tertius explicandi modus qui a rationalistis potissimum excultus est in eo consistit ut vaticinium ad tempus Antiochi Epiphanis referatur. Unus in antiquitate, Iulius Hilarianus (circa annum 400 p. Ch.), hanc viam ingressus est. Ait enim visionem Danieli obtigisse anno primo Darii Medi, anno captivitatis 21; ab hoc tempore usque ad Cyrum et exsilii solutionem fluere hebdomades septem; tum « revertuntur populi de Babylonia, habentes secum ducem Zorobabelem, de quo mentio facta est ab angelo ad Danielem : usque ad Christum ducem hebdomades septem »; unctionem sancti sanctorum cernit factam in templo aedificato; hebdomadas 62 ait esse completas temporibus Machabaeorum anno 141 Graecorum; isto namque tempore Antiochus Graecis superba mente regnabat; « post 62 hebdomadas (ait

angelus) disperdetur unctio et sancta; ergo post 7 et 62 hebdomadas una hebdomada superest...; in hac gentium malitia excrevit, ut etiam in dimidio hebdomadis eiusdem ab Antiocho rege Graecorum aufertur sacrificium de loco sancto et Sanctum ipsum pollutum est feminino aspernamento, et abominatio desolationis facta est super altare et statua Iovis quem olympium vocant illic collocata... In prima ista hebdomada libros legis comburi, sacrificari simulacris et immunda manducare genti Iudaeorum indixit, et fuit usque in 25 diem mensis 9 anni 148 regni Graecorum; in quo anno complentur hebdomadae omnes 70 ». Sic ille; in Antiocho cernit imaginem antichristi. Quam male conficta sit computatio annorum non opus est exsequi; nam ab anno primo Darii usque ad Cyrum numerat annos 49; a Cyro usque ad annum 148 Graecorum i. e. annum 164 a. Ch. numerat annos 434.

Ex catholicis duo similia proposuerunt, *Hardouin* et *Calmet* in dissertatione de 70 hebd.; sed hi vaticinium messianum eo aliquatenus servare student, ut dicant Oniam pontificem qui sit unctus ille in v. 26 esse typum Christi. Ceterum totum oraculum exponunt de persecutione quam Antiochus Iudaeis intulit. Et Hardouin quidem numerat 70 hebd. a quarto anno Ioakim; ab hoc anno usque ad primum annum Cyri in Media numerat 7 hebd.; Cyrus est dux ille unctus in v. 25; ab eodem quarto anno Ioakim usque ad Iudam Machabaeum hebdomadas 62 fluxisse ponit; unde terminus a quo pro 7 hebd. et pro 62 est idem et ita non 70 sed solum 63 fiunt hebdomadae; pro qua numerandi ratione provocat ad vocem in *vulg.* adhibitam : 70 hebd. *abbreviatae* sunt!! *Calmet* vero ab exitu sermonis i. e. ab oraculo Ieremiae 50,19 usque ad Christum i. e. Cyrum septem hebdomadas ponit; Christus qui post hebd. 62 occidetur, est Onias; dux venturus est Antiochus; pactum Domini confirmatur probis Iudaeis qui partibus Machabaeorum et religioni faventes adversarios se praebuerunt desciscentibus ab avita religione etc.

Ad idem Antiochi tempus oraculum et quidem plerumque tamquam vaticinium ex eventu refert ingens rationalistarum turba. In explicatione autem singulorum et in modo tempus 70 hebdomadum computandi magna cernitur varietas et perturbatio. Singula enarrare et prope infinitum est et maxime inutile. Specimina quaedam sufficiant. Ab exitu sermonis *Hitzig* explicat de anno 588 quo oracula Ieremiae cap. 30. 31 data sint; unctus princeps post 7 hebd. est Cyrus; post 62 hebd. occiditur Onias pontifex et hebdomada ultima currit ab anno 170-164. Sed ab anno 539 usque ad annum 170 non computari possunt hebdomades 62 i. e. 434 anni, verum solum 369; quid ergo *Hitzig?* sta-

tuit annos 434 esse computandos retro ab Antiocho usque ad annum 606; unde igitur 62 hebdomadas incipere statuit ab anno 606; septem autem ab anno 588-539, ita ut hae septem in illis 62 includantur et tamen 70 hebdomadae finiantur anno 164 a. Ch.; proinde pro annis 490 accipimus solum 442! Mira est etiam explicatio quam *Zoeckler* proponit : in v. 24 agnoscit exprimi spem et argumentum messianum; nihilominus in subsequentibus aliter plane rem concipit. Exitum sermonis et initium computationis ponit ab anno 605-588; princeps unctus v. 25 est Cyrus; post 62 hebdomadas occiditur Onias; sed cum Onias iam anno 172 vel 171 ab Andronico sit occisus, mors eius non post 62 hebd. sed in hebdomada 53 post annum 539! Id ipse advertit; at non turbatur sed de sua explicatione maxime contentus placide notat Danielem itaque existimasse rem maximi momenti evenisse fere 70 annis serius!

Quod incommodum alii ita evitant, ut initium 62 hebdomadum capientes ab anno 604 septem hebdomadas vel omnino esse omittendas doceant vel eas in 62 simul contineri. Alii septem hebdomadas numerant post 62 et post mortem Oniae ab anno 164; sed quid factum est anno 117 a. Ch.? Alii unctum qui sit exterminandus intelligi volunt Seleucum IV Philopatora qui anno 176 a. Ch. ab Heliodoro occisus est (Bleek, Maurer, Lengerke, Roesch, Ewald); computationem varie confingunt; Roesch hebdomadas septem et 62 ab uno eodemque termino, ab anno 609, scil. a prima urbis per Nabuchodonosor expugnatione (?!) incipere statuit; Lengerke septem hebdomadis pariter omissis numerat 62 ab anno 588 usque ad Antiochum magnum; quo spatio cum minime impleantur 434 anni, numerum esse prophetice symbolicum neque inquirendum censet quid significet. Ewald uti alias ita hic quoque sententiam mutavit; prius enim statuerat 7 hebdomadas recensendas esse a Ieremia usque ad Cyrum, ab anno 607 usque ad 536; hebdomadas 62 a Cyro usque ad Seleucum 536-176, ultimam hebdomadam ab occisione Seleuci usque ad emundationem templi; id est, ut *Rohl.* bene notat : Daniel scripsit 49 annos pro 71,434 pro 360, 7 pro 9 et generatim 490 pro 441. Postea autem Ewald hebdomadas septem computat 588-539; hebdomadas 62 autem 539-176; sed cum eo spatio non efficiantur anni 434, contendit annos 70 non numerari cum sint anni sabbatici. Alii, ut Bertholdt, Griesinger, hebdomadas 70 ab urbe destructa usque ad templi dedicationem per Iudam Machabaeum numerant; ab urbe destructa usque ad Cyrum 7 hebdomadas; intra 62 urbem aedificari; versus finem hebdomadum 62 mori Alexandrum sine herede (i. e. exterminabitur Christus et non ei scil. heres vel successor ex suo genere); dein vastari urbem per Antiochum,

qui impiis Iudaeis fere per hebdomadam annorum foedere iunctus sit; in eius dimidio tolli cultum et poni statuam Iovis olympii in tecto templi; demum ipsum Antiochum morte iri abreptum. Cum autem 62 hebdomadae minime expleantur, temporis designationem mere esse symbolicam contendunt. Alii hebdomadas aliter ponunt; scil. 62,1,7 i. e. 606-172 a. Ch. (hebd. 62); 172-165 (hebd. 1); 7 autem hebdomades incipere ab exitu sermonis, ut aedificetur Ierusalem i. e. a praedicatione evangelii et extendi usque ad secundum Christi adventum; etc. etc. (cf. *Reinke* p. 369-387; *Rohl.* p. 283-295; *Z.* p. 190; *Keil* p. 324 seq.).

Vitia harum explicationum sunt manifesta. Primo plane negligitur quod oraculis aliorum prophetarum consideratis luce clarius est, in v. 24 exponi ac promitti bona messiana; secundo quamvis omnes fateri cogantur annorum numerum minime convenire, tamen axiomatis instar tenent non posse intelligi nisi tempus Antiochi. Hoc multis ita est fixum atque inconcussum, ut explicationem sic ordiantur : terminus *ad quem* ipso libro constat (7,25? 8,11 seq. 25; 11,21; 12,11); unde tempore quo Onias III est depositus, finis est hebdomadum 62; proin ab anno 174 a. Ch. retro numerari oportet 434 annos; unde ad annum 608 a. Ch. pervenitur vel cum tempus inter Oniam a munere remotum et occisum accurate definiri nequeat, ad annum 606-604, quo tempore Ieremias oraculum cap. 25 edidit; itaque pro 7 hebdomadis iam non relinquitur locus; sed cum Daniel numerum 70 necessario exprimere deberet, anni illi 49 recensentur ab anno 588 usque ad 538 i. e. ad Cyrum unctum ducem et includuntur in 62 hebdomadis (Reuss, Geschichte der heiligen Schriften des alten Testamentes 1881 p. 575). Quam violenta sit eiusmodi interpretatio patet, qua ex 70 hebdomadis a propheta clarissime designatis fiunt 62, quod interpretandi genus in omni alio libro cum indignatione reiiceretur. Alii magnum errorem in annis computandis vati imponunt. Ita v. g. Meinhold qui statuit vatem ab anno 538-172 computasse 62 hebdomadas annorum i. e. 434 annos pro 366; similiter Schürer qui 7 hebdomades cum multis numerat ab urbe destructa usque ad Cyrum 588-537; hebdomadas 62 a Cyro usque ad occisionem Oniae 171; unde Danielem pro 366 annis falso computasse 434, igitur circa 70 annos redundare. Quem errorem omnino intelligi putat quia etiam Iosephus similem commiserit et similem quoque Demetrius hellenista qui ab exsilio decem tribuum usque ad Ptolemaeum IV (222 a. Ch.) annos fluxisse 573 contendat, proinde accurate uti Daniel circa 70 annos falso addiderit (Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi, 1886 II p. 616). Itaque prius non attendunt tempus a vate decla-

rari messianum fore hebdomada 70; dein vatem invitum ad aliud tempus pertrahunt eumque erroris gravissimi accusant. Haeccine est interpretatio vel iniuria, vexatio, contumelia?

Tertio peccatur iis explicationibus eo quod verba oraculi nullo pacto apta sunt quibus res ab Antiocho gestae exprimantur. Nam in oraculo civitas et templum perdetur vel destruetur; cf. השחית Gen. 19,13 *delebimus* locum istum (Sodomam), 2 Reg. 18,25. Ier. 51,11. Lament. 2,8 cogitavit Dominus *dissipare* murum filiae Sion etc.; at Antiochus templum minime destruxit, sed solum contaminavit (1 Mach. 1,23. 39. 57. 62; 6,7. 2 Mach. 5,15; 6,4). Neque sano modo explicari potest : usque ad finem bellum et decretae vastationes; nam de tempore Antiochi id dicitur vel ridiculo modo : bellum durabit usque dum finiatur, vel falso, cum vastatio non permanserit usque ad finem belli; sed iam ante mortem Antiochi urbs est denuo recuperata a Iudaeis; cf. 1 Mach. 4,36 dixit autem Iudas et fratres eius.: ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta et renovare. Dein corroborare pactum multis plerique referunt ad 1 Mach. 1,12 seq. ad regem Antiochum qui Iudaeis apostatis dedit potestatem ut facerent iustitiam gentium, scil. ut mores et instituta Graecorum imitarentur, gymnasia aedificarent etc. Sed talis potestas a rege concessa inepte dicitur pactum corroborare; porro ברית in libro Danielis ubique dicitur de Dei foedere 9,4; 11,22. 28. 30. 32, quae est etiam notio in s. litteris frequentissime obvia.

Quod ut evitent aliqui vertunt : pactum multis reddet difficile i. e. pactum Dei propter persecutionem factum est onerosum et perdifficile (ita *Hitz. Fürst,* Handwoerterb. *Graf* in Schenkel, Bibellex. I p. 568); at id ad arbitrium est excogitatum. Nam גבר neque in hiphil neque in piel unquam ea significatione adhibetur; vide Ps. 12,5 (*vulg.* linguam nostram magnificabimus), Eccl. 10,10. Zach. 10,6. 12 et confortabo domum Iuda, confortabo eos in Domino. Porro finis eius in inundatione haud raro de Antiocho explicatur (cf. *Z.*); at dictio ea ad mortem Antiochi designandam prorsus inepte trahitur; nam inundatio dicitur sensu bellico, uti 11,10. 22. 26. 40 hebr. et Is. 8,8 habetur, Antiochus autem in bello non obiit; pariter falsum est explicare de interitu subito (*Ros. Ges.* Thes. p. 1395), neque Antiochus in communi quadam omnium calamitate interiit, quare perperam provocant ad Ps. 32,6 et Nah. 1,8; eum neque in bello, neque subito et inexspectato, neque in communi quadam calamitate interiisse lege 1 Mach. 6,8 seq. et 2 Mach. 9,4-28. Ultimam sententiam explicant abominationem in templo permansuram esse, donec consummatio decreta effundatur super vastatorem i. e. Antiochum. At ne hoc quidem apte dici-

tur; nam templum emundatum est antequam Antiochus interiret (cf. 1 Mach. 4,52; 6,16).

Sit itaque totius huius disputationis conclusio haec : Daniel bona messiana vaticinatur pro hebdomada septuagesima; haec autem hebdomada tempore Christi revera completur, dummodo a verbo urbis iterum aedificandae initium capiatur (prout ipso oraculo iubemur), ergo haec explicatio est unice vera et ipsis oraculi verbis plane respondet; quid igitur ultra quaeramus vel postulemus?

Versio LXX in hoc vaticinio satis recedit a textu hebr. et reliquis versionibus veteribus. Non solum enim quae in textu hebr. leguntur maiore verborum ambitu exprimuntur, sed in numeris et in sententiarum collocatione etiam alius oraculi sensus proponitur. Praecipua sunt haec : in v. 24 nominatur urbs Sion et recensentur septem membra, quorum ultimum est εὐφρᾶναι ἅγιον ἁγίων. In v. 25 dicitur : et scies et intelliges et laetaberis et invenies mandata respondendi (scil. הָשִׁיב) et aedificabis Ierusalem urbem Domino; v. 26 et *post septem et septuaginta et sexaginta duo* removebitur unctio (χρῖσμα) et non erit et regnum gentium perdet urbem et sanctum cum uncto (μετὰ τοῦ χριστοῦ) et veniet consummatio eius cum ira et usque ad tempus consummationis bellum geretur; v. 27 et dominabitur foedus in multos et iterum revertetur et aedificabitur in latum et longum et (quidem) versus consummationem temporum et *post septem et septuaginta tempora et sexaginta duos annos* usque ad tempus consummationis belli et auferetur vastatio eo quod pactum firmatur in multas hebdomadas et in fine hebdomadis auferetur sacrificium et libatio et super templo abominatio vastationum erit usque ad consummationem (finem) et consummatio dabitur super vastationem. — Ita quidem in editione tischendorfiana et a Field textus LXX proponitur. In v. 26 inseri septuaginta explicatur ex voce שבעים, et cum etiam septem legatur, textus iste ortus videtur ex v. 25 : septem et *hebdomadae* (שבעים) sexaginta duae. Ceterum textum horum duorum versuum confusum esse ac corruptum non est improbabile et vario modo eum sanare et restituere conati sunt; at omnia etiam satis incerta manent.

Si textum uti iacet legimus, interpres revera adstipulari videtur ei interpretationi oraculi quae modo reiecta est, scil. de tempore Antiochi. Ponit enim 7 + 70 + 62 i. e. 139 et idem numerus denuo legitur in v. 27 addito quoque vocabulo annorum; unde videtur intelligere annos 139. Iste autem numerus ad aeram Seleucidarum relatus tempus designat quo Antiochus regnum occupavit; anno scil. Seleucidarum 137 vel 138. Post annum igitur eius computationis 139 auferetur chrisma quod fortasse intellexit interpres de perturbatione et ablatione legitimae successionis pontificum; ita verba *Fraidl* concipit; aliter J. D. Michaelis (Orient. Biblioth. IV p. 13) : unctio apostasiam committet i. e. Menelaus sacerdos cum suis a religione et moribus Iudaeorum deficiet anno 139 aerae Seleucidarum; templum et urbem rex Antiochus vexat simul cum uncto per quem Onias intelligi potest; haec

autem calamitas cum ira venire dicitur, probabiliter ad iram Dei de populo Iudaeorum declarandam, sicuti v. g. 2 Mach. 5,17 dicitur : propter peccata habitantium civitatem modicum Deus fuerat iratus etc. Post illam autem vastationem urbis et templi grave incumbet bellum. In v. 27 describit interpres robur foederis quod inierunt Machabaei et quomodo urbem denuo restituerint damnis scil. reparatis quae Antiochus et eius duces intulerunt. Ita vastatio illa (post annos 139 illata — id quod repetitur ex v. 26) removetur eo quod foedus Machabaeorum per *multas* hebdomadas (dierum sane, cum ponatur *multas*) invalescit. Ultima sententia videtur interpres reverti ad vastationem per Antiochum illatam denuo describendam (cf. *Fraidl* p. 8. 9). Ex qua explicatione ab interprete indicata tempus etiam coniici potest versionis factae.

Non deerat qui ex numeris illis tempus accurate designari censeret vastationis urbis per Titum factae; ab anno primo Cyri usque ad Christum esse annos 535-4 (ob aerae dionysianae differentiam), a Christi ortu usque ad urbis et templi excidium numerari annos 70; proin a Cyro usque ad urbis excidium annos 70 + 535 — 4 = 601; eundem autem numerum indicari per hebd. 70 et 7 hebd. et 62 annos; scil. 490 + 49 + 62 = 601. Tunc igitur censendus esset interpres vixisse post urbis excidium et alteram exspectasse urbis instaurationem post Titum et ablationem desolationis a templo, in qua spe se Iudaeum proderet.

4. *Vaticinia de tertio regno* 10,1-12,13.

ARG. — Daniel post luctum et ieiunium trium hebdomadum videt non sine ingenti timore angelum mire fulgidum (10,1-11), qui eum consolans certiorem reddit preces esse auditas, se fortiter tueri causam Iudaeorum simul cum Michaele angelo et iam de rebus futuris ut edoceret vatem advenisse (10,12-11,1). Porro ei annuntiat de quattuor regibus Persarum et de rege potentissimo Graecorum, cuius regnum lacerabitur (11,2-4); dein multa de regnis austri et aquilonis et de bellis quae a regibus illorum regnorum inter se vario successu geren-tur (11,5-20); post quos surget rex vilis et impius, qui bella felicia gerit ab initio, mox populum Dei plurimum vexat, in Deum exsistit blasphemus, donec intereat (11,21-45). Huic oppressioni opponit vates victoriam quam populus Dei de hostibus tandem est reportaturus (12, 1-13).

Primo anno regni Cyri Iudaeis revertendi in patriam potestas est facta Esdr. 1,1 seq.; anno secundo adventus eorum mense secundo fundamenta templi iacta sunt magna sollemnitate Esdr. 3,8 seq.; at mox hostes Iudae et Beniamin impediebant manus populi et turbabant eos in aedificando; conduxerunt enim adversus eos consiliarios, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum Esdr.

4,1-5. Probabilissimum est Danielem de his impedimentis et machinationibus certiorem factum ieiunium illud et luctum instituisse, de quo nobis narrat 10,2. 3, prout etiam plerisque interpretibus visum est (cf. *Per. Mald. Sanct. Lap. Rohl. Heb.*). Illo itaque tempore Daniel fervidas ad Deum transmisit deprecationes pro incolumitate et salute populi (10,12); ad eum edocendum et consolandum mittitur angelus, qui eum de rerum futurarum serie reddat certiorem eumque doceat varias instare tribulationes populo Dei, at ei adesse auxilium potentissimum atque victoriam et gloriam piis Dei cultoribus esse certissimam. Ex temporis igitur conditione sua quasi sponte fit, ut ea latius atque accuratius explicentur quae cap. 8 de tertio regno proposita sunt. Hisce enim illud temporis impletur quod a soluta captivitate currit et inter reditum ex exsilio et bona messiana, de quibus cap. 9, interiectum est.

a) **Occasio et modus apparitionis angeli 10, 1-11.**

Quaerunt, cur Daniel cum piis Dei cultoribus quorum Deus suscitaverat spiritum (Esdr. 1,5) non sit in patriam reversus; ita *Hitz.* miratur, quomodo Daniel, egregium pietatis exemplum (1,8. Ez. 14,14) eam revertendi opportunitatem et admonitiones neglexerit quas iam dederit Isaias (48,20; 52,11), quasi esset ab eorum partibus quos Isaias 66,5 describit et quasi oblitus esset montem sanctum Domini (Is. 65,11); neque admitti posse quod aliqui ad excusandum vatem protulerint eum iam aetate satis fuisse provectum; nam rediisse quoque senes qui prius templum vidissent neque vatem qui ieiunium sat longum sponte susceperit posse censeri adeo fuisse viribus fractum, ut suscipiendo itineri esset impar. Eandem quaestionem iam *Theod.* movit respondit que, sicut Daniel non propter sua peccata sit exsul factus, sed ut populus in exsilio haberet quendam curatorem et magistrum, ita providente Deo eum mansisse apud regem cui esset carus ne Iudaei qui remanerent in Babylonia cura destituerentur spirituali. Atque profecto cum tantam in aula regia sibi conciliasset auctoritatem et reverentiam (cf. cap. 5. 6), rebus populi optime prospicere potuit, neque improbabile est quod advertit *Mald.* eum a Cyro rege quoque retentum fuisse, uti postea Nehemiam ab Artaxerxe. Alios quoque multos eosque pios remansisse, elucet ex Esdr. 7,1 seq. et Esdr. 1,5 illos ascendisse refertur quorum Deus suscitaverat spiritum, Deus autem sapientissimo providentiae suae consilio vatem aliosque pios sistere voluit inter gentes, ut iam tum essent reliquiae Iacob in medio populorum quasi ros a Domino (Mich. 5,7).

Designatur v. 1 tempus et v. 2-4 occasio revelationis; v. 1 « *Anno tertio Cyri regis Persarum verbum revelatum est Danieli cognomento Baltassar et verbum verum et fortitudo magna intellexitque sermonem; intelligentia enim est opus in visione* »; — ita scil. vates praefatur ad cuncta quae sequuntur usque ad 12,13. Nomen autem et cognomen expressit ut ab omnibus intelligeretur (*Mald.*), ut se eundem profiteretur de quo antea actum est; insuper nomen duplex, sacrum et profanum, apte praeludit oraculo quo et de populo theocratico et de gentibus regnisque profanis multa disseruntur. De Baltassar vide ad 1,7. Verbum vel res ei revelata est *veritas*, non inane vaticinium, uti pseudoprophetae effutire solebant etiam exsilii tempore (Ier. 29,8 seq. 15. Ez. 13,1-23); est etiam צָבָא גָּדוֹל *militia magna,* eo scil. modo quia et de bellis (*Sa*) et de tribulationibus et afflictionibus plurimis in eo oraculo agitur; de ea vocis notione qua res gravis ac vita designatur molesta et dura vide Iob 7,1; 14,14. Is. 40,2 hebr.; vocem h. l. *fortitudinem* vertit *S. Hier.,* quam alias militiam, exercitum reddere solet. Dein asserit simul cum revelatione seu visione sibi eius visionis intelligentiam esse datam; hebr. *intelligentia ei in visione* i. e. interpretatio in ipsa visione mihi tradita est ab angelo (*Mald. Sanct. Mar. Calm.*). Quo prooemio etiam animum legentis reddit attentum, cum de re actum iri dicat gravissima quae tamen modo ad intelligendum apto proponatur. Et revera quae de bellis postea tradit, ceteris oraculis sunt planiora magisque perspicua. Vocat revelationem *visionem*, quia et angelos conspexit et audivit eos colloquentes et futura accurate didicit (*Theod.*).

Qua re ipse revelationem quasi meruerit exponitur v. 2 « *in diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus;* v. 3 *panem desiderabilem non comedi et caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies* »; — cur tristis ac moestus fuerit, recte cum plerisque ex eo declaratur quod Iudaei reduces variis molestiis vexabantur, ut supra dictum est. Alii causam assignant, quia propter Iudaeorum exsulum ingenium contumax quo nollent Deo obedientes redire multum animo angebatur (*Theod. Mar.*). Ieiunat et luget ex v. 4 mense primo; eo itaque tempore quo in Iudaea celebrabatur pascha in memoriam liberationis a servitute aegyptiaca; dolet Daniel quod ea liberatio integra populo nondum erat concessa sed quod iterum etiam in patria genere quodam servitutis tenebantur sub alienigenarum dominatione et hostium vexationibus erant expositi. In hebr. *per tres hebdomadas* et additur יָמִים *dies,* id quod addi aliqui censent propter 9, 24; alias legitur quoque additum v. g. Gen. 29,14; 41,1. Num. 11,20, quibus

locis tempus mensium vel annorum plenum et integrum fluxisse declaratur. Daniel ieiunans a pane desiderabili i. e. cibo *delicato* abstinuit, item carne vinoque; pariter unguento; vinum enim et unguentum laetitiam significant Ps. 103,15. Prov. 31,6. Eccl. 9,7. 8. Is. 5,12; 61,3. Qua abstinentia et sui ipsius afflictione preces suas et obsecrationes reddere voluit efficaciores Deoque gratiores; simul quam ardenter desideret populi sui bonum manifestatur. Ieiunium enim adhiberi saepius solebat ut Deus flecteretur ad misericordiam; vide 2 Reg. 12,16. 2 Par. 20,3. Ps. 34,13; 68,11; 108,24. Ioel 1,14; 2,12. 15. Ion. 3,5; inter res Deo gratas quae voveri poterant recensetur ieiunium Num. 30,14.

Neque frustra se afflixit coram Domino v. 4 « *die autem vigesima et quarta mensis primi eram iuxta fluvium magnum qui est Tigris,* v. 5 *et levavi oculos meos et vidi et ecce vir unus vestitus lineis et renes eius accincti auro obrizo* v. 6 *et corpus eius quasi chrysolithus et facies eius velut species fulguris et oculi eius ut lampas ardens, et brachia eius et quae deorsum sunt usque ad pedes quasi species aeris candentis et vox sermonum eius ut vox multitudinis* »; — ex v. 12. 13 patet Danielem luctum incepisse tertio die mensis primi; unde aliqui coniiciunt etiam in exsilio diem primum et alterum fuisse habitum celebriorem, uti narratur ex tempore Saul et Davidis 1 Reg. 20,18 seq. 27. 34. Locum orationis Iudaei posteriores prope fluvium eligebant (cf. Act. 16,13); eratne idem mos iam tempore Danielis? Cum compluribus enim v. 7 Daniel erat iuxta fluvium eo die quo ieiunio et orationi vacabat. Tigris hebr. חִדֶּקֶל, assyriace Diklat vel Idiklat (cf. *Schrader,* Keilinschr. u. A. T. ad Gen. 2,14). Quem vidit ita describit, ut quamvis figura homo esse videretur tamen et vultu et colore et voce aliquid supra hominem prae se ferat (*Mald.*) et proinde angelum significet. Apparet lineis vestitus, sicut sacerdos, quia angelus quoque mediatoris munere inter Deum et hominem fungitur; praeterea albo colore et gloria et sanctitas significatur; vestibus candidis alias quoque angeli apparuerunt; cf. Ez. 9,2. Marc. 16,5. Act. 1,10. In cingulo ex auro optimo et fulgido maiestas splendet regia; hebr. aurum אוּפָז vide ad Ier. 10,9. Corpus eius fulgebat quasi תַּרְשִׁישׁ, chrysolithus (cf. ad Ez. 1,16) vel topazion; proinde sub veste candida etiam corporis color e flavo viridis et splendescens emicabat. Facies eius instar fulguris; in fulgure incredibilis splendor describitur qui cum pulcher sit aliquid tamen terroris habet admixtum (*Sanct.*); oculi eius ut faces igneae (hebr.), proinde quam maxime collucentes; demum brachia et pedes sicut aspectus aeris candentis vel politi ac tersi, fulgentis; cf. Ez. 1,7. Totus igitur angeli habitus lucem, splendorem, fulgorem prae se fert. Deus est lux et

ignis consumens, et simili modo coelestes potestates, angeli, exhibentur; iis enim symbolis et eximia sanctitas, pulchritudo, gloria depingitur, dum in ardenti igne et fulgure etiam summa quaedam potestas et terror mortalibus incussus adumbratur. Vox quoque eius aliquid maius voce hominis sonabat, sicut maximus quidam strepitus ac fremitus; cf. Ez. 1,24. In omnibus igitur aliquid humano sublimius ac potentius exprimitur; aliter enim sublimem angelorum naturam nobis effingere non valemus. — Haec descriptio in compluribus eam imitatur qua Ez. 1 gloria Domini exhibetur; exprimitur quoque forma simillima Apoc. 1,13-15; unde aliqui existimarunt hic quoque apud Danielem non angelum apparere, sed ex habitu ipsam Iahve apparitionem esse colligendam (*Keil*). At merito fere omnes angelum Danieli visum esse tenent eumque communiter nominant Gabrielem, qui antea quoque apparuit vati 8,16 et 9,21. Clare enim angelus designatur v. 11 : missus sum ad te et v. 13 in eius adiutorium venit angelus alter.

Uti fieri solet in coelesti apparitione, homini fragili timor divinitus iniicitur; cf. ad Is. 6,5. Ez. 2,1. Dan. 7,15; v. 7 « *vidi autem ego Daniel solus visionem; porro viri qui erant mecum non viderunt, sed terror nimius irruit super eos et fugerunt in absconditum* »; — simile in vocatione Pauli accidisse legitur Act. 9,7; 22,9. Ipso suo timore et fuga testes erant Danieli aliquid divinitus patefieri. Volunt quidam eos aut splendore aut sonitu loquentis esse exterritos (*Mald. Lap. Men.*), *Sanct.* autem censet probabilius sola coelestis naturae praesentia naturam hominum inferiorem ac fragilem esse concussam. Et cum Daniel dicat visionem ab aliis non esse conspectam, etiam excludi videtur splendor qui quam maxime ad rem a Daniele conspectam pertinebat. Quod de vocis fragore dicitur in v. 6, videtur praeoccupatum esse, cum tandem in v. 9 se audisse vocem referat. — Ipse vates quoque terrore percellitur v. 8 « *ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me et emarcui nec habui quidquam virium* »; — et splendor meus mutatus est in corruptionem (hebr.) i. e. color ille qui erat in corporis superficie mutabatur (*Theod.*) cf. 5,6. 9; 7,28; exsanguis prae metu totus expalluit (*Sanct.*), et quomodo splendor eius et decus abierit in corruptionem, etiam declaratur ultimo membro : factus est quasi ex longo morbo maciem ac tabem contraxisset.

Terror ex visu conceptus augetur, cum vocis strepitum ac fremitum audiret v. 9 « *et audivi vocem sermonum eius et audiens iacebam consternatus super faciem meam et vultus meus haerebat terrae* »; — hebr. *factus sum soporatus* vel sopitus, i. e. deliquio oppressus et

sensibus destitutus pronus iacebam in terra, quasi mente alienatus et exanimatus. Fragili homini succurrit natura altior, uti Ez. 2,2; v. 10 « *et ecce manus tetigit me et erexit me super genua mea et super articulos manuum mearum*[1], v. 11 *et dixit ad me : Daniel vir desideriorum, intellige verba quae ego loquor ad te et sta in gradu tuo; nunc enim sum missus ad te; cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens* »; — postquam suam sensit infirmitatem, experitur vim supernam qua erigitur; homo enim suae sibi conscius imbecillitatis et virtute coelesti confortatus aptus est cui favores divini concedantur; Deus enim qui superbis resistit humilibus dat gratiam. Angelus blande eum alloquitur : Daniel vir dilectissime; vide ad 9,23, ex qua allocutione Gabrielem angelum cognosci posse haud improbabiliter aliqui coniectant (*Mald.*). Profectionem suam angelus indicat a Deo destinatam, ut Danielem solaretur et edoceret, quem nuntium coelitus missum cum reverentia stans audiat. Ita nimium timorem ei eximit et Dei circa eum providentiam ac benignitatem commendat, qui tam sublimi ad eum utitur internuntio.

b) **Angelus vatem solatur 10, 12-11, 1.**

Faustus nuntius ei affertur; minime frustra preces fudit et sese afflixit v. 12 « *Et ait ad me : noli metuere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos* »; — *ad intelligendum,* id igitur egit Daniel in illa temporum difficultate, ut quae esset Dei voluntas et providentia et quo tenderent illae quas permiserit rerum molestiae ac vexationes perciperet. Nam reducibus et ad opus Dei manus admoventibus ea obiici impedimenta animum prophetae anxium tenebat ac sollicitum, quid causae esset. Prophetae enim reditum et instaurationem subsequentem eximio modo descripserant; unde vates timuit ne forte propter populi peccata et segnitiem Deus iuste iratus promissa sua cohiberet ab ingratis. Affirmat angelus statim eius preces benigne esse admissas a Deo; proinde fore quod petierat, id est eum edoctum iri de Dei consilio in rebus populi reducis administrandis. Quare postmodum ei ordinem et seriem rerum futurarum exponit. Pariter declaratur vis et efficacia supplicationis cum ieiunio coniunctae : statim preces exaudivit Deus et propter eas misit angelum consolatorem et consiliorum divinorum interpretem; en, egregium exemplum, quam bona sit oratio cum ieiunio (Tob. 12,8).

1. De articulis manuum nihil apud Theodotionem; apud LXX ἐπὶ τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν μου.

Notat *S. Hier.* : « quaeritur, si statim exauditus est, cur non statim ad eum missus sit angelus; data est ei per moram occasio amplius Deum deprecandi, ut ex eo quod plus desiderat per laborem plus audire mereatur ».

Aliam causam cur non statim venerit angelus exponit v. 13 « *princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum et ego remansi ibi iuxta regem Persarum* »; — cum princeps שׂר dicatur de Michaele qui unus de primis principibus appellatur, eadem vox in principe regni Persarum etiam angelum significat, sicuti infra quoque v. 20 princeps Graecorum et Michael princeps vester, angelus tutor Iudaeorum dicitur. Intelligi autem ubique angelum bonum, sententia est longe plurimorum ex veteribus et recentioribus catholicis eaque retinenda. Nam eo quod Michael dicitur princeps vester v. 21 et 12,1 princeps qui stat pro filiis populi tui, qui eos tuetur eorumque causam strenue agit et defendit, sine ullo dubio declaratur munus angeli tutoris, cui cura populi divinitus est commissa; quare consequens est et modo eodem loquendi necessarium, ut angelus qui appellatur princeps regni Persarum etiam censeatur curam eius regni sibi habere demandatam. Iam vero nequit concipi angelum malum ita describi, ut ei cura populi dicatur esse concredita. Proinde etsi diabolus dicatur princeps huius mundi, id ad nostrum locum non poterit applicari, quia nostro loco princeps ex oratione contexta non de eo dicitur qui dominatur in alios sive bene sive male, sed de eo qui aliorum res cura et studio suo prosequitur et fovet.

Itaque asseritur regna quoque et provincias habere angelum tutorem. Haec doctrina hic clare enuntiatur; at eius quasi germen et semen iam in prioribus libris sacris continetur. Habuit enim populus Israel angelum tutorem qui contra Aegyptios et in deserto suam ostendit curam populi; Ios. 5,14 angelus apparet qui se nominat principem exercitus Domini; 4 Reg. 19,35 angelus in castris Assyriorum occidit centum octoginta quinque millia. Porro angelos tutores describi hominum frequens est; eripiunt v. g. Loth ex incendio sodomitico; eos cernit Iacob patriarcha ascendentes in coelum et descendentes, quod quid est aliud nisi munus gerere internuntiorum inter Deum et homines? Balaam edocetur ab angelo, Isaias ope angeli emundatur a peccato; angelos comites Dei et exsecutores iudicii divini conspicit Ezechiel etc. etc. Unde inferre licet angelis quoque curae esse regna populorum quippe quae non sine consilio providentiae divinae conduntur et exsistunt. Ceterum ipse Daniel 7,10 Deum nobis ostendit multis millibus angelorum *ministrantium* circumdatum; ministrabunt

igitur Deo ad eius consilia in hominibus promovenda et exsequenda; si autem hoc, in regnorum quoque administratione suam collocare debebunt curam. Quare ex doctrinis iam traditis consequens quoque est, ut angelos *bonos* agnoscamus regnorum tutores. Unde perperam concludunt aliqui ex doctrina de angelis ad tempus machabaicum; vide Proleg.

Tamquam tutores curam eos specialem habere, ut sui quisque regni bonum et emolumentum promoveat, facile sequitur. Atque inde explicant quomodo intelligi debeat unum angelum alteri resistere vel angelum pugnare adversus angelum v. 20. In quam rem ita *S. Thomas :* « contingit quandoque quod in diversis regnis vel in diversis hominibus contraria merita vel demerita inveniuntur, ut unus alteri subdatur aut praesit. Quid autem super hoc ordo divinae sapientiae habeat cognoscere angeli non possunt nisi Deo revelante; unde necesse habent super his sapientiam Dei consulere. Sic igitur in quantum de contrariis meritis et sibi repugnantibus divinam consulunt voluntatem, resistere sibi invicem dicuntur, non quia sint eorum contrariae voluntates (cum in hoc omnes concordent quod Dei sententia impleatur); sed quia ea de quibus consulunt sunt repugnantia » (Summa, I q. 113 art. 8) et *S. Gregorius :* « sublimes spiritus eisdem gentilibus principantes nequaquam pro iniusta agentibus decertant, sed eorum facta recte iudicantes examinant, cumque uniuscuiusque gentis vel culpa vel iustitia ad supremae curiae consilium ducitur, eiusdem gentis praepositus vel obtinuisse in certamine vel non obtinuisse perhibetur; quorum tamen omnium una victoria est, sui super se Creatoris voluntas, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent nunquam volunt » (Moralia in Iob lib. 17 cap. 12; *M.* 76,19). Dum scil. suae quisque gentis bonum et emolumentum angelus cupiebat promovere, censent Gabrielem orasse Deum ut omnes Iudaei redirent in patriam, angelum autem Persarum eos remanere voluisse, ut Persae per eos verum cognoscerent Deum (cf. *Per. Mar. Lap. Tir. Gord. Loch, Rohl. Heb.*). Aliam alii causam dissensus angelorum afferunt, scil. angelum Persarum cernentem ipsius Israelis iniquitatem aegre tulisse quod ii maioris providentiae fructum ferrent (*Theod.*) vel quia Iudaeis in patriam redire renuentibus irasceretur (*S. Ephr.*) vel quia existimaret Iudaeos non pro peccatis satis dedisse poenarum. Quae rationes vix probari poterunt; sed dicendum est cum *Estio :* « figurae locutione significatum est quemlibet angelum qui vel homini vel regno praepositus est, summa cura et studio instare pro parte sibi commissa, donec per revelationem iis constet de divina voluntate aliquid diversum ordinante ».

Simul cum angelo etiam Michael tuitus est causam Iudaeorum. Cum unus de principibus primis dicatur, maiore quadam dignitate inter angelos praestare existimandus erit. Unde ordo quidam hierarchicus exsistere censeri debet. Ultimum membrum apud LXX et Theodotionem legitur : καὶ αὐτὸν κατέλιπον ἐκεῖ μετὰ τοῦ στρατηγοῦ βασιλέως (τοῦ ἄρχοντος βασιλείας) Περσῶν, qui textus prae *mas.* aptus videtur. Legitur hebr. iuxta *reges* Persarum, quae lectio ut aptum sensum fundat explica reges generatim de potentibus et principibus, qui tamen modus loquendi, praesertim cum addatur פָּרָס, satis mirus videtur neque satis commode explanari potest ex Ps. 2,2. Iob 29,25. Ez. 26,7. Etiam minus placet intelligi regem et angelum principem (*Hitz.*) vel seriem regum Persarum, ita ut angelus innuat hac sua victoria iam etiam in posterum prospectum esse bono Iudaeorum apud reges Persarum. Etiam נוֹתַרְתִּי quo sensu dicatur controvertitur. Notio quae verbo frequenter inest : reliquus factus est, reliquus fuit, non convenit neque vox apte deflecti potest ad significationem : supervacaneus vel inutilis ibi factus sum (id quod vult *Z.*), qua notione non usurpatur. Significatus remanendi reperitur Gen. 35,25; sed *ego remansi* h. l. ita deberet concipi ut ad idem tempus referatur quo restitit angelus; nam post dies viginti et unum angelus non iam remansit apud regem sed venit ad vatem, at tunc non apte ponitur postquam dictum est Michael ei venisse adiutorem; ita enim per adiutorium indicatur demum post longius certamen victoriam esse reportatam, post quam statim adiit prophetam; etenim cur non antea venerit, causa reponitur in certamine quod obeundum erat v. 13. Molestiam eam quae ex collocatione oritur alii effugiunt explicantes : victoriam reportavi, excellui; quae tamen explicatio eo laborat incommodo ut pro hoc loco sit excogitata; nusquam enim ea notione vox illa reperitur. Omni autem difficultate liberamur textu graeco : causam populi apud regem tuetur Michael archangelus.

At nequit dissimulari in v. 12. 13 haud parum esse obscuritatis. Dicit enim angelus iam die primo orationis et ieiunii prophetae preces eius esse exauditas. Id itaque scit angelus; proin de voluntate Dei iam constabat. Quomodo igitur alter angelus adhuc resistere poterat? Nam angelorum pugnam explicant S. Thomas aliique ex Dei voluntate nondum angelis cognita. Haec igitur explicatio non videtur hic nodum solvere. Eritne igitur dicendum angelum qui resistebat a Deo precibus suis voluisse obtinere mutationem decreti et proinde voluntatem illam qua preces Danielis auditae sint considerasse quasi conditioni alligatam et nondum absolutam? Neque facile intelligitur quid tandem angelus cui Michael opem tulit sua

obtinuerit victoria. Vix enim angelus ob id restitit, ne nuntius de rebus futuris Danieli afferretur; nam cur mentio fieret regis Persarum? Igitur necessario agitur de bono populi quod promoveri possit a rege. Atque de ea re etiam Danielem sollicitum esse supra diximus atque profecto revelatio quae ei fit ad hanc curam et sollicitudinem sedandam spectat. Si vero ita est, iam non intelligitur, quid angelus victoria sua obtinuerit. Nam machinationes illae hostium populi revera tantum valuerunt, ut destruerent consilium Iudaeorum omnibus diebus Cyri regis Persarum et usque ad regnum Darii regis Persarum Esdr. 4,5; et intermissum est opus domus Domini in Ierusalem et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum Esdr. 4,24; de qua re vide ad Agg. 1,2 seq. Itaque id de quo angelus apud regem Persarum agere censeri commode potest non effecit; eritne igitur assumendum, id impetratum esse ne deterius quid Iudaeis accideret? ne iuberentur ex Iudaea remeare in exsilium? Id tamen parum videtur nec tanto apparatu dignum. Manet igitur sua veritas verbis quibus utitur *Sa*.: mihi plane mirabilis videtur et intellectu difficillima ista angelorum inter se pugna.

Propter vocem resistendi et v. 20 proeliandi adversus principem Persarum nonnulli in principe Persarum malum angelum agnoscendum esse putarunt. Ita legitur apud Cassianum collatione 8 cap. 13 (*M.* 49,742 seq.), itemque in libro (olim S. Prospero adscripto) de promissionibus et praedictionibus Dei, parte 4 quae etiam in dimidium temporis inscribitur cap. 4 (*M.* 51,840); eadem sententia proponitur a Ruperto, abbate tuitiensi, in opere de victoria Verbi lib. 9 cap. 6.7 (*M.* 169,1403); dein fuse eam propugnat *Sanct.* et ex recentioribus protestantibus eam amplectuntur *Z. Keil.* Sententia *S. Hier.* potest in utramque partem verti. Dicit enim ad v. 13 : « videtur mihi hic esse angelus cui Persis credita est iuxta illud quod in Deuteronomio legimus : quando dividebat Altissimus gentes et disseminabat filios Adam, statuit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei (Deut. 32,8 LXX)... restitit angelus Persarum faciens pro credita sibi provincia ne captivorum omnis populus dimitteretur ». Quis audiens Persidem *creditam* angelo, angelos *Dei, pro credita* sibi provincia angelum facientem non cogitat de bono angelo? At media in sententia aliud ponit s. doctor : « isti sunt principes de quibus et Paulus apostolus loquitur : sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum saeculi huius cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent » (1 Cor. 2,6), id quod unice de malis angelis dici potest; atque demum concludit : « restitit princeps Persarum enumerans peccata populi Iudaeorum quod iuste tenerentur captivi et dimitti non deberent ». Qui de angelo malo explicant, quandoque provocant ad Is. 24,21. Bar. 4,7. 1 Reg. 16,4. 3 Reg. 22,22. 1 Cor. 10,20; utique hoc certum est daemones et singulos infestare et in pugna gentium contra regnum Dei suas agere partes; at ex eo minime sequitur etiam nostro loco diabolum a propheta describi vel daemonem vocari ab angelo principem Persarum.

Singularis est sententia *Calm.* qui mavult principem hunc Persarum

interpretari Cyrum qui totis uno et viginti diebus restiterit Gabriel monenti; quare *Calm.* etiam v. 20 agnosci posse opinatur in principe Graecorum Alexandrum Magnum, qui menti Gabrielis obversatus sit. At ita omnis proprietas dictionis ex verbis et contexta oratione quam peti oportet evertitur ac deseritur.

Explicuit angelus, cur moram nexuerit, verum ipsam quoque moram utiliter esse impensam docuit; iam ad quid praesens advenerit exponit v. 14 « *veni autem ut docerem te quae ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies* »; — in novissimis temporibus multi exponunt de tempore messiano, ita ut angelus dici debeat ea solum ob oculos habere quae 12,1 seq. declarantur. At id satis durum est. Scite autem advertit *Sanct.* בְּאַחֲרִית הַיָּמִים dici 2,28 non solum de tempore messiano, sed de tempore simpliciter futuro usque ad tempus messianum hoc tempore incluso; tale enim tempus futurum Nabuchodonosor regi in illa statua est praefiguratum. Unde ex 2,28 eandem dictionem eodem modo hic accipere possumus idque eo magis quia angelus revera tempus exponit et proxime futurum et longe remotum. Proin explicari oportet de tempore subsequente, et ad hoc tempus, *ad* hos *dies* dicitur visio spectare, de his diebus valere; cf. לַיָּמִים; et de his *adhuc* visionem dari dicitur, cum iam antea cap. 7 et 8 de eo tempore actum sit (*Sanct.*).

Angelo loquenti reverentiam exhibet vates et certe etiam admiratione quadam aut stupore tangitur cum audierit quam amanter Deus populo provideret et quam sedulo naturae quoque nobiliores ac coelestes, angeli, curam eius gererent; unde v. 15 « *cumque loqueretur mihi huiuscemodi verba, deieci vultum meum ad terram et tacui* »; — vox ei prae stupore et nobilioris naturae reverentia interclusa erat; simul significatur ad loquendum cum angelo et ad vaticinia communicanda indiguisse vatem auxilio superno; proin agi de re quae solis viribus humanis nequeat perfici. Quare signo ad rem apto virtutem ei dari altiorem indicatur v. 16 « *et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea et aperiens os meum locutus sum et dixi ad eum qui stabat contra me : domine mi, in visione tua dissolutae sunt compages meae et nihil in me remansit virium;* v. 17 *et quomodo poterit servus domini mei loqui cum domino meo; nihil enim in me remansit virium sed et halitus meus intercluditur* »; — eum qui tetigit labia prophetae fuisse angelum ipsum qui ad eum loquebatur, clare sequitur ex v. 18 et ex v. 19 cum Daniel dicat : loquere domine quia *confortasti* me, quae confortatio ab eo facta dicitur qui quasi species viri labia eius tetigit; quare supervacanee fingit *Keil* alterum angelum praeter

eum quem vates statim alloquitur. Quasi species viri etiam 8,15 de angelo Gabriel dicitur. Tactu significatur labia a Deo aperiri; cf. Ps. 50,17. Is. 6,6. 7. Allocutio אֲדֹנִי etiam Ios. 5,14 et Iud. 6,13 ad angelum fit; immo frequenter ad hominem; lege v. g. Gen. cap. 23. 24. 33. 44 etc. etc. Hebr. vertes : propter visionem dolores mei (ad me) conversi sunt (*Vat. Mar.*), dolore et defectu virium obrutus sum; cf. v. 7-9. Animo valde demisso loquitur vates in v. 17 coram angelo suam intime sentiens infirmitatem. Quae animi demissio est etiam optima praeparatio ad dona Dei accipienda; humilibus enim dat Deus gratiam. Talem animi verecundiam viri manifestant divinis favoribus donati; cf. Gen. 18,27. Is. 6,5, ad quem locum notat S. Chrysostomus : tales sunt sancti omnes : quando maiore fruuntur honore, tunc magis humiliantur.

« Videmus Deum non subito sed paulatim agere ut sese ad naturam rerum accommodet; primum Danielem in genua tantum et manus erexit v. 10, dein in pedes v. 11; postea mutum loqui fecit sed trementem ac trepidantem v. 16; nunc timorem ipsum excutit » (*Mald.*) v. 18 « *rursum ergo tetigit me quasi visio hominis et confortavit me* v. 19 *et dixit : noli timere vir desideriorum; pax tibi, confortare et esto robustus! Cumque loqueretur mecum, convalui et dixi : loquere, domine mi, quia confortasti me* »! — quia non subito Daniel viribus integris adstare exhibetur, etiam quantopere illa visione sit perculsus describitur. Pacem non solum adprecatur angelus sed eam in animo vatis efficit, itemque non tantum bis iubet eum esse fortem sed simul reddit fortem, quia verba coelitus missa id operantur quod sonant. Id experitur Daniel; unde se confortatum sentit angelo loquente et iam aptum cui vaticinia communicentur.

Ea autem vaticinia aliquo vestit prooemio v. 20-11,1; primo excitat Danielis attentionem insinuans se multa et praeclara esse dicturum quae ne suspicari quidem posset vates v. 20 « *et ait : numquid scis, quare venerim ad te* »? — dein exponit quid negotio peracto sibi sit agendum : « *et nunc revertar, ut proelier adversum principem Persarum; cum ego egrederer, apparuit princeps Graecorum veniens* »; — i. e. tunc, oraculo dato, reversurus sum; causam igitur susceptam etiam postmodum se tuiturum esse affirmat contra angelum tutorem Persarum; proinde spondet se fore sollicitum pro emolumento Israel; porro quam primum res composita est cum angelo Persarum, alius iam mihi occurrit, angelus scil. tutor *Iavan* vel Graecorum. Hebr. *et ego egrediens et ecce princeps Iavan venit*, egredi dicitur de expeditione militari suscipienda; post regnum Persarum oritur regnum Graecorum; promittit itaque angelus se etiam stante hoc regno causam

populi Dei promoturum esse. Dein ea quoque se annuntiaturum praefatur quae tempore regni Graecorum futura sunt v. 21 « *verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis, et nemo est adiutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester;* 11,1 *ego autem ab anno primo Darii Medi stabam ut confortaretur et roboraretur* » ; — scriptura vel liber veritatis dicuntur decreta divina quae apud Deum quasi scripto consignata reponuntur; cf. 7,10. Deut. 32, 34. Ps. 138,16. In his quae contra regnum tertium agenda sunt sibi adiutorem esse Michaelem, angelum tutorem Iudaeorum, affirmat. Michael itaque protector et opitulator populi Dei speciali modo perhibetur; quare iure habetur singulari ratione tutor ac defensor Ecclesiae quae est heres bonorum messianorum et successit veteri foederi. Michael autem ita nunc angelo opem ferre dicitur, sicut angelus ei adstitit primo anno Darii, uti textum hebr. accipiunt *Vat. Mar. Calm. Rohl.* aliique recentiores. De qua re angeli eo tempore fuerint solliciti, declarat *Theod.* ut scil. populus quantocius libertate redeundi in patriam donaretur. Hebr. ad verbum *stare meum* i. e. adstiti *ad confortandum et roborandum eum;* ad Darium alii referunt cui adstiterit angelus in bona regni administratione vel ut fortiter ac constanter populo Dei faveret. Angelorum cura et auxilium hisce exemplis egregie demonstratur.

c) De initiis regni Graecorum 11, 2-4.

Pauca quaedam de regno Persarum praemittuntur v. 2 « *Et nunc veritatem annuntiabo tibi: ecce adhuc tres reges stabunt in Perside et quartus ditabitur opibus nimiis super omnes et cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum regnum Graeciae* »; — i. e. tres reges post Cyrum scil. cuius in anno tertio oraculum hoc editur; igitur Cambyses, Pseudo-Smerdis, Darius Hystaspi; quartus est Xerxes « qui potentissimus rex et ditissimus adversum Graeciam innumerabilem duxit exercitum » (*S. Hier.*). Divitiae a Xerxe collectae apud rerum scriptores laudantur. Iam *Mald.* recitat locum ex Iustino 2,10 : « ceterum si regem spectes, divitias non ducem laudes, quarum tanta copia in regno eius fuit, ut cum flumina multitudine consumerentur, opes tamen regiae superessent »; cf. Herod, 7,29; atque de eo Cicero quoque scribit (Tuscul. disput. 5,7. 20) : « Xerxes refertus omnibus praemiis donisque fortunae non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, praemium proposuit qui invenisset novam voluptatem »; cf. *Sanct.* Quanto vero apparatu et quantis sumptibus bellum intulerit Graecis, graeci scrip-

tores et latini pleno ore, ut *Sanct.* loquitur, commendant; quare optime dicitur ab angelo : *excitabit omnia* contra regna (varias respublicas et civitates) Graeciae. Nam, ut Iustinus l. c. dicit, septuaginta millia de regno armaverat et trecenta millia de auxiliis; naves quoque decies centum millia numero habuisse dicitur.

A Xerxe statim fit transitus ad Alexandrum regibus aliis omissis, uti 10,20 angelo Graecorum veniente iam innuitur; non enim, ut *S. Hier.* notat, curae fuit spiritui prophetali historiae ordinem sequi, sed praeclara quaeque perstringere. Verae enim prophetiae, ut saepius iam notavimus, est non tam singularum rerum seriem enumerare quam ea efferre summa eventuum capita quae licet temporum intervallo sint discreta et separata, tamen vel vinculo quodam uti causa et effectus inter se cohaerent vel unam Dei normam complectuntur et exprimunt (cf. ad Mich. 1,9; Comment. in Is. I p. 313. 451). Cladibus autem Xerxi inflictis regnum Persarum labi et ad interitum inclinari et vergere coepit; quare longa illa mora aegrotationis nihil iam habuit quod ad res Iudaeorum pertineret. Insuper illa in Graeciam invasio opportunitatem praebuit vindictae quam Alexander arripuisse dicitur. Ita enim Alexander in epistola ad Darium Codomanum scripsisse perhibetur apud Arrianum (de exped. Alex. 2,14): « maiores vestri Macedoniam reliquamque Graeciam ingressi damnis nos affecerunt, cum ipsi nulla prius a nobis accepissent; ego, Graecorum imperator constitutus, Persarum iniuriam vindicare volens in Asiam traieci a vobis lacessitus ». Simili modo 8,4. 5 ad arietem cornibus ventilantem contra regiones accurrit celerrime hircus et efferatus in eum percussit eum; igitur idem cernitur breve dicendi genus.

Cum igitur tot reges Persarum omittantur ex una parte, ex altera autem nihilominus cernatur nexus inter invasionem Graeciae et ortum regni tertii, regni scil. Graecorum, Alexandri et successorum eius, duo facile colligimus; prius est non esse vaticinium post eventum; qui enim tale quid attentant fingere, ii sedulo curant ut vaticinia illa facta et ficta accurate secundum res gestas efformentur. Pro qua re afferri possunt testes quotquot exsistunt libri apocryphi qui res gestas involucro et forma vaticiniorum pertractant; atque profecto qui aliis persuadere vult esse editum vaticinium, illud ita effingit, ut rei de qua vaticinandum est omnino congruat. Alterum est in nexu illo id revera prodi quod in oraculis divinis saepe deprehendimus, eventus scil. longe inter se dissitos coniungi quia unus ex altero in rerum cursu oriri vel ab altero quasi praeparari videtur.

Ipse quoque Alexander generali solum modo describitur v. 3 « *surget vero rex fortis et dominabitur potestate multa et faciet quod pla-*

cuerit ei »; — en totum! si quis autem tempore machabaico finxisset vaticinium, quot et quanta narrasset? certe non omisisset quod Iosephus narrat de honore ab Alexandro pontifici et templo habito, quod exemplum adeo praeclarum contra regem Antiochum persecutorem et raptorem plurimum valuisset! Rex dicitur fortis, eius dominatio magna, modus dominandi ad eius arbitrium ac beneplacitum. Tria haec ita enuntiantur, ut ad omnem regem qui bellis regnum maius sibi condit applicari possint, vel maximi cuiusque imperatoris indolem exprimere videantur. Nihilominus recte advertunt ultima verba modo quodam eximio valere de ipso. Nihil enim tentavit, ut *Sanct.* loquitur, arduum licet et supra hominum spem quod non sive consilio atque solertia, sive virtute atque armis assecutus sit; quare obtinuisse quidquid liberet optime dici potuit et non tam subiisse fortunae imperium quam illud imposuisse fortunae; sic de illo Curtius : « fatendum est tamen cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunae quam solus omnium mortalium in potestate habuit; huius siquidem beneficio agere videbatur gentibus quidquid placebat[1] » (10,5. 35; *Sanct. Troch. Hitz. Z. Keil*); cf. 8,8.

Verum cum crevisset fractum est cornu magnum et orta sunt quattuor cornua subter illud (hebr. eius loco) per quattuor ventos coeli; ita 8,8 et nostro loco v. 4 « *et cum steterit, conteretur regnum eius et dividetur in quattuor ventos coeli; sed non in posteros eius neque secundum potentiam illius qua dominatus est; lacerabitur enim regnum eius etiam in externos exceptis his* »; — brevi ipsum regnaturum esse clare indicatur; hebr. כְּעָמְדוֹ ut stetit, simulac stetit vel surrexit (v. 3), regnum eius iam conteritur; quo modo conteratur, exponitur in seq.; dividetur; sed non ita ut regnum obtingat posteris eius neque ita ut dominatio maneat et consistat eadem potentia qua ipse sceptrum gessit; sed regnum eius exscindetur et erit aliis, extraneis scil., non posteris eius, vel hebr. aliis praeter eos scil. posteros eius, qui sunt scil. de eius familia vel stirpe; cf. אַחֲרִית Ier. 31,17. Am. 4,2; 9,1. Ps. 109, 13. Notat *S. Hier.* : « post Alexandrum in quattuor ventos coeli : orientem videlicet et occidentem, meridiem et septemtrionem regnum illius divisum est. In Aegypto enim primus regnavit Ptolemaeus Lagi filius i. e. ad meridiem; in Macedonia Philippus, id est ad occidentem; Syriae et Babylonis et superiorum locorum Seleucus Nicanor, id est ad

1. Haec sententiae pars ultima *huius siquidem* non legitur in editione Curtii quam ex quinque codicibus interpolationis labe non inquinatis recognovit Theodorus Vogel, Lipsiae 1884.

orientem; Asiae et Ponti ceterarumque in ipsa plaga provinciarum Antigonus, id est ad septemtrionem ». Ceterum vide ad 8,8. Nulli ex familia Alexandri regnum contigit; nam Hercules, eius ex Barsine filius, a ducibus non est agnitus tamquam legitimus Alexandri mortui heres, immo postea est occisus; Philippus vel alio nomine Arrhidaeus, qui tutor erat institutus filii eius quem mortuo Alexandro peperit Roxane, regnum obtinere vel conservare neque pro se neque pro filio Alexandri potuit; ipse et filius Alexandri occisi sunt. Denique postquam duces multum et diu inter se digladiati sunt, quattuor regna maiora exstiterunt.

d) **De bellis inter reges Aegypti et Syriae gestis 11, 5-20.**

Ex quattuor illis regnis duo illa angelus proponit consideranda, quae populum Dei spectant, Aegyptum et Syriam, regnum Ptolemaeorum et regnum Seleucidarum. Hi enim reges inter se dimicabant de terra palaestinensi; idcirco autem, advertit *S. Hier.*, cetera regna dimittens, Macedoniae videlicet et Asiae, tantum de Aegypti et Syriae narrat regibus, quia in medio Iudaea posita nunc ab illis nunc ab istis regibus tenebatur, et Scripturae sanctae propositum est non externam absque Iudaeis historiam texere, sed eam quae Israeli populo copulata est; v. 5 « *Et confortabitur rex austri et de principibus eius praevalebit super eum et dominabitur ditione; multa enim dominatio eius* »; — regem austri i. e. Aegypti qui confortetur intelligendum esse Ptolemaeum Lagi et veteres et recentiores consentiunt; erat quippe, ut *S. Hier.* dicit, vir prudentissimus fortissimusque ac ditissimus, obtinuit Cyprum et Phoenicen, Cariam quoque aliasque insulas et urbes; urbem quoque Ierusalem, ut Iosephus refert (Antiq. 12,1), dolo et fraude occupavit. Quis autem sit ille de principibus eius, non inter omnes constat, cum alii aliquem ex principibus Alexandri intelligant, alii ex ducibus ipsius regis austri. Hoc erit tenendum, ne *eius* et *super eum* referatur ad nomen satis dissitum; praeterea si ad Alexandrum spectaret dictio, assereretur quod in v. 4 est negatum, fore scil. ut quis Alexandri potentiam aequaret vel superaret. Insuper in v. 6 ita pergitur, ut pateat in antecedentibus sermonem fuisse de regibus austri et aquilonis. Quare non Ptolemaeus Philadelphus (*S. Hier. Sanct. Lap. Rohl.*), sed Seleucus Nicator intelligendus erit (*Calm. Loch, Troch. Hitz. Z. Keil, Meinhold*) qui olim fuit satrapes Babyloniae, sed postea ab Antigono fugit in Aegyptum et dux factus est in exercitu Ptolemaei Lagi. Babyloniam iterum recuperavit et pugna ad Ipsum facta titulum regium sibi attribuit; regnum eius a Phrygia usque ad Indum extendebatur; erat Ptolemaeo potentior.

Ut quae sequuntur facilius perspiciantur, non erit inutile in memoriam revocare seriem regum Aegypti et Syriae :

REGES AEGYPTI.	REGES SYRIAE.
Ptolemaeus Lagi 323-285 a. Ch.	Seleucus Nicator 310-281 a. Ch.
Ptolemaeus Philadelphus 285-247	Antiochus Soter 281-261
Ptolemaeus Euergetes I 247-221	Antiochus Theos 261-246
Ptolemaeus Philopator 221-205	Seleucus Callinicus 246-226
Ptolemaeus Epiphanes 205-181	Seleucus Ceraunos 226-222
Ptolemaeus Philometor 181-171	Antiochus Magnus 222-187
Ptolemaeus Euergetes II 171-167	Seleucus Philopator 187-175
	Antiochus Epiphanes 175-164

Post aliquod tempus conatus fit constituendi foedus inter regnum utrumque; sed frustra v. 6 « *et post finem annorum foederabuntur, filiaque regis austri veniet ad regem aquilonis facere amicitiam et non obtinebit fortitudinem brachii nec stabit semen eius et tradetur ipsa et qui adduxerunt eam, adolescentes eius et qui confortabant eam in temporibus* »; — duo reges annorum serie praeterita societatem inibunt, duo scil. reges regnorum de quibus in v. 5 mentio facta est. Serie annorum interposita iam facile colligitur eos reges non fore viros eosdem, de quibus v. 5. Filia regis austri veniet ad regem Syriae, ut faciat *rectitudines* (hebr. *Mar.*), ut ea complanet inter reges duos quae sint tortuosa et curva, ut aequis conditionibus componat pacem (*Mar.*). At frustra; neque enim *retinebit fortitudinem brachii* i. e. in potentia non manebit, *nec stabit* id quod illo foedere est constitutum *nec brachium eius* (hebr.) regis scil. austri fortitudo, potentia; sed ipsa *tradetur* in manus inimicorum; ipsa igitur peribit et una cum ea peribunt qui eam adduxerunt ad regem aquilonis et *qui eam genuit* (hebr.) et qui eam iuvare ac potentem reddere studebat suis temporibus, in illis scil. rerum conditionibus.

De qua re hic sermo fiat, bene declarat *S. Hier.* quem veteres et fere omnes recentiores sequuntur : Antiochus Theos adversus Ptolemaeum Philadelphum gessit bella plurima et totis Babylonis atque orientis viribus dimicavit. Volens itaque Ptolemaeus Philadelphus post multos annos molestum finire certamen filiam suam nomine Berenicen Antiocho uxorem dedit, qui de priore uxore nomine Laodice habebat duos filios Seleucum qui cognominatus est Callinicus et alterum Antiochum. Antiochus autem Berenicen consortem regni se habere dicens et Laodicen in concubinae locum, post multum temporis amore superatus Laodicen cum liberis suis reducit in regiam. Quae metuens

ambiguum viri animum ne Berenicen reduceret, virum per ministros veneno interfecit; Berenicen autem cum filio qui ex Antiocho natus erat Icadioni et Genneo Antiochiae principibus occidendam tradidit filiumque suum maiorem Seleucum Callinicum in patris loco regem constituit. Ita *S. Hier.;* ex rerum eventu igitur *is qui eam obtinebat* vel adiuvabat (hebr. sing.) est ipse eius maritus, Antiochus Theos, qui propter eam ipse periit. Nam quam primum Ptolemaeus Philadelphus mortem obiit 247, Antiochus Theos Berenicen repudiavit et Laodicen denuo sibi adiunxit, quae mox eum vindictae causa veneno interfecit. Cum Berenice pariter cum filiolo Daphnae apud Antiochiam interfecta esset, spes illa concidit quam Ptolemaeus conceperat fore ut Berenices filius regnum obtineret Seleucidarum et ita Ptolemaei regnarent in Aegypto et in Syria. Unde bene congruit quod in *vulg.* legitur : non stabit *semen* eius; eodem modo Theodotio σπέρμα αὐτοῦ, proin regis austri; sim. *Sym.;* LXX autem legerunt brachium; cf. זֶרַע semen et זְרוֹעַ brachium, robur, auxilium.

Hebr. ***nec stabit et brachium eius*** etiam ita explicari potest : nec ipse rex austri nec filia, quam sibi auxilio fore putaverat et fulcro in obtinenda dominatione Syriae, stabit seu rem ad eventum perducet. Brachium potest in toto versu intelligi de potentia et auctoritate qua quis valet; neque opus est cum aliis ad notionem exercitus (uti v. 15.22. 31) vel adiutoris, protectoris deflectere, neque opus est in altero membro cum *Hitz.* mutare textum : et non manebunt brachia eius. LXX paulo aliter legisse videntur : καὶ οὐ μὴ κατισχύσει, ὅτι ὁ βραχίων αὐτοῦ οὐ στήσει ἰσχύν, καὶ ὁ βραχίων αὐτοῦ ναρκήσει. Pro ***patre eius*** הַיֹּלְדָהּ praebet Theodotio ἡ νεᾶνις, ***S. Hier.*** adolescentes; cf. יַלְדָּה puella et יֶלֶד puer; LXX eam vocem non exprimunt.

Sed hanc caedem ulciscetur unus ex eius familia v. 7 « *et stabit de germine radicum eius plantatio et veniet cum exercitu et ingredietur provinciam regis aquilonis et abutetur eis et obtinebit;* v. 8 *insuper et deos eorum et sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti et auri captiva ducet in Aegyptum; ipse praevalebit adversus regem aquilonis* »; — de surculo radicum eius scil. filiae regis austri; ergo surget, exsistet aliquis ex stirpe regia Aegypti; nam radices filiae sunt parentes eius et surculus frater eius, Ptolemaeus Euergetes; כַּנּוֹ, in v. 20. 21. 38 legitur עַל כַּנּוֹ in loco eius, et sic etiam hoc loco dictionem explicant; *S. Hier.* videtur ob oculos habuisse כַּנָּה *planta* Ps. 80,16 (?); LXX autem habent : καὶ ἀναστήσεται φυτὸν (ergo נצר sine praepositione מִן) ἐκ τῆς ῥίζης αὐτοῦ καθ' ἑαυτόν [1], quae lectio in parte priore planior est;

1. Quare non verum est quod dicitur *Ges.* Thes. p. 694 LXX vertisse כַּנּוֹ φυτὸν αὐτοῦ.

et *veniet* expeditione militari *contra exercitum* et veniet ad praesidium vel ad arcem regis aquilonis et faciet contra eos et invalescet; ita ex hebr.; quomodo facturus sit vel quomodo superaturus sit, magis declaratur v. 8 spoliis opimis bello captis. Ultimum membrum aliqui vertunt ex hebr. : et ipse desistet per aliquot annos a rege aquilonis (*Hitz. Z.*); at melius convenit sensus quem Theodotio στήσεται ὑπὲρ βασιλέα (ergo עַל contra? vel מִן sensu comparativo?) et *vulg.* exprimunt (cf. *Ges.* Thes. p. 1039; *Keil*). Rem narrat *S. Hier.;* Ptolemaeus Euergetes, frater Berenices, aggressus est Seleucum Callinicum regem Syriae, cepit Syriam et Ciliciam superioresque partes trans Euphraten; cumque audisset in Aegypto seditionem moveri diripiens regnum Seleuci quadraginta millia talentorum argenti tulit et vasa pretiosa simulacraque deorum, in quibus erant et illa quae Cambyses capta Aegypto in Persas portaverat. Eius victoria et spolia etiam marmori adulitano inscripta sunt quod monumentum sibi victor erexit. Notat *S. Hier. :* gens Aegyptiorum idololatriae dedita quia post multos annos deos eorum retulerat (simulacra 2500?!) Euergeten eum appellavit.

Seleucus Callinicus tentabit quidem expeditionem adversus Aegyptum; at frustra; ita in v. 9 ex hebr. *et intrabit in regnum regis austri et revertetur ad terram suam;* ita quoque Theodotio : καὶ εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ βασιλέως τοῦ νότου; atque revera circa annum 240 Seleucus expeditionem in Aegyptum suscepit, verum victus proelio, ut Iustinus loquitur (Histor. 27,2), trepidus Antiochiam confugit. *S. Hier.* autem vertit similiter ac LXX v. 9 « *et intrabit in regnum rex austri et revertetur ad terram suam* »; — at in hoc versu non de rege Aegypti esse sermonem, sed de rege Syriae, uti in textu hebr. et apud Theodotionem habetur, patet etiam ex subsequentibus, in quibus uti ipse *S. Hier.* bene exponit, agitur de duobus filiis Seleuci Callinici et de bello adversus Ptolemaeum Philopatorem v. 10 « *filii autem eius provocabuntur et congregabunt multitudinem exercituum plurimorum et veniet properans et inundans et revertetur et concitabitur et congredietur cum robore eius;* v. 11 *et provocatus rex austri egredietur et pugnabit adversus regem aquilonis et praeparabit multitudinem nimiam et dabitur multitudo in manu eius* »; — filii Seleuci Callinici erant Seleucus Ceraunus et Antiochus qui postmodum Magnus est cognominatus. Legitur numerus pluralis *filii eius* etiam apud Theodotionem; si cum *qeri* hebr. retinetur (id quod duobus verbis subsequentibus commendatur), explanari oportet ita, ut duo filii quidem exercitum congregaverint, sed antequam bellum inferretur Aegypto, Seleucus Ceraunus expeditione in Asiam minorem contra

Attalum pergamenum occisus sit. LXX et hebr. kethib praebent numerum singularem καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ καὶ ἐρεθισθήσεται καὶ συνάξει etc.; in altero membro optime legitur *et veniet* etc., cum post occisionem Seleuci Cerauni Antiochus frater eius bellum gereret contra Ptolemaeum Philopatorem. Antiochus enim expugnavit Seleuciam ad Orontem sitam et proditione Theodoti Tyrum quoque et Ptolemaida occupavit (cf. *S. Hier.* ad h. l. Polyb. 5,42-43. 45. 60-62). Dein iniit indutias cum Aegyptiis. At mox bellum instauratum est. Advertit enim Aegyptios solum nectere moras quoad vires pararent (Iustinus, 30,1). Quare bene dicitur in v. 10 *et revertetur;* Aegyptii iterum vincuntur prope Sidonem; Antiochus autem occupat Phoenicen et Palaestinam (cf. Iosephus, Antiq. 12,3. 3) et stativa sua ponit in urbe munitissima Gaza; ad id potest referri quod in textu hebr. legitur : *et revertetur et incitabuntur* (dimicabunt) *usque ad arcem.*

Tum, uti in v. 11 indicatur, etiam rex austri, Ptolemaeus Philopator, denuo colligit exercitum; teste Polybio (5,79) septuaginta millia peditum, quinque millia equitum et septuaginta tres elephantes duxit contra Antiochum. Etiam Antiochus rex aquilonis praeparabit multitudinem nimiam; verum haec dabitur in manum regis austri; hic victoriam reportabit. Ptolemaeus enim, ut Iustinus narrat (30,1) « magno in Graecia exercitu conducto secundum proelium fecit; spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute iuvisset; sed contentus recuperatione urbium quas amiserat facta pace avide materiam quietis arripuit ». Hisce congruit quod dicitur v. 12 « *et capiet multitudinem et exaltabitur cor eius et deiiciet multa millia, sed non praevalebit* »; — hebr. *efferetur multitudo* scil. exercitus regis Aegypti; « inito igitur certamine iuxta oppidum Raphiae quod in foribus Aegypti est omnem Antiochus amisit exercitum et per deserta fugiens pene captus est » (*S. Hier.*). Polybio narrante (5,86) non multo pauciores decem millibus ex exercitu Antiochi occisi sunt et super quattuor millia capta. Cumque cessisset Syria, ut *S. Hier.* dicit, ad extremum foedere et quibusdam conditionibus pugna finita est. Ptolemaeus Philopator tamen potens factus minime est; οὐ κατισχύσει (Theodotio), non roborabitur (hebr.); nam teste Iustino revolutus in luxuriam totum se dedit voluptatibus (30,1).

Antiochus Magnus autem de clade accepta postea ultionem repetiit v. 13 « *convertetur enim rex aquilonis et praeparabit multitudinem multo maiorem quam prius et in fine temporum annorumque veniet properans cum exercitu magno et opibus nimiis* »; — in fine temporum annorum (hebr.) i. e. post annos complures. Et revera Antiochus post annos tredecim « Ptolemaeo Philopatore mortuo adversum filium

eius qui tunc quattuor annorum erat et vocabatur Ptolemaeus Epiphanes rupto foedere movit exercitum » (*S. Hier.*). Simul inierat foedus cum Philippo Macedonum rege, ut regnum aegyptiacum inter se dividerent (*Iustinus*, 30,2; *S. Hier.*). Explica *opes* de apparatu bellico. Eodem tempore in ipso regno aegyptiaco magnae erunt perturbationes et seditiones v. 14 « *et in temporibus illis multi consurgent adversus regem austri; filii quoque praevaricatorum populi tui extollentur ut impleant visionem et corruent* » ; — seditionum illarum rationem affert *S. Hier.;* Agathocles enim qui nomine regis pueruli res administrabat « tantae dissolutionis et superbiae fuit, ut subditae prius Aegypto provinciae rebellarent ipsaque Aegyptus seditionibus vexaretur ». Eo tempore filii quoque violenti i. e. indolis perfractae et facinorosae, ad vim et violentiam proni efferentur, ut visionem, prophetiam confirment i. e. eorum modo agendi fit, ut oraculis sua stet veritas eaque omnibus manifestetur. Illi ex Iudaeis intelliguntur qui ad partes Antiochi transierunt; isti enim dominationi regum Syriae viam parabant et ita effecerunt, ut vaticinia cap. 8 de rege persecutore implerentur; aliis verbis, ii regi Antiocho Epiphani viam parabant et sibi ipsi perniciem adsciscebant. Quantopere Iudaei deserentes legitimum regem Ptolemaeum Epiphanem regi Antiocho opem tulerint, narrat Iosephus, Antiq. 12,3. 3. Fortasse pernicies eorum qui ad partes Antiochi desciverant iam partim effecta est per Scopam, ducem militarem Aegyptiorum, qui, ut Iosephus l. c. narrat, gentem nostram cepit, oppugnata enim in eius partes concessit; idemque affert ex Polybio : Scopas copiarum Ptolemaei dux per hiemem Iudaeorum gentem vastavit κατεστρέψατο.

In hunc modum explicant *Calm. Loch, Rohl. Troch. Hitz. Z. Keil, Meinhold;* et similiter *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel, 3 ed. IV p. 369. Ita v. g. loquitur *Calm.* : « rati experturos se in Antiocho Magno patronum validumque defensorem opinione sua frustrati quidem non sunt quippe quem sibi beneficentissimum habuerunt, sed brevi; implenda erat visio et Iudaeos imperio regum Syriae submitti necesse fuit, ut Antiochi Epiphanis tyrannidem experirentur ». Aliter *S. Hier.* exponit; postquam enim dixit pugnantibus contra se Magno Antiocho et ducibus Ptolemaei Iudaeam in medio positam in contraria studia esse scissam, refert de Onia sacerdote qui assumptis Iudaeorum plurimis fugerit in Aegyptum et templum exstruxerit putans se implere vaticinium Is. 19,19 : « sed *corruent,* quia et templum et urbs postea destruentur ». Similiter accipiunt *Per. Sanct. Mald. Sa, Mar. Lap. Tir. Gord.;* at contra hanc explicationem iam advertit *Calm.* praedici a propheta quid futurum sit *in temporibus illis,* eo scil. tempore quo Antiochus expeditionem in Ptolemaeum Epiphanem susciperet;

Oniam autem nonnisi post plures annos sub Ptolemaeo Philometore templum exstruxisse; cf. Iosephus, Antiq. 13,3. 1-3. Praeterea haec templi Heliopoli facta aedificatio non vertebatur Iudaeis perniciei; insuper in v. 14 rebellio Iudaeorum exprimitur contra regem Aegypti.

Bellum inter Antiochum regem Syriae et regem Aegypti (cf. v. 13) ulterius describitur v. 15 « *et veniet rex aquilonis et comportabit aggerem et capiet urbes munitissimas et brachia austri non sustinebunt et consurgent electi eius ad resistendum et non erit fortitudo* »; — in hebr. et apud LXX legitur numerus singularis : capiet urbem munimentorum, τὴν πόλιν τὴν ὀχυράν; apud Theodotionem et Syrum et S. Hier. ponitur numerus pluralis; sensu eodem videtur singularis accipiendus. Brachia austri i. e. exercitus vel copiae nihil contra eum efficere valebunt; immo ne milites quidem delecti poterunt resistere. Rem gestam optime narrat *S. Hier.*; Scopam ducem Ptolemaei iuxta fontes Iordanis, ubi nunc Paneas condita est, Antiochus devicit et cum decem millibus armatorum obsedit clausum in Sidone; ad eum liberandum misit Ptolemaeus tres duces, Eropum, Menoclem, Damoxenum; at frustra. Scopas fame superatus manus dedit et nudus cum sociis dimissus est. Praeterea Antiochus multas cepit urbes Syriae, Ciliciae, Lyciae, quas *S. Hier.* ad h. l. enumerat; aliquas etiam recenset Iosephus, Antiq. 12,3. 3. Qui *urbem* munimentorum sensu singularis numeri accipiunt, intelligunt ex re gesta Sidonem. Sed dictio vaticinii videtur esse magis generalis.

Victoriis reportatis Antiochus pro arbitrio aget v. 16 « *et faciet veniens super eum iuxta placitum suum et non erit qui stet contra faciem eius et stabit in terra inclyta et consumetur in manu eius* »; — hebr. *et consummatio in manu eius;* terra *decoris* est Palaestina; vide ad 8,9 ubi in hebr. eadem est dictio et vide ad Ier. 3,19 et Ez. 20,6. In terra palaestinensi consistet, firmam ibi stationem habebit; verum ad damnum et perniciem populi Dei. Sed quomodo hoc, cum Iosephus narret : « Antiochus aequum esse iudicans ut Iudaeorum erga se studium ac liberalitatem remuneraretur, litteras scripsit ad suos duces et amicos testimonium perhibens Iudaeis quam praeclare de ipso meriti fuerint, simulque significans quae munera illis vicissim dare decreverat »? insuper refert Iosephus duas Antiochi epistolas quibus varia emolumenta Iudaeis conceduntur. Haec utut vera sint, tamen damnum a Iudaeis non abfuit. Nam id experti sunt, dum bellum gereretur; idem enim Iosephus l. c. quoque scribit : « eo enim belligerante adversus Ptolemaeum contigit Iudaeis, ut si is superior fuerit affligerentur, si inferior, plane eadem paterentur, adeo ut haud

dissimiles essent navi in tempestate fluctibus utrimque vexatae, ut qui in medio iacerent, dum et Antiocho res prospere cederent et in contrarias partes mutarentur ». Adde quod vates per Antiochum viam aperiri considerat regi persecutori; rex aquilonis magnam illam intulit populo Dei persecutionem et corruptionem, de qua nobis libri Machabaeorum referunt. Proinde more prophetico a primo initio mali statim sermo progreditur ad eius culmen et fastigium. Dicitur כָּלָה ubique de pernicie et interitu; quare sensu bono : res in manu eius perficientur, consilia sua ad exitum perducet (cf. *Per. Sanct. Calm.*) vox accipi nequit; cf. Ier. 4,27; 5,10. 18. Neque potest referri ad Aegyptum (*Hitz.*), quia mentione facta Palaestinae quid ibi fecerit ut exponatur merito consequi dicitur. Quid autem de Aegypto consilii volverit, in sequenti declaratur.

Id aget ut Aegyptum vel vi vel foedere sibi subiiciat; sed incassum; v. 17 « *et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum eius et recta faciet cum eo et filiam feminarum dabit ei ut evertat illud, et non stabit nec illius erit* »; — prius membrum vertunt cum Theodotione : *ut veniat cum potentia totius regni sui* (cf. *Vat. Troch. Hitz. Z. Keil*), ad quod monent Antiochum victorias in Coele Syria et Phoenica partas voluisse complere invasione in Aegyptum facta, cuius rei testem Livium afferunt (33,19 : omnibus regni viribus connixus cum ingentes copias terrestres maritimasque comparasset etc.). Ita sane fuerit. At altera pars versus eam commendat acceptionem quam *S. Hier.* expressit. Firmum scil. capiet consilium et omne studium in id diriget, ut regnum Aegypti suum faciat; quare filiam suam dabit in matrimonium regi Aegypti compositione vel pactione cum eo facta, uti LXX habent καὶ συνθήκας μετ' αὐτοῦ ποιήσεται, Theodotio autem καὶ εὐθεῖα πάντα μετ' αὐτοῦ ποιήσει. Oraculum illustratur iis quae habet Iustinus 31,1 : « mortuo Ptolemaeo Philopatore rege Aegypti contemptaque parvuli filii eius aetate qui in spem regni relictus praeda etiam domesticis erat, Antiochus rex Syriae occupare Aegyptum statuit » atque iis quae narrat Iosephus, Antiq. 12,4. 1 Antiochum scil. Scopa devicto et urbibus Coeles Syriae et Samaria et Iudaea occupatis foedus cum Ptolemaeo fecisse eique filiam suam Cleopatram nuptum locasse et Coelen Syriam et Samariam et Iudaeam et Phoenicen dotis nomine tribuisse. Etiam distinctius refert *S. Hier.* : « volens Antiochus non solum Syriam et Ciliciam et Lyciam et alias provincias quae Ptolemaei fuerant partium possidere, sed in Aegyptum quoque regnum suum extendere; filiam suam Cleopatram per Euclem rhodium septimo anno regni adolescentis despondit Ptolemaeo et tertio decimo anno tradidit data ei dotis nomine omni Coele

Syria et Iudaea ». Desponsatio igitur facta est anno 198, matrimonium vero circa annum 193.

Id vero fecit *ut evertat illud*, scil. regnum Ptolemaei (*S. Hier. Per. Sanct. Sa, Mar. Lap. Tir. Loch, Rohl. Troch. Z. Ewald* l. c. p. 370); at res non ei succedet neque ei obtinget regnum Aegypti, « quia Ptolemaeus Epiphanes et duces eius sentientes dolum cautius se egerunt et Cleopatra magis viri partes quam parentis fovit » (*S. Hier.*); voluit itaque uti ministerio filiae suae ut Ptolemaeum traheret in laqueos, in quos tamen ipse impegit, nam Cleopatra viri amorem et commoda paternis insidiis praetulit (*Calm.*). In textu hebr. legitur forma grammaticalis feminina *ad perdendam illam et non stabit et non ei erit;* unde haec ab aliis ad filiam referuntur; ita iam LXX, Theodotio διαφθεῖραι αὐτήν et *Vat. Mald. Keil;* id quidem Antiochus non intendit, ut perderet *eam;* at explicant de eventu : matrimonium ei non bene cessit; filia non stabit i. e. consilia patris non exsequetur neque ei erit, non ab eius partibus stabit neque in eius commodum operam suam impendet. Sed haec explicatio videtur coacta; planior est prior illa; ipsum verbum *perdere* ad regnum, non ad filiam congruit. Forma grammaticalis feminina in hebr. pro neutro usurpari solet; quare nihil obstat quominus explicationem priorem retineamus magis aptam.

Hebr. omnino verti potest : intrare in robur totius regni i. e. ad obtinendam totius regni potestatem, uti *Ges.* Thes. p. 1518 explicat, atque id magis congruere videtur dictioni *ponere faciem* i. e. studium assiduum et firmum consilium in id dirigere. Altera explicatio : venire cum omni potentia regni sui, expeditionem militarem copiis totius regni collectis suscipere, verbis quidem etiam respondet; at vix sequentibus; nihil enim indicatur, cur post apparatum bellicum subito foedus et pactum ineat et ut Aegyptum demum in suam redigat potestatem filiam in matrimonio collocet. Sed si antea dicitur eum firmiter apud se statuisse ut regnum totum in suam redigat potentiam, facile sequitur narratio de dolo et insidiis quas regi Aegypti struere voluerit. — Pro ועשה scribi oportet יעשה; ישרים explica eodem modo quo מישרים v. 6; lectioni hebr. testimonium fert Theodotio; LXX vertunt uti v. 6; unde censeri possunt eandem vocem in utroque loco legisse. Alii explicant : et pii cum eo et perficiet, vel et fortes, vel iusta; at perperam. Iudaeos qui ad Antiochum desciverant vates acriter reprehendit v. 14, neque rex id perfecit quod intendit, uti in altera parte v. 17 statim dicitur. Quare illa explicatio multis defectibus laborat. — Quid sibi vult filia *feminarum?* per pleonasmum ita dici censet *S. Hier.;* alii explicant filiam pulcherrimam (*Per. Sanct. Sa, Mald. Mar. Lap.*), filiam mollem et effeminatam (*Rohl.*), filiam valde iuvenem, quae sit adhuc sub cura matris, aviae, mulierum (*Troch. Hitz. Z. Meinhold*); verum nemo

sano modo explicabit has notiones inesse dictioni. Censet *Keil* reperiri ibi pluralem categoriae; sed unaquaeque filia nascitur ex muliere; cur ergo id de ea speciali modo praedicatur? Mendum igitur erit agnoscendum, utique satis vetustum, quia iam Theodotio idem exprimit, LXX θυγατέρα ἀνθρώπου, *Syrus* filiam hominum, quae pariter sensu carent. *Houbigantius* putat excidisse vocem יפת filiam pulchram inter mulieres; melius corrigitur textus ex Cant. 1,8 : הַיָּפָה בַּנָּשִׁים.

Antiochus anno 197 expeditionem aggressus est in Asiam minorem et insulas adiacentes v. 18 « *et convertet faciem suam ad insulas et capiet multas* »; — איים insulae et orae maritimae, terrae ad mare sitae, appellantur. Exponit *S. Hier.* narrans : « vertit sed ad Asiam et navali certamine adversum plurimas insulas dimicans cepit Rhodum et Samum et Colophonam et Phoceam et alias multas insulas ». Secundum *vulg.* dicitur principes hostiles ab eo esse devictos, donec tandem ipse quoque sit superatus « *et cessare faciet principem opprobrii sui, et opprobrium eius convertetur in eum* »; — deponet et ab auctoritate deiiciet principes (Theodotio ἄρχοντας) quos irrisioni et ludibrio habet; tandem opprobrium quo alios affecit in ipsum recidet. Eundem sensum praebet Theodotio et similiter Syrus. Etiam textus hebr. ita accipi posse videtur : *et cessare faciet* (vel perdet; cf. Am. 8,4) *principem* sensu collectivo principes; quod sequitur חֶרְפָּתוֹ לוֹ potest accipi vel ita ut ad principem referatur qui scil. ei (Antiocho) est irrisioni, quo utitur ad ludibrium, de qua vocis notione vide Ier. 6, 10; vel etiam referri potest ad *cessare faciet*, scil. ludibrium et irrisionem principis ei faciet cessare. Huic interpretationi consonat בִּלְתִּי πλὴν (Theodotio) : attamen ludibrium eius vertet (vertent, vel aliquis vertet) in ipsum. A Romanis scil. coactus est desistere ab ulteriore expugnatione et insigni clade devictus est. Senatus enim legatos ad eum misit qui ei denuntiarent abstinere regno Ptolemaei Epiphanis; dein interiecto tempore alia legatio supervenit quae civitates iure belli factas populi romani in integrum restitui iubebat; abnuenti bellum denuntiatum, quod ille facile susceptum infeliciter gessit; ita Iustinus 31,1. Antiochus insigni clade victus apud Magnesiam et coactus est pacem petere quam his legibus ei concessit Lucius Scipio : ut Asia Romanis cederet; contentus Syriae regno esset; naves universas, captivos et transfugas traderet sumptumque omnem belli Romanis restitueret (Iustinus 31,7. 8).

Alii tamen textum hebr. aliter accipiunt : *et coercebit* (*cessare faciet*) *dux ei ludibrium eius* i. e. insolentiam Antiochi dux romanus reprimet et cessare faciet; *profecto irrisionem eius ei reddet* (cf. *Hitz. Z.*).

Devictus curam debebit impendere, ut qui aliena appetiit iam saltem sua servet v. 19 « *et convertet faciem suam ad imperium terrae suae et impinget et corruet et non invenietur* »; — hebr. *ad arces terrae suae;* « victus ergo Antiochus intra Taurum regnare iussus est et inde fugit ad Apamiam ac Susam et ultimas regni sui penetravit urbes; cumque adversum Elimaeos pugnaret, cum omni est deletus exercitu; et hoc est quod nunc Scriptura dicit, quod multas insulas ceperit et vincente Romano regnum Asiae perdiderit et opprobrium eius conversum sit in caput eius et ad extremum de Asia fugiens reversus sit ad imperium terrae suae et impegerit atque corruerit et locus eius non sit inventus » (*S. Hier.*). Uti Iustinus 32,2 aliique narrant, occisus est dum templum Iovis elymaei spoliare aggrederetur.

Antiocho successit Seleucus Philopator v. 20 « *et stabit in loco eius vilissimus et indignus decore regio et in paucis diebus conteretur, non in furore nec in proelio* »; — hebr. verte : *et stabit in loco eius qui transire facit exactorem per gloriam regni* (cf. *Sanct. Mald. Mar.* et recentiores) i. e. qui toto regno exactores discursare faciet qui eius opes decoremque depraedentur (*Mald.*). Idem etiam Seleucus Heliodorum misit in Ierusalem ut opes templi diriperet; cf. 2 Mach. 3,6 seq. Cum Seleucus per duodecim annos regnarit, mirum videri potest quod paucis diebus dicitur iri contritum; verum אחדים videtur in mendo iacere; LXX enim habent ἐν ἡμέραις ἐσχάταις, Theodotio ἐκείναις. Mortem obibit non vi aperta et impetu neque in acie militari; Seleucus per insidias aut ut alii volunt veneno ab Heliodoro occisus est; verba Appiani (Syriac. c. 66) *Per. Sanct.* referunt : « Seleucus annos duodecim exiliter tamen et infirme ob paternam cladem regno praefuit et ex insidiis Heliodori cuiusdam ex suis incaute occisus est ». Etiam *S. Hier.* dicit eum nihil dignum Syriae et patris gessisse imperio et absque ullis proeliis inglorium periisse.

e) **De rege persecutore 11, 21-45.**

Iam angelus exsequitur quae supra de cornu parvo 8,9-13. 23-25 dicta sunt. Et primo quidem describit quomodo regno sit potitus ille, de quo 1 Mach. 1, 11 : et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis qui fuerat Romae obses; v. 21 « *Et stabit in loco eius despectus et non tribuetur ei honor regius et veniet clam et obtinebit regnum in fraudulentia* »; — quibus fuerit moribus et proin quo iudicio sit ab optimo quoque notandus, statim plane edicit angelus; neque enim *despectus* eum dicit qui iure nativitatis non debuit ad regnum pervenire, sed mores et indolem connotat. Eum re-

gnum occupasse iniuria, altero membro clare indicatur et simul dicitur eum usum esse dolo ac simulationibus. Seleucus enim Philopator eum evocavit Roma, ubi obses fuerat, et eius loco Demetrium filium obsidem suffecit. Verum antequam Antiochus reverteretur, Seleucus ab Heliodoro interfectus est; Antiochus autem regnum quod Demetrii filii Seleuci erat pro se occupavit, dum tamquam pupilli tutor et pro illo et illius nomine rem administrare videbatur (cf. *Per. Sanct. Lap.*). Notat *S. Hier.* eum simulatione clementiae obtinuisse regnum. Regnum obtinuit ope Eumenis et Attali qui Heliodorum expulerunt; eos fortasse simulationibus atque adulationibus in suas partes pertraxit.

Regnum vero usurpatum tuetur ac retinet bellis feliciter gestis v. 22 « *et brachia pugnantis expugnabuntur a facie eius et conterentur; insuper et dux foederis* »; — ad verbum : *brachia inundationis diffluent ab eo* i. e. exercitus magnus fugiet, ab eo scil. victus et superatus; brachium metaphora est pro robore. Rem narrat *S. Hier.* : « cum post mortem Cleopatrae (cf. v. 17) Eulaius eunuchus nutritius Philometoris et Leneus Aegyptum regerent et repeterent Syriam quam Antiochus fraude occupaverat, ortum est inter avunculum et puerum Ptolemaeum (Philometorem, filium Cleopatrae sororis Antiochi) proelium; cumque inter Pelusium et montem Casium proelium commisissent, victi sunt duces Ptolemaei ». Ad metaphoram inundationis vide Is. 8,8; 28,15. Cum foedus apud Danielem de foedere sacro inter Deum et populum dici soleat (9,4. 27; 11,28. 30), et eo quoque tempore, anno 172, Onias III machinationibus Iasonis fratris per Antiochum regem sit summo sacerdotio expulsus (2 Mach. 4,7 seq.), dux foederis ipse summus sacerdos Onias erit intelligendus; iste a rege dignitate sua est privatus; in eius locum successit Iason impius. Dux dicitur frangi, cum sua potestate spoliatur; insuper moribus gentilium quos Iason induxit dignitas sacra quam maxime concidit. Ipse quoque Onias Menelao moliente postea est interemptus (2 Mach. 4,33). — Alii ducem foederis de Ptolemaeo Philometore dici opinantur, qui scil. cum Antiocho foedus inierit et filius sit Cleopatrae, quam Antiochus Magnus, Antiochi Epiphanis pater, Ptolemaeo Epiphani patri Philometoris foederis iungendi causa desponderit (cf. *Mald. Sanct. Lap. Sa, Tir.*) etiam *S. Hier.* eum vel Iudam Machabaeum designari vult. At nomen sacrum foederis obstat, obstat quod in v. 23 de Ptolemaeo alia narrantur; quare non probabile est antea dici eum esse contritum et confractum. Unde alii dictionem sensu generali capiunt de ducibus foederatis quos evertat (*Keil*). At merito explicant alii de Onia (*Theod. Palmer, Hitz. Z.*), cui titulus ducis sacri foederis, utpote pontifici, merito tribui potest.

Antiochus autem callide simulans amicitiam opes Aegyptiorum rapit v. 23 « *et post amicitias cum eo faciet dolum et ascendet et superabit in modico populo* v. 24 *et abundantes et uberes urbes ingredietur et faciet quae non fecerunt patres eius et patres patrum eius, rapinas et praedam et divitias eorum dissipabit et contra firmissimas cogitationes inibit, et hoc usque ad tempus* »; — nam, ut *S. Hier.* dicit, Antiochus parcens puero et amicitias simulans ascendit Memphim et ibi ex more Aegypti regnum accipiens puerique rebus se providere dicens cum modico populo omnem Aegyptum subiugavit sibi et abundantes et uberrimas ingressus est civitates. Fecit quae non fecerunt patres eius; nullus enim regum Syriae ita vastavit Aegyptum et omnes eorum divitias dissipavit et tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum qui duces pueri erant sua fraude subverteret; haec Porphyrius sequens Sutorium sermone laciniosissimo prosecutus est quae nos brevi compendio diximus. Hactenus s. doctor. Hebr. v. 24 *inopinato* (v. 21 eandem vocem vertit *S. Hier.* clam, hic abundantes) *et in uberes provincias ingredietur;* forte autem melius *inopinato* (clam, quasi nullo advertente) iungitur ad v. 23 : praevalet inopinato. In v. 24 *et contra munitiones consilia sua diriget* i. e. animum adiiciet ad praesidia regni capienda (*Vat. Mald. Sa, Mar. Lap. Calm.*); eodem modo explica : contra firmissimas urbes inibit cogitationes; idque erit usque ad tempus divinitus praefinitum.

Dein describitur, quomodo arma victricia iterum sit illaturus Aegypto, de quo bello narratur 1 Mach. 17-20; v. 25 « *et concitabitur fortitudo eius et cor eius adversum regem austri in exercitu magno, et rex austri provocabitur ad bellum multis auxiliis et fortibus nimis; et non stabunt quia inibunt adversus eum consilia* »; — hebr. *et non stabit* scil. rex austri non poterit resistere, quamvis habeat copias multas, quia insidiae ei parantur et dolosa in eum agitantur consilia ab ipsis eius amicis et domesticis, uti dicitur v. 26 « *et comedentes panem cum eo conterent illum exercitusque eius opprimetur et cadent interfecti plurimi;* v. 27 *duorum quoque regum cor erit ut malefaciant et ad mensam unam mendacium loquentur, et non proficient, quia adhuc finis in aliud tempus* »; — ii ipsi qui ad eius mensam accumbunt eum perdent; exercitus eius *inundabit* (hebr.), plurimis quidem copiis expeditionem suscipiet rex austri, at plurimi ex eius exercitu cadent. Proelio facto duo reges ad speciem amicitiam ineunt; at uterque alterius meditatur ruinam. Speciem illam pacis et amicitiae habes depictam in una mensa, cui accumbentes decipiunt inter se. At neuter consilia sua perficere poterit, quia finis vel exitus rei a Deo certo tempori est adnexus; igitur inter se pugnabunt neque alter alterum

superare et perdere poterit usque ad tempus a Deo decretum. Ad quem eventum verba haec referantur, non liquet. Probabiliter tamen intelligi poterunt de Antiocho qui pacem cum Ptolemaeo fecerit et eum secum retinuerit dolos contra eum machinans, dum Ptolemaeus vel quia is aetate parvus erat alii qui ab eius partibus stabant, etiam dolos in Antiochum agitarent. Alii volunt iam agi de Ptolemaeo Physcone, qui se dum Antiochus Aegyptum occuparet cum sorore Cleopatra Alexandriam receperat et qui, dum frater eius a nutu Antiochi penderet et arbitrio, a suis amicis rex erat declaratus. Cum eo quoque Antiochus bellum gessit per honestam speciem fratrem eius reducendi in regnum. *S. Hier.* notat ad v. 27 hoc secundum historiam non posse demonstrari.

Antiochus magna cum praeda revertitur et contra Iudaeos furit v. 28 « *et revertetur in terram suam cum opibus multis et cor eius adversum testamentum sanctum, et faciet et revertetur in terram suam* »; — quid molitus sit contra Iudaeos et eorum religionem et templum, lege 1 Mach. 1,21 seq. et 2 Mach. 5,11-17. Quod enim animo concepit contra rempublicam Iudaeorum, opere exsecutus est; unde dicitur *et faciet.* Postea aliam suscipiet expeditionem contra Aegyptum; at eventu a priore dissimili; v. 29 « *statuto tempore revertetur et veniet ad austrum et non erit priori simile novissimum* »; — hebr. *non erit uti prius, ita posterius.* Ratio redditur, cur consilium Aegyptum in suam redigendi potestatem non potuerit exsequi v. 30 « *et venient super eum trieres et Romani, et percutietur et revertur et indignabitur contra testamentum sanctuarii et faciet reverteturque et cogitabit adversum eos qui dereliquerunt testamentum sanctuarii* »; — hebr. *et venient contra eum naves Kittim;* Theodotio : οἱ ἐκπορευόμενοι Κίτιοι; Kittim nomine designantur insulae et orae maritimae maris mediterranei, praecipue Cyprus insula, in qua urbs Kition; vide ad Ier. 2, 10. Hoc loco alluditur ad vaticinium Num. 24,24 : venient in trieribus de Italia (hebr. et naves ex parte Kittim). LXX et *S. Hier.* ex rei eventu Romanos textui inseruerunt. Romani enim eum *percutiebant* i. e. humiliabant et ab incepto desistere cogebant. Vere enim anni 168 Antiochus bellum movit contra duos fratres Philometorem et Physconem; ii scil. suadente Cleopatra sorore secum in amicitiam redierant et ambo resistere studebant Antiocho qui praesidiis Pelusii relictis Aegypto dominari velle clare ostenderat. Contra hos Antiochus magnum duxit exercitum. Illi autem perterriti « legatos Romam ad senatum mittunt, auxilia petunt, fidem societatis implorant; movere senatum preces fratrum. Mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum, qui abstinere illum Aegypto aut si iam incessisset excedere iuberet.

Cum in Aegypto eum invenisset osculumque ei rex obtulisset (nam coluerat inter ceteros Popilium Antiochus, cum Romae obses esset), tunc Popilius facessere interim privatam amicitiam iubet, cum mandata patriae intercedant, prolatoque senatus decreto et tradito cum cunctari eum videret consultationemque ad amicos referre, ibi Popilius virga quam in manu gerebat amplo circulo inclusum[1] ut et amicos caperet, consulere iubet nec prius inde exire quam responsum senatui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoque haec austeritas regem fregit, ut pariturum se senatui responderet » (Iustinus, Histor. 34,3). Apte quoque navium fit mentio; nam Perseo apud Pydnam devicto Popilius cum classe romana in Aegyptum navigavit et Antiochum qui duos fratres Alexandriae obsidebat ab incepto desistere coegit. Cum *Kittim* latioris significationis sit vox, non opus est explicare de navibus Macedonum, de classe macedonica, quae apud Delum constituta post victoriam ad Pydnam Romanorum facta sit et qua Popilius in Aegyptum sit transvectus. Nam et res haec est incerta tacentibus Livio et Polybio (Liv. 45,10. Polyb. 29,11) nec ea opus habemus ad naves Kittim explicandas neque naves a Romanis occupatae et iure belli acquisitae dici possunt macedoniae (cf. *Z.*).

Iam Antiochus iram quam non potuerat in Aegyptios effundere, in templum et populum Iudaeorum effudit (*Mald. Per. Sanct. Lap. Tir.*); indignatur *in foedus sanctum* hebr. uti in v. 28 *et faciet* i. e. iram suam et furorem explebit. Qua ratione id factum sit, narratur 1 Mach. 1,30 seq. et 2 Mach. 5,24 seq.; reversus igitur ex Aegypto *cogitabit de his qui dereliquerunt* (uti vertit *S. Hier.*) foedus sanctum i. e. attendet, animum adiiciet ad Iudaeos apostatas a lege. Theodotio vertit καὶ συνήσει ἐπὶ τοὺς... « omni cura eos complectetur qui a lege descive-rint et repudiato iudaico ritu mores et cultus Graecorum amplexi fuerint » (*Theod.*); eos igitur exquiret, ut eorum opera utatur ad reliquos pervertendos et subiugandos (ita bene *Tir. Calm. Palmer, Rohl. Z. Keil*). Quare quod in *vulg.* legitur *adversum eos* cave explices contra eos, sed : ad eos animum diriget, ut scil. sibi sint auxilio; neque obstat *adversum*, cum bene latine dicatur : pietas, iustitia, reverentia adversus aliquem. Unde nullo pacto opus est de Iudaeis apostatis explicare qui ab ipso Antiocho male habiti sint, uti Iason quem aliqui hoc loco nominant (*Mald. Mar. Troch.*); at Iason iam ante annum 168 sacerdotio pulsus et per Menelaum favore Antiochi privatus est. Quantopere apostatae Iudaei consilia Antiochi evertendi

---

1. Idem narrant Livius 45,12; Polybius 29,11; Appianus, Syriaca 66.

religionem adiuverint, narratur 1 Mach. 1,12 seq. 45. 55. 2 Mach. 4. 10 seq. 5,15. 23 etc.

Qua ratione furorem suum (v. 30) sit manifestaturus, declaratur v. 31 « *et brachia ex eo stabunt et polluent sanctuarium fortitudinis et auferent iuge sacrificium et dabunt abominationem in desolationem* v. 32 *et impii in testamentum simulabunt fraudulenter* »; — *brachia* explica, uti v. 15. 22, de copiis, de exercitu (*Sa, Tir.*) qui eius iussu consistet in terra; simul intellige eos qui Antiocho opem ferunt in evertenda religione, uti ex sequentibus colligitur; duces scil. Antiochi et eius asseclae profanabunt et polluent *sanctuarium* i. e. templum cui simul in hebr. nomen munimenti apponitur, non quidem quia templum arcis vel castrorum instar sit munitum, sed quia in eo fortitudo et salus populi sit reposita quippe quod sit protectionis divinae pactique pignus Deique in populo suo inhabitantis testimonium. Sicut itaque Deus vocatur *petra* Israel (cf. Deut. 32,15. 2 Sam. 23,3 etc.), ita eius habitaculum, templum, iure appellatur munimentum populi. Ex qua appellatione quanta sit indignitas profanationis declaratur; cf. 8,11. Haec autem profanatio augetur quia cultum Dei qui perpetuo exerceri debuit abstulerunt et abominationem desolationis collocarunt in loco sacro; cf. 8,12. 13; quae quomodo impleta sint vide 1 Mach. 1,49-64. 2 Mach. 6,2-9. Etiam ex Iudaeis haud pauci in partes gentium et societatem criminum transibunt: *et praevaricatores foederis immundos faciet blanditiis* (hebr.) vel ethnicos faciet, ad idololatriam et mores gentium pertrahet (cf. *Mald. Vat. Mar.*) promissionibus subdolis blandisque verbis (*Calm.*); חָנֵף notionem habet contaminandi, polluendi: populum Deo sacrum conabitur rex ille reddere immundum et ad gentium ritus perducere; quo successu id fecerit vide 1 Mach. 1,55; 2,16. 23. 2 Mach. 6,7 seq. et quibus promissis 1 Mach. 2,17. 18.

Verum si impii a lege Dei deficient, veri Dei cultores egregie calamitatibus probabuntur « *populus autem sciens Deum suum obtinebit et faciet* v. 33 *et docti in populo docebunt plurimos et ruent in gladio et in flamma et in captivitate et in rapina dierum;* v. 34 *cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo et applicabuntur eis plurimi fraudulenter,* v. 35 *et de eruditis ruent ut conflentur et eligantur et dealbentur usque ad tempus praefinitum, quia adhuc aliud tempus erit* »; — sed ii ex populo qui Deum norunt, colunt (*Sanct.*), qui non solum verbis, sed factis Deum cognoscunt et fidem cum operibus coniunctam habent (*Mald.*), illi *fortes erunt* valebunt, fidem scil. ac religionem constanter retinebunt ac profitebuntur. Scire Deum i. e. cognoscere qui et qualis sit Deus et sublimem eius habere notionem tamquam radix et causa assignatur, cur firmiter religionem patriam

sint retenturi. Hi statim appellantur v. 33 *intelligentes,* vere prudentes et sapientes inter populum, eorumque exemplo et institutione etiam plurimi alii erudientur i. e. a moribus gentium imitandis retrahentur et in vero cultu et pietate confirmabuntur. Contra hos pios ac constantes Dei cultores utique multis modis saevietur : gladio, flamma, captivitate, spoliatione; idque fiet *per dies* i. e. per aliquod tempus; declaratur proin prius persecutionis tempus, quo multi vexati sunt et trucidati, uti habes 1 Mach. 1,32. 34. 39. 52. 56. 60. 63-67. 2 Mach. 5,13 seq. 6,9 seq. 7,1 seq. Mediis autem in caedibus et ruinis *adiuvabuntur* auxilio parvo; quod auxilium populo oppresso praestitum est a Machabaeis; vocatur parvum, exiguum, quia parva manu, paucisque copiis contra regem dimicabant (*Per. Sanct. Lap. Calm. Rohl. Troch.*) neque tamen populum ab ea calamitate omnino tutari atque incolumem reddere valebant (*Mald.*). Auxilium illud est exiguum et liberatio parva si comparatio instituitur cum ea liberatione et gloria, de qua cap. 12 quam Deus ipse omnibus hostibus prostratis est largiturus. Cum populo oppresso spes ostendatur illo auxilio parvo, multi eis adhaerebunt, ad eos accedent cum simulationibus, qui prospero successu allecti mox tamen ad hostium partes transibunt vel piis insidias tendent; cuius rei exempla habes 1 Mach. 6,21 seq. 7,6; 9,23. 2 Mach. 14,3 seq.

Cur autem Deus eiusmodi persecutiones permittat, ratio redditur in v. 35; « haec, ait, omnia idcirco sunt facta, ut probentur et eligantur sancti et dealbentur usque ad tempus praefinitum, quia in aliud tempus erat dilata victoria » (*S. Hier.*). Hebr. verte : et ex intelligentibus cadent ut in eis liquetur, purgetur, dealbetur usque ad tempus finis. Exploratio igitur fit et probatio, ut sicut in eliquandis metallis mala separentur a bonis, bona autem reddantur magis bona, magis splendida. Vide Is. 1,25 : excoquam ad purum scoriam tuam et auferam omne stannum tuum; Ier. 6,29. Ez. 22,18-22. Sap. 3,6. Ad rem *Theod.* : « mutationes temporum quasi igne conflant et probant et discernunt adulterinum ab eo quod probatum est; immo etiam dealbant veluti lanam ac probant, utrum naturalem an adscititiam habeat colorem et utrum totus per totum corpus a natura insitus sit color an in sola superficie exstet ». Haec autem fore usque ad tempus a Deo statutum ultimo membro hebr. dicitur; proin explorationem illam et probationem et purgationem fore usque ad finem, finem vero fore patet tunc quando Deus perfectam victoriam concedet, atque istum finem a Deo statutum esse tempore Deo soli noto simul indicatur ultimo membro.

Dein quae 8,24. 25 dicta sunt, iam accuratius de rege isto persecu-

tore explicantur v. 36 « *et faciet iuxta voluntatem suam rex et elevabitur et magnificabitur adversus omnem deum et adversus Deum deorum loquetur magnifica et dirigetur, donec compleatur iracundia; perpetrata quippe est definitio* » ; — omnia pro lubitu ex arbitrio aget et perficiet; igitur ei potestas concedetur; quare successu elatus omnia divina spernet atque conculcabit; idola et verum Deum pariter contemnet superbia et arrogantia et *dirigetur* i. e. prosperum habebit successum, donec ira Dei in populum suum sit completa, « donec exigat Deus supplicium quod de populo suo sumere decrevit » (*Sanct. Mald. Lap. Calm.*) ; cf. 2 Mach. 6,12-17 ; 7,32 : nos enim pro peccatis nostris haec patimur. Membrum ultimum explica : nam quod statutum est seu definitum id perficitur; quibus verbis indicatur calamitates illas a Deo esse decretas easque fore certissime; proin oracula haec non esse conditioni alicui alligata nec posse ullo hominum conatu effectu frustrari. Porro declaratur eius insolentia v. 37 « *et deum patrum suorum non reputabit et erit in concupiscentiis feminarum nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget* » ; — neque deorum cultum patrium verebitur, neque aliarum gentium cultui diisque parcet; nullo enim timore vel reverentia numinis atrox eius animus coercebitur; cf. 1 Mach. 1,43 : et scripsit rex Antiochus omni regno suo ut esset omnis populus unus et relinqueret unusquisque legem suam. Secundum versionem *S. Hier.* porro eius regis libido designatur, qui, ut *S. Hier.* dicit, luxuriosissimus fuisse dicitur et in tantum dedecus per stupra et corruptelas venisse regiae dignitatis, ut mimis quoque et scortis publice iungeretur.

In hebr. legitur וְעַל חֶמְדַּת נָשִׁים i. e. non curabit delicias mulierum. Verba varie accipiunt : ne feminarum quidem quibus in bello parci solet rationem habebit, uti 2 Mach. 5,13 refertur (*Mald. Rohl.*); vel modo quodam generaliori : nullo sensu pietatis et humanitatis tangetur, uti divina omnia, ita omnia quoque humana pedibus conculcabit; ad quam atrocitatem declarandam additur exemplum unum, eum scil. ne deliciis quidem vel gratia illa emolliri posse quae mulierum esse soleant; ita ut vox significet rem pretiosam et gratiosam qua mulieres valeant. Dein divina et humana ab eo sperni exprimitur ultima sententia modo generali : super omnia sese extollet; igitur ferox eius indoles depingitur quae neque metu numinis alicuius frangatur neque emolliatur ad sensum humanitatis ea re quae apud homines maximopere valere solet, gratia scil. et amabilitate muliebri. Paucis placuit explicatio de liberis quippe in quibus deliciae mulierum consistant. Apud recentiores valde communis est sententia, voce illa intelligi idolum, Astarten vel Mylittam et alludi ad 1 Mach. 6, 1-4 et 2 Mach. 9,2;

etiam Polybius (31,11) narrat Antiochum voluisse spoliare templum Dianae in Elymaide et Appianus (Syr. 66) refert τὸ τῆς Ἐλυμαίας Ἀφροδίτης ἱερόν regem spoliasse; censetur eadem dea esse quae 2 Mach. 1,13 Nanea dicitur vel alias Anaitis vel Anaia appellatur (cf. *Scholz*, Goetzendienst p. 358; *Delitzsch*, Paradies p. 222 de dea Nanaa). Quae explicatio eo quoque commendari potest quod Is. 44,9 idola dicuntur חֲמוּדֵיהֶם amantissima eorum; sed non potest dici cum plerisque recentiorum illam de dea explicationem contextu omninò exigi; nam cum ultima sententia dicatur eum extolli contra *universa*, nihil per se obstat quominus in antecedentibus de divinis et humanis sermo sit.

At cum bellis et vastationibus gaudeat deum munitionum colet v. 38 « *deum autem maozim in loco suo venerabitur et deum quem ignoraverunt patres eius colet auro et argento et lapide pretioso rebusque pretiosis* v. 39 *et faciet ut muniat maozim cum deo alieno quem cognovit, et multiplicabit gloriam et dabit eis potestatem in multis et terram dividet gratuito* »; — vocem hebr. retinuerunt Theodotio et *S. Hier.*; sed vox est vertenda, uti iam vertit Aquila : deum fortitudinum (apud *S. Hier.*) κραταιωμάτων (cf. *Field*) et ut explicant *Vat. Sanct. Lap. Mald. Mar.* et recentiores de deo munitionum vel praesidiorum; deum igitur belli, quem Iovem capitolinum ab Antiocho cultum esse haud improbabiliter opinantur (cf. *Per. Z. Meinhold*). In eo enim duo quae hic requiruntur facile cernuntur : potest dici patribus eius fuisse ignotus, et Iupiter capitolinus qui templum in arce habebat ut Iupiter stator a bellica ratione non est alienus, immo ei parta victoria consecrabantur spolia opima; insuper Livio teste (41,20) Iovi capitolino aedes magnificas Antiochiae erigere coepit[1]; Iovem quoque olympium coluit 2 Mach. 6,2 eique Athenis templum exstruxit. Eum colet *in loco suo* עַל כַּנּוֹ super basi sua, ita ut idolum tamquam statua ab ipso colatur; ita aliqui explicant; alii verba referunt ad templum in arce capitolina ad quod templum Antiochus Livio teste (42,6) vasa aurea quingentum pondo[2] miserit; alii interpretantur : pro eo, eius loco i. e. pro omnibus aliis diis, loco aliorum deorum, ita ut suffixum pronominis singulare notione distributiva accipi debeat.

---

1. Ita Livius : magnificentiae in deos vel Iovis olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine dei potest testis esse. Sed et Delon aris insignibus statuarumque copia exornavit et Antiochiae Iovis capitolini magnificum templum non laqueatum auro tantum sed parietibus totis lamina inauratum et alia multa in aliis locis pollicitus quia perbreve tempus regni eius fuit non perfecit.

2. Sed vasa illa aurea quae per legatum Apollonium transmisit non ipse destinavit templo: nam Livius l. c. refert : « vasa aurea censores acceperunt eisque negotium datum ut ponerent ea in quibus templis videretur ».

Hoc si certo constaret, optime congrueret cum v. 36. 37; melius fortasse dixeris suffixum singulare referri ad כֹּל quod immediate antecedit vel ad כָּל אֵל in v. 36; ita enim oratio facile fluit et sensus est aptus. Proin sententia enuntiatur generalis, eum iuribus omnibus divinis (et humanis) spretis violentia et bello omnia esse peracturum ad arbitrium.

Et quo successu, dicitur v. 39, quem versum satis obscurum ita explanare licet : et faciet munimenta munitionum i. e. arces fortissimas ope dei alieni quem in pretio habet; arces faciet i. e. vel occupabit vel exstruet; bellico apparatu multiplicabit gloriam; etiam asseclas suos reddet potentes : *faciet eos dominari in multos et terram dividet eis pro mercede*. Sensum membri prioris fere etiam LXX eodem modo expresserunt εἰς ὀχύρωμα ἰσχυρὸν ἥξει; עָשָׂה iungitur ל sicuti haud raro praesertim in hebraismo iuniore ל praeponitur obiecto verbi activi; v. g. Ier. 40,2. Lament. 4,5. 1 Chron. 16,37 etc. (cf. *Ges.* Thes. p. 730).

Alii versum hunc aliter explanant : ope dei alieni ita faciet de munitionibus, ut iis qui se agnoscant honorem, potentiam et bona largiatur pro praemio (*Keil*); vel : munimenta eodem modo diligit et veneratur quo deum alienum ; qui haec agnoscunt i. e. qui hunc deum belli et apparatum bellicum venerantur, hos inter multos reddet potentes (*Z. Ewald*). Alii punctatione mutata vertunt : et faciet (adducet) urbibus munitis populum dei alieni, et quem cognoverit (tamquam sibi maxime fidelem, utilem, addictum), eum honore augebit et reddet potentem in multos (*Hitz. Meinhold*). Sunt etiam qui priorem partem ad antecedentia adnectant : *ita* faciet arcibus munitis cum deo alieno i. e. templa munita opibus implebit et cultum idoli promovebit. — Qui emendant עַם, verba referunt vel ad praesidia collocata in arce Ierusalem et in Garizim (1 Mach. 1,36. 2 Mach. 5,23) vel potius ad 1 Mach. 3,36 : ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum. Membrum hoc *quem cognovit* non legitur apud Theodotionem (legitur tamen apud *Theod.* et in pluribus codicibus; cf. *Field*); apud LXX iungitur cum sequentibus οὗ ἐὰν ἐπιγνῷ, πληθυνεῖ δόξαν. Similiter explicant *Vat. Lap. Tir.* : quem (deum) qui agnoverit, eum honoribus augebit et dominum multorum faciet.

In parte quae sequitur v. 40-45 contineri repetitionem brevem ac succinctam eorum quae de rege persecutore eiusque cum rege austri bellis dicta sunt, sententia est quam propugnant *Sanct. Mald. Gord. Calm. Loch;* sat multi quoque ex protestantibus : *Lengerke, Maurer, Hitz. Ewald, Kamphausen* quos affert et sequitur *Z.;* alii eam partem de Antiocho explicant ita ut tamen non dicant ea quae antecesserint repeti; ita *S. Ephr. Mar. Sa;* de Antiocho et antichristo expo-

nit *Tir.;* posse exponi de Antiocho, sed verius de antichristo censent *Lap. Men.;* de solo antichristo accipiunt *Hip. Theod.,* nostri, ut loquitur *S. Hier., Per. Rohl.* et ex protestantibus de ultimo quoque tempore et ultimo hoste Dei exponunt *Keil, Meinhold.*

Mihi probatur sententia prima; ad rem notat *Mald. :* « quia non lego Antiochum postquam Romanorum legatione ab Aegypto discessit eo rediisse, malo dicere esse repetitionem eorum quae v. 25 angelus dixerat », et *Sanct.* ait repeti hic quod antea dictum sit de bellis ac motibus quae Antiochus contra reges aegyptios excitaverat; « solet aliquid a prophetis iterari saepius, ut certior ostendatur et firmior vaticinii fides ». Verum est quod monet *Mald. :* « neque qui prophetas legerint rem novam et absurdam iudicabunt ut eadem prophetia aliis verbis alioque modo repetatur », cuius rei exempla plura occurrunt apud Isaiam qui oraculum longius brevi formula in fine repetens absolvit (Is. 1,28; 16,14; 19,22 etc.). Haec autem repetitio fit modo omnino generali additis tamen quibusdam quae antea non commemorata erant. Neque reperitur argumenti sermonis mutati indicium. Nam uti antea, ita nunc mentio fit regis austri regisque aquilonis, bellorum, terrae decoris i. e. Palaestinae, casus et ruinae Iudaeorum, opum et divitiarum regis; additur regem illum demum interiturum et qua occasione; unde oraculum antecedens de rege persecutore absolvitur. Post v. 39 autem merito exspectamus fore ut de ruina regis persecutoris quoque mentio fiat et ut, sicut reliqua ex 8, 9-13. 23-25 declarata sunt, ita quoque illud *sine manu conteretur* 8, 25 non omnino transmittatur. Quare de eodem sermonem texi censendum erit. Neque obstat quod dicitur in hebr. v. 40 *et in tempore finis.* Qua dictione alii turbantur existimantes orationem transferri ad finem rerum, ad ultimam temporis messiani partem. At immerito. Nam *finis* eodem sensu dicitur quo 8,17, ubi de eadem re visio prophetae fit quae tamen ab angelo implenda esse dicitur in tempore finis. Unde cum iam angelus brevi complectatur totum oraculum idque absolvat, merito adhibet eandem dictionem qua supra in eadem re usus est.

Bellorum impetus bene describitur v. 40 « *Et in tempore praefinito proeliabitur adversus eum rex austri et quasi tempestas veniet contra illum rex aquilonis in curribus et in equitibus et in classe magna et ingredietur terras et conteret et pertransiet* »; — hebr. *in tempore finis* vide 8,17; hebr. יִתְנַגַּח etc. proprie : inter sese cornu petent, quod verbum de bove cornupeta dicitur; vide 8,4; ergo confliget rex austri cum rege aquilonis, aliis verbis : atrox bellum inter eos exorietur. Pariter hebr. שָׁטַף inundat, sese effundit; cf. v. 10. 22. De re ipsa vide

v. 22 seq. Hoc loco naves quoque commemorantur; proelium apud Pelusium erat navale; Pelusio occupato Antiochus navibus Naucratim vectus est et Alexandriam quam obsedit (cf. Liv. 44,19. Polyb. 28,17). Bene quoque dicitur rex austri confligere cum rege aquilonis; nam prima bellorum occasio data est ab Aegyptiis. Mortua enim Cleopatra (de qua v. 17) Eulaeus et Lenaeus, tutores Ptolemaei Philometoris, postularunt ab Antiocho, ut Coelen Syriam dotem Cleopatrae quam eius pater promiserat regi Aegypti traderet; Antiochus patrem promisisse et se facturum esse negavit et bellum Aegyptiis intulit. Quae simul argumento sunt, hoc loco non rem tractari novam, sed repeti tractatam.

Bellum aegyptiacum subsequitur persecutio in Iudaeos v. 41 « *et introibit in terram gloriosam et multae corruent; hae autem solae salvabuntur de manu eius Edom et Moab et principium filiorum Ammon* »; — in terram הַצְּבִי i. e. Palaestinam; vide 8,9 et de re 11,28. 31 seq.; multae regiones ab ipso diripientur; attamen parcet hostibus Iudaeorum : Edomitis, Moabitis et *praestantissimae parti* Ammonitarum. Apud *S. Hier.* legimus : « Antiochus, aiunt, festinans contra Ptolemaeum Idumaeos et Moabitas et Ammonitas non tetigit, ne occupatus alio proelio Ptolemaeum redderet fortiorem ». Censet *Sanct.* illis fortasse pepercisse Antiochum quia eum ut Samaritani tamquam servatorem ac deum susceperint (cf. *Iosephus,* Ant. 12,5.5, quam tamen narrationem propter 2 Mach. 6,2 coll. 5,22 *Ewald* dubiam esse opinatur). Teste historia isti populi ruinae Iudaeorum applaudere et eorum hostibus se adiungere solebant; vide Ier. 48,27. 42; 49,1 seq. 7 seq. Lament. 4,21. 22. Ez. 25,2. 6. 8. 12-14; 35,5; 36,5. Ps. 136, 7; unde valde probabile est eos etiam persecutori Iudaeorum Antiocho opem tulisse. Eo autem quod inimici Iudaeorum salvi erunt, innuit vates male habitum iri Iudaeos. Vertit *S. Hier.* non *multae* sed *multi corruent* et notat : « pro quo interpretatus est Symmachus *et multa millia corruent,* Theodotio *et multi infirmabuntur,* multas autem corruere iuxta Aquilam vel urbes vel regiones vel provincias intellige »; igitur Symmachus legit רִבּוֹת; verum non necesse est ita legere, cum nomina collectiva saepius cum femin. iungantur (cf. Iud. 18,7. 1 Sam. 27,8), praesertim nomina urbium et regionum; haec autem hoc loco intelligi ipsa re ostenditur.

Describitur quo successu bella sit gesturus et quas opes acquisiturus v. 42 « *et mittet manum suam in terras et terra Aegypti non effugiet;* v. 43 *et dominabitur thesaurorum auri et argenti et in omnibus pretiosis Aegypti, per Libyam quoque et Aethiopiam transibit* »; — hebr. *et Lubim et Cuschim in gressibus eius* (*Vat. Mar. Lap. Calm.*) i. e

pedisequi eius erunt, in eius exercitu militabunt; ab eo subiicientur. De qua re in historiis quidem non fit mentio; sed cum Cuschitae et Libyes in exercitu aegyptiaco militare solerent (2 Par. 12,3; 16,8. Ier. 46,9. Nah. 3,9), illi Aegyptiis devictis vel ad victorem transibant vel Antiochus qui iunioris regis aegyptiaci rem agere simulabat ipsi exercitui aegyptiaco sese praefecit. Ceterum peregrinos ad militandum adsciscere et conscribere minime erat inusitatum; vide 1 Mach. 11, 38. 2 Mach. 10,14. De aliis cf. v. 24-28. Cum nullibi legatur Antiochum Libyam et Aethiopiam occupasse, « magis nostri asserunt antichristo convenire » (*S. Hier.*) et ita quoque censent *Theod. Lap. Palmer, Rohl. D. Keil;* sed ex ipsis verbis occupatio terrarum illarum non asseritur. Unde iam notat *S. Hier.* : « nisi forte quia in ipso climate sunt provinciae Aegypti et longe per deserta vicinae, captis Aegyptiis etiam istae provinciae conturbatae sunt; unde non dicit quod ceperit eas, sed per Libyas Aethiopiasque transierit »; at ne hoc quidem dicitur in hebr., sed quod bene habent LXX ἔσονται ἐν τῷ ὄχλῳ αὐτοῦ. Theodotio autem praebet ἐν τοῖς ὀχυρώμασιν αὐτοῦ; proin legit במבצריו pro mas. במצעדיו. Igitur LXX et Theodotio solum exprimunt Libyes et Aethiopes in exercitu regis militasse, itemque *Syrus*.

Demum additur de ultimis regis facinoribus et de eius interitu et ita oraculum de rege persecutore ad finem perducitur v. 44 « *et fama turbabit eum ab oriente et ab aquilone et veniet in multitudine magna ut conterat et interficiat plurimos;* v. 45 *et figet tabernaculum suum Apadno inter maria super montem inclytum et sanctum; et veniet usque ad summitatem eius et nemo auxiliabitur ei* »; — v. 45 verte ex hebr. *et figet tabernacula palatii sui inter maria ad montem decoris sanctum et veniet ad finem suum et non est ei adiutor*. Nuntii vel rumores (v. 44 hebr.) qui regem turbabunt ab oriente et aquilone allati sunt nuntii de defectione et rebellione Parthorum et Armenorum, contra quos Antiochus versus finem vitae suae expeditionem movit, de qua quoque 1 Mach. 3,37 : et rex assumpsit partem exercitus residui et exivit ab Antiochia civitate regni sui anno 147 (aer. Seleuc. i. e. 166 a. Ch.) et transfretavit Euphraten flumen et perambulabat superiores regiones. Penetravit in Elymaida, ibique opes templi Dianae (Polyb. 31,11) vel secundum alios Veneris (Appian Syr. 66) rapere tentavit, sed coactus est sese recipere, in quo itinere diem obiit Tabis, oppido Persidis[1]; de qua re vide 1 Mach. 6,1-16. 2 Mach. 9,1-28. Iose-

1. Ita Polybius : adversus Dianae templum pecuniam comparare cupiens expeditionem statuit suscipere, spe sua frustratus est, quod barbari ea loca incolentes tantum scelus fieri prohiberent; regressus Tabis quod Persidis oppidum est e vivis discessit, insania (δαιμονή-

phus, Antiq. 12,9. 1. Dum autem ipse rex abiret in eas regiones, duces eius et praesidia in Iudaea populum vexabant. Id innui videtur in v. 45; vel etiam sic interpretaberis : is qui tabernacula sua, suam potestatem stabilire conatus est inter mare mortuum et mediterreanum ad montem sanctum templi, is qui templum profanavit, veniet ad finem suum i. e. obiit neque quisquam eum a morte praematura liberare potuit; *misere* obiit; et hoc innuitur cum addatur non ei fuisse adiutorem. In hac ultima parte oraculum est satis obscurum; quomodo *et figet...* accipi debeat, eventu discimus. Non enim ex Perside reversus est; ergo de praesidiis intellige relictis in Iudaea vel explica addi, ut audax eius in Deum facinus efferatur, quasi dicatur : is qui dominari conatus est in templum Dei misere obiit. Quae consideratio habetur 1 Mach. 6,12. 13 et praesertim 2 Mach. 9,5-16.

De voce Apadno (Apedno) haec habet *S. Hier.* : « verbum compositum est, quod si dividas intelligi potest θρόνου αὐτοῦ i. e. solii sui; et est sensus : et figet tabernaculum suum et thronum suum inter maria super montem inclytum et sanctum. Hunc locum Symmachus ita interpretatus est « καὶ ἐκτενεῖ τὰς σκηνὰς τοῦ ἱπποστασίου αὐτοῦ... et extendet papiliones equitatus sui...; Theodotio : et figet tabernaculum suum in Aphedano...; Aquila : et plantabit tabernaculum praetorii sui in Ἀφαδάνῳ...; soli Septuaginta omni se nominis quaestione liberantes interpretati sunt : et statuet tabernaculum suum tunc inter maria.. ». Vocem אַפֶּדֶן *palatium* explicant *Vat. Pagninus*, *Sanct. Mald. Mar. Lap. Tir.* et recentiores.

Uti *S. Hier.* refert, Porphyrius statuit undecimo anno regni sui Antiochum iterum contra sororis filium Ptolemaeum Philometorem dimicasse et ad hanc expeditionem spectare v. 40 seq.; « pugnans contra Aegyptios et Libyas Aethiopiasque pertransiens audiet sibi ab aquilone et ab oriente proelia concitari, unde et regrediens capiet Aradios resistentes et omnem in littore Phoenices vastabit provinciam, confestimque perget ad Artaxiam regem Armeniae qui de orientis partibus movebitur et interfectis plurimis de eius exercitu ponet tabernaculum suum in loco Apedno qui inter duo latissima situs est flumina, Tigrim et Euphratem ». Etiam e recentioribus aliqui, uti Haevernick, Auberlen p. 67, censent Antiochum anno regni undecimo, 166-165 a. Ch., denuo expeditionem in Aegyptum suscepisse, et *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel 3. ed. IV p. 387 putat in v. 40 illam indicari expeditionem cui Popilius Laenas iussu senatus romani finem imposuerit. At Porphyrii testimonium videtur suspectum, cum ex hoc ipso oraculo unice ortum esse satis aperte constet; id quod ex eo elucet quia locum Apedno comminiscitur. De expeditione in Aegyptum ultimo vitae tempore reliqui scriptores plane silent; nihil de ea in libris Mach., nihil rerum romanarum scriptores, qui tamen, uti Livius, vix omisissent nar-

---

σας) ut quidam aiunt ob quaedam signa atque ostenta quae ob violatam religionem templi ab infesto numine edita erant.

rare, si regnum foedere cum Romanis iunctum Antiocho bellum intulisset, praesertim quia Romani stragem Aegyptiorum certe aegre ferentes Antiochum victorem repressissent. Sententia autem ab *Ewald* proposita aliis minime probatur, sed legationem Popilii ad annum 168 a. Ch. communiter referunt. Iustinus quidem (Hist. 34,3) narrationi de illo senatus mandato a Popilio tradito statim subdit: reversus in regnum Antiochus decedit relicto parvulo admodum filio; at Iustinum succincte narrare multis rebus omissis notum est.

Notanda est aliqua interpretationis varietas a v. 36 et deinceps. Et *Theod.* quidem ab hoc versu cuncta non de Antiocho, sed de antichristo esse explananda censet; « his de Antiocho Epiphane dictis transit deinde ab imagine ad exemplar, exemplar autem Antiochi est antichristus et antichristi imago Antiochus; quemadmodum enim ille impie agere cogebat Iudaeos et contra legem suam rempublicam administrare, ita homo peccati, filius perditionis... omnia molietur, ut pios in fraudem impellat »; quem transitum ut persuadeat, monet *Theod.* etiam Dominum in evangelio simul praedicere et quae ad communem et quae ad ipsius Hierosolymae consummationem pertineant; « hinc itaque instructi etiam prophetiam intelligemus quae ab Antiocho ad antichristum, ut ab imagine ad exemplar transiens quae ad illum pertinent ea nos ante docet aperte ». Etiam *S. Hier.* dicit ad v. 36 : « quod quidem et nos de antichristo intelligimus »; at in subseq. tamen Porphyrii explicationem de Antiocho etiam affert et aliqua Antiochi personae magis coaptari ad v. 37 seq. fatetur. Alii haec vel de Antiocho vel de antichristo dici existimant (*Alb. Sa*). Dici potius de antichristo volunt *Per. Lap. Men. Rohl. D.*; ita v. g. *Lap.* : « pergit angelus in gestis Antiochi recensendis, ut patet ex ipsa horum versuum connexione et contextu, sed ita ut ea tantum obiter et leviter perstringat potiusque ad ea quasi ad typum parabolice alludat quam ea exacte describat, revera autem sub specie Antiochi describat antichristum eiusque mores ». Atque *Rohl. D.* monent aliqua in libris novi testamenti explicite referri ad antichristum; vide v. 36 et 2 Thess. 2,4; 12,1 et Matth. 24,21; praeterea quaedam nullo modo in Antiochum convenire et in 12,1 explicite efferri ultimam tribulationem ante mundi consummationem. Ea mystice de antichristo dicta esse etiam *Hebbelynck* p. 260 censet suaderi tum auctoritate praestantissimorum interpretum tum connexione huius loci cum cap. 12,1. Alii tamen haud pauci de Antiocho omnia praedici tenent; ita *S. Ephr. S. Chrysostomus* (or. adv. Iudaeos V n. 7; *M.* 48,894 seq.), *Mald. Sanct. Mar. Gord. Calm. Loch*, *Troch.* Atque *Mald.* quidem ita inter alia : « miror quid causae sit cur in huius loci explicatione tantopere auctores discrepent, nec enim tantam difficultatem video quantam ipsa varietas interpretationum peperit... Ego non dubito totum hunc versum 36 de Antiocho intelligendum. Quis enim credet angelum cum de Antiocho loqueretur, eodem orationis filo nulla facta transitione de alio rege agere coepisse? Quod si hoc qui credat reperiri poterit, ego certe non credo nec audeo dicere angelum ita locutum quemadmodum ego, ne insanus viderer.

loqui nollem. Movet etiam me quod eodem orationis contextu regem nominat, haud dubie ad regem referens de quo ante loquebatur. Multo autem maxime movet me huius prophetiae et eius quam cap. 8 de Antiocho vidimus similitudo ». Et scite advertit quoque *Sanct.* non esse angelum ita acturum ut modo de Antiocho modo de antichristo saepius interrupta narratione obscurius dicat quam intelligi possit etiam ab attentissimo discendique cupidissimo propheta.

Atque ita haec pars est explananda, ut per se ac directe ad regem illum persecutorem spectet. Eodem enim orationis filo, ut *Mald.* monet, omnia cohaerent, nulla cernitur ad alium transitio; immo in v. 36 הַמֶּלֶךְ ὁ βασιλεύς clarissime indicat sermonem de eodem continuari. Neque ea proferuntur quae illi regi non congruant. Opponunt quod dicitur : elevabitur et magnificabitur adversus *omnem* deum (quod neque Antiochus neque Iulianus neque Mahometa fecit, ut *Palmer* notat), cum tamen Antiochus cultum deorum promoverit (2 Mach. 6,2), templa iis erexerit, immo Livius de eo scripserit : in duabus tamen magnis honestisque rebus fere regius erat animus, in urbium donis et deorum cultu (41,20; id quod *D. Keil* obiiciunt). At ea dictione animus declaratur arrogans et superbus quo omnia iura spernat neque numinis iram vereatur, sed inflatus paria deo sentiat, ἰσόθεα φρονεῖν ὑπερηφάνως, uti optime 2 Mach. 9,12 dicitur. Eo autem cultum quendam externum idolorum non excludi, statim in v. 38 declaratur. Dein oportet advertere, templa magnifice erecta saepe esse non tam religionis, quam superbiae regiae monumenta, quibus reges suae gloriae consulere et superstitionem plebis sibi devotam reddere student. Talis autem animus a vate ita potest vere describi, ut dicat deum patrum ab ipso non reputari. Nec v. 38 ita potest verti, ut seipsum tamquam deum fortem venerari et colere dicat (*Theod. Rohl.*), unde id quod ex 2 Thess. 2,4 afferunt, iam non valet. Dein ob oculos habenda est maxima totius loci similitudo cum 8,10-12. 23-25; ergo de uno eodemque in utroque loco fit vaticinium.

Ex altera parte omnino verum est Antiochum esse typum antichristi. Id iam efficitur ex similitudine illa quae intercedit inter descriptionem utriusque in cap. 7 et 8; cf. 7,11. 21. 25 et 8,10-12. 23-25. At ex hac typica ratione non sequitur nostro loco non omnia per se et directe de rege persecutore dici neque colligi potest alia de rege, de antichristo alia enuntiari. Talem modum loquendi ancipitem et quasi ab uno ad alterum avolantem et ad priorem redeuntem nullibi agnoscendum esse, omnino puto; vide quae de ea re dixi in Commentario Is. I p. 451. Neque merito opponi 12,1 neque inde ostendi posse in antecedentibus non esse actum de Antiocho, sed solum de antichristo, videbimus statim ad 12,1; ibi enim postquam dictum est de auxilio quod laturus est Michael in calamitate temporis Antiochi (cf. 10,21), transitus indicatur ad aliam eamque multo maiorem tribulationem.

f) De victoria populi Dei 12, 1-4.

Quid opressionis ac vexationis populo Dei immineret, angelus annuntiavit. Iam consolationem quoque et levamen in rebus arctis fore indicat eiusque fontem ostendit duplicem : adiutorium quod populo allaturus sit Michael princeps magnus, plenam autem retributionem a Deo iri datum in aeternitate; vitam scil. aeternam et gloriam ac beatitatem piis Dei cultoribus, poenas vero et ignominiam perpetuam apostatis (12,1-3). Uti supra angelus dixerat Michaelem sibi venisse in adiutorium, uti eum vocaverat principem Iudaeorum qui sibi solus sit adiutor in omnibus his (10,13. 21), ita nunc praedicit eundem angelum opem laturum in afflictionibus illis quas annuntiaverat v. 1 « *In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus qui stat pro filiis populi tui* »; — hebr. *et in hoc tempore*, ita ut nexus cum antecedentibus et arcta coniunctio significetur; *stabit* Michael i. e. promptus et paratus ad auxilium praestandum, expeditus ad protectionem; ad quod quantae sit potentiae, additur titulus : princeps ille magnus, quanto autem officio et studio feratur, indicatur in altero membro *stans pro filiis populi tui*, cuius est scil. populum tueri, causam eius agere ac defendere; cf. עמד על Esth. 8,11; 9,16; proinde asserit angelus Michaelem populo afflicto adfore tutorem ac protectorem ac defensorem validum et promptum. Neque dubium esse potest quin haec verba referantur ad tempus persecutionis de qua cap. 11 sermo erat. Dum dicitur 11,45 persecutorem interiturum ita ut nemo eum adiuvet, adiutor potentissimus ostenditur populo Dei verbis immediate sequentibus, quare in hebr. explicite dicitur *et in hoc tempore*. Talem autem protectorem adfore, iam ex 10,13. 21 colligere licet. Atque in pugnis illis ac persecutionibus etiam opem angelicam sensibus esse perceptam, vide 2 Mach. 3,26; 10,29; 11,8 et angeli protectionem et auxilium a Deo Iudas efflagitat 15,23 : et nunc dominator coelorum, mitte angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui etc. Verba haec v. 1 ad Antiochi tempus et calamitates ab eo ortas esse referenda bene viderunt *Sanct. Calm.*; sed plerique statim ad ultima tempora ea spectare volunt. Id quod neque necesse est neque ipsis verbis satis congruit.

In sequentibus angelus a calamitate illa temporali transitum facit ad ultimum rerum omnium exitum ostendens omnes tum demum plenam retributionem esse accepturos; proin afflictiones illas et modum quo quis eas inferat vel subeat valere in aeternum; non hisce in terris

esse mercedem vel poenam quaerendam adaequatam; fore ut et qui persequuntur et qui persecutiones sustinent eadem morte abripiantur neque in vita mortali condigna accipiant; at oculos animosque esse convertendos ad aeternitatem; igitur etsi afflictiones ingruant in dies maiores, exitu considerato mentes esse erigendas. Ita haud difficile adnectuntur haec quae sequuntur, a quibus cap. 12 esse proprie incipiendum *Sanct.* existimavit: «*et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse coeperunt usque ad tempus illud, et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro;* v. 2 *et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam et alii in opprobrium ut videant semper;* v. 3 *qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti et qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellae in perpetuas aeternitates*»; — hebr. *et erit tempus angustiae;* ipsa collocatione indicatur maxima quaedam afflictio et omnium summa post auxilium a Michaele praestitum, id quod bene cohaeret cum iis quae 7,21. 23. 25 dicuntur de quarto regno et cornu alio quod in mediis cornibus decem ortum est. Sicut igitur cap. 11 exposuit quid cornu illud ex tertio regno oriturum (8,9) et quanta mala sit invecturum, ita nunc breviter tangit etiam postea fore tempus maioris adversitatis; unde ex oraculis antecedentibus sponte remittimur ad regnum quartum et cornu illud. Quicumque est scriptus in libro, salvabitur, in libro Dei, in libro vitae; vide ad Is. 4,3 et supra 7,10, cum in iudicio Dei libri afferantur et aperiantur; Deum cultores suos in suum librum referre eosque ex eo recensere, habes quoque Ps. 86,6.

Qua salute autem illi in Dei librum relati, i. e. veri Dei cultores, veri Dei famuli quos suae familiae Dominus adscriptos habet, demum donandi sint, qua autem contumelia alii afficiendi, declaratur v. 2. En pari sorte defuncti sunt et dormiunt in terrae pulvere — at quam dispar erit sors cum ex illo somno excitabuntur! Hic igitur verbis clarissimis resurrectio mortuorum docetur, quae doctrina iam indicabatur et praeparabatur Iob 19,25-27. Is. 26,19. Ez. 37 et aliqua ratione iam Deut. 32,39. 1 Reg. 2,6. Resurrectionem ex mortuis hic apud Danielem enuntiari etiam protestantes omnino asserunt (cf. *Hitz.*); solum disceptatio est, utrum enuntietur resurrectio omnium an Iudaeorum tantum. Sed cum alii surgant ad vitam, alii *ad contumelias et ad abominationem aeternam*, ut sint abominationi et horrori, res abominanda in aeternum, clarum est agi de bonis et malis. Verum cur soli peccatores ex Iudaeis surgant ad poenam et non etiam persecutores ac vexatores, nulla potest afferri ratio. Quare ad alios quoque praeter Iudaeos verba extendi oportet. Vix autem cum aliis dici licet

רַבִּים esse ut οἱ πολλοί *omnes*, ita ut directe et immediate generalis omnium resurrectio annuntietur; sequitur enim *de dormientibus in terra pulveris* id quod aliter accipi nequit nisi sensu partitivo [1], qui sensus quoque subesset etsi iungeres (uti accentu *mas.* indicari videtur) : surgent de dormientibus. Loquitur itaque angelus directe de iis, de quibus in toto contextu sermonis loquitur, scil. de iis qui vexantur et qui persequuntur; ex iis autem concludere licet ad omnium resurrectionem, quia par est pro omnibus ratio. Notatu dignum est, quanta verborum gravitate sors aeterna malorum describatur : surgent *ad opprobria*, ut iis scil. probra et contumeliae ingerantur, ut evadant *abominatio*, αἰσχύνη (LXX, Theodotio), ab omnibus detestandi et abominandi; quae sors tamdiu durabit, quamdiu vita beatorum, quare in utroque membro cum epitasi ponitur עוֹלָם. Vertit *S. Hier.* ut videant semper; proin legit לראות pro hebr. לדראון.

Gloriam autem et beatitatem bonorum splendoremque corporum glorificatorum gradu distingui et alios aliis fore maiore claritate illustres declaratur v. 3 : intelligentes, sapientes, pii (vide 11,33. 35) fulgebunt ut splendor firmamenti, i. e. quasi coelum, cum serenum sit (cf. Ex. 24, 10). Doctos intellige eos qui Deum norunt, colunt, a Deo omnem pietatem et veram scientiam edocti sunt; ita quoque συνιέντες (LXX, Theodotio), et ita מַשְׂכִּיל Iob 22,2 (perfectae scientiae homo, *vulg.*), Ps. 14,2 (intelligens), Prov. 10,5 (sapiens) 19 (prudentissimus); 15,24 (eruditus), uti etiam verbum הִשְׂכִּיל significat esse intelligentem, prudentem, attendere animum; cf. 9,25. In qua significatione hic quoque cum LXX, Theodotione, Syro, S. Hier. sistendum est, neque vox ad notionem doctoris cum *Mald. Lap. Mar. Tir.* est deflectenda; de his enim agitur in altero membro; proprie in hebr. *qui iustos faciunt multos* (cf. Is. 53,11), qui igitur quovis modo allaborant, ut alii ad eum statum perveniant in quo Deus homines esse vult, illi splendebunt sicut stellae *in aeternum et semper*, ergo in omnem aeternitatem, qua vocum coacervatione vera aeternitas declaratur. In hoc membro maius quid exprimi, ostendit *Sanct.* : « qui alios docent doctrinaeque radios late diffundunt, similes dicuntur soli ac reliquis

---

1. Contendit quidem *Meinhold* vertendum esse : multi i. e. omnes qui dormiunt... et provocat ad Gen. 7,22; 9,10; 17,12; sed in istis exemplis praecedit *omnis* vel notio aequivalens et additur מִכֹּל, ut designetur magis emphatice singula eo sermone comprehendi. At in nostro casu non *omnis* praecedit sed *multi!* Alia exempla quae affert Gen. 6,2 et Lev. 4,2 huc non spectant. — Sensus manet idem, etsi cum aliis putaveris explicari posse : multi ex statu et conditione dormientium (i. e. qui ea in conditione fuerint) evigilabunt; vel : evigilabunt ii qui numero multi sunt.

astris, quae non satis habent ut splendida sint, sed communicata luce faciunt, ut alia quoque irradiata colluceant; ut autem in coelo splendidior est sol et ignes alii coelestes quam reliquae firmamenti partes, sic etiam beatorum mentibus aliquid est splendoris propter doctrinam qua praeluxerunt aliis, quod non habent indocti quique sibi solum et non aliis vixerunt ». Sed adverte in hebr. non de solis doctoribus esse sermonem, sed de iis qui quovis modo efficiunt, ut alii iusti evadant ac pii. In altero membro maius quid significari ex eo quoque videtur, quia aspectus stellarum multo est iucundior animosque hominum multo maiore perfundere solet voluptate, quam aspectus solius firmamenti super nos expansi. Vertit Theodotio καὶ ἀπὸ τῶν δικαίων τῶν πολλῶν ὡς οἱ ἀστέρες, « unde nunc iuxta Theodotionem dicitur quod docti similitudinem coeli habeant et absque doctrina iusti stellarum fulgori comparentur, tantumque sit inter eruditam sanctitatem et sanctam rusticitatem quantum coelum distat et stellae » (*S. Hier.*). Similiter *Theod.* iustos inferiores esse censet qui solum stellarum lumen imitentur, dum intelligentes sint probatissimi et electi, qui splendori firmamenti et ipsi solis lumini sint similes.

Uti 8,26, ita hic quoque vates iubetur oraculum bene servare et sigillo apposito auctoritatem et fidem ei conciliare v. 4 « *tu autem Daniel claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum; plurimi pertransibunt et multiplex erit scientia* »; — claudere סתם vide ad 8,26; sermones vel *verba* explica de vaticinio 11,2 etc. dato, uti 8,26 visio dicitur. Debet oraculum servari et liber sigillo apposito tamquam verus et sincerus declarari *usque ad tempus finis*, usque dum tempus erit quo omnia haec implebuntur, ut scil. eo tempore quoque constet prophetam fuisse in populo et omnia evenire quemadmodum praedicta sunt; ad quod cf. Is. 34,16 : requirite diligenter in libro Domini et legite : unum ex eis non defuit etc.; tali enim vaticinio Deus suam divinitatem eximio modo hominibus demonstrat; cf. Is. 41,22. 23; 43,9; 44,7; 46,9-11; 48,3. De ea quam dedi notione obsignationis vide quae dixi ad Is. 8,16 et vide de ea significatione חָתַם 1 Reg. 21,8. Esth. 8,10; sponsio quoque rei certo praestandae verbo inest, quam vide Neh. 10,1. 2. Porro dicit angelus multos perscrutaturos esse oraculum hoc, indeque scientiam et utilitatem multiplicem esse orituram. Idque verissime; nam praedicitur vexatio; ergo si persecutio ingruit, id accidit quod fore iam sciebatur; tela autem praevisa minus nocent, neque animi timore nimio percellentur. Dein victoria annuntiatur et doctrina proponitur de gloria aeterna et poenis aeternis, quae duo stimuli sunt acerrimi ad bene agendum. Nota quomodo hic explicite doceatur ex vaticiniorum lec-

tione utilitatem et scientiam captum iri. Vocem *pertransibunt* ipse *S. Hier.* exponit : « percurrent plurimi, multorum significat lectionem, solemus enim dicere : percurri librum, pertransivi historiam ».

S. Ephraem et Porphyrius hanc partem non de resurrectione explicant. Atque ille quidem eos qui dormiunt in terra accipit de iis qui post liberationem tempore Zorobabel concessam iterum quasi somno mortis opprimuntur perversitate, e qua si emerserint, de pulvere evigilasse dicantur; qui ad vitam aeternam, esse iustos in populo; qui ad opprobrium, esse eos qui aliis sint offensioni et qui sibi malam famam perennem acquirant; piis autem promitti claritatem nominis in hac vita et in futura, eos autem qui alios ab iniquitate liberent fore ut splendeant gloria induti in aeternum. Proin alteram etiam vitam spectari S. Ephr. omnino agnoscit. Aliter Porphyrius; Antiocho scil. in Perside mortuo salvatum esse populum Israel : « tunc hi qui quasi in terrae pulvere dormiebant et operti erant malorum pondere et quasi in sepulcris miseriarum reconditi ad insperatam victoriam de terrae pulvere surrexerunt et de humo elevaverunt caput, custodes legis resurgentes in vitam aeternam et praevaricatores in opprobrium sempiternum... Ponit quoque historiam de Machabaeis, in qua dicitur multos Iudaeorum ad eremum confugisse et latuisse in speluncis et in cavernis petrarum ac post victoriam processisse. Et haec μεταφορικῶς quasi de resurrectione mortuorum esse praedicta ». Ita apud *S. Hier.* qui in hanc interpretandi rationem acriter invehitur : « quid non facit pertinacia? quasi contritus coluber elevat caput et moriturus in eos qui morituri sunt venena diffundit ». Eam interpretationem ab omni verborum proprietate longe recedere et plane evagari certissimum est; quare Porphyrius nullum nactus est laudatorem.

g) **Epilogus oraculorum 12, 5-13.**

Ad finem visionis nova proponitur scena. Accedunt enim alii duo angeli quasi testes iuramenti confirmationis quo ab angelo interlocutore affirmatur fore ut quae dicta sunt opere compleantur. In hoc autem quasi epilogo tanguntur duae illae persecutiones de quibus mentio facta est cap. 7 et cap. 8; idque fit apte ad antecedentia, nam etiam in 12,1 duo illa tempora tangi vidimus et fieri transitum a persecutione priore (sub Antiocho) ad ultimam sub antichristo. Quare haec scena quemadmodum apte adnectitur ad 12,1, ita quoque haud minus bene totum librum quantum oracula spectantur absolvit.

Duo testes accedunt v. 5 « *Et vidi ego Daniel et ecce quasi duo alii stabant; unus hinc super ripam fluminis et alius inde ex altera ripa fluminis* » ; — illud *quasi* neque in hebr. neque apud LXX, Theodotionem, Syrum legitur; ergo est negligendum. Duos fuisse angelos

ex eo colligi oportet quia is qui loquitur cum Daniele est angelus ad quem duo *alii* accedere dicuntur. Quinam fuerint, frustra quaeritur. Putat *S. Hier.* fuisse angelum Graecorum et angelum Persarum, de quibus 10,13. 20; idemque opinantur probabile *Mald. Sa, Mar. Lap. Tir. Calm.* aliique; sed Alcazar, uti *Lap.* refert, putat eos fuisse reges illos duos austri et aquilonis, de quibus cap. 11 agebatur, id quod aeque falsum est ac fuisse Iudam et Simonem Machabaeum vel per eos significari quotquot regnum Dei sint exspectaturi vel symbolice exhiberi legem et prophetiam. Flumen intellige Tigridem; ibi enim Danieli visio est oblata 10,4. Dicitur flumen hoc loco יְאֹר quae frequens est appellatio Nili; vide Is. 19,8; 23,10. Ier. 46,7. 8 etc., prout quoque ipsa vox docente *Ebers* est aegyptiaca. Unde aliqui volunt hic significari Nilum vel Tigridem symbolice vocari Nilum, ut denotetur liberatio populi ex Aegypto quae pari ratione iterum futura sit (*Rohl. Keil*). Verum id subtilius dici videtur. Nam eiusdem vocis numerus pluralis adhibetur pro canalibus Is. 33,21. Iob 28,10 et referente *Delitzsch* jauru est vox assyriaca flumen significans (Prolegomena e. neuen hebr. aram. Woerterb. p. 46. 145).

Daniel autem angelum a quo audierat oraculum de tempore finis interrogat v. 6 « *et dixi viro qui erat indutus lineis qui stabat super aquas fluminis : usquequo finis horum mirabilium* »; — i. e. quando finis erit praedictorum? vir lineis indutus est angelus qui Danieli locutus est; cf. 10,5. Danielem interrogare optime exprimitur in versione *S. Hier.;* etiam LXX habent καὶ εἶπα; de versione Theodotionis fertur lectio duplex ειπε et ειπον (hoc sequitur *Theod.*, sed explicat de duobus angelis interrogantibus, uti Syrus quoque fert pluralem : et dixerunt). Sed retinenda est et in hebr. restituenda lectio : et dixi; nam et postmodum v. 8 Daniel quaestionem ponit, et saepius aliis in visionibus quoque narrat se angelum interrogasse; vide 7,16. 19; 10, 16. 17. Si angelus locutus fuisset, clarius Daniel significasset; nam quod nunc legitur in hebr. *et dixit,* obscurum est; quis? de duobus enim angelis mentio praecedit. Si alium loquentem inducit, id clare designatur; vide 8,13. In oraculo antecedenti saepius angelus Danielem remisit ad tempus finis; unde Danielem nunc de isto fine quaerere facillime intelligitur; cur autem angelus unus ex duobus qui nunc primum in scenam inducuntur interrogationem poneret, eo magis mirum esset, quia nullum reperitur indicium eos audivisse oraculum antecedens. Cur angelus super aquas feratur, aliqui explicant ex symbolica aquarum notione; aquis notari tribulationes (*Sanct.*); illis est angelus superior, sed tribulatis fert auxilium, uti 12,1 docetur; vel aquas esse symbolum populorum (Apoc. 17,15; *Rohl.*); populis hisce

qui regnum Dei impugnant angelus dominatur, eos compescit ac subiicit.

Responsio ab angelo data spectat ad ultimam antichristi tribulationem, igitur ad alteram partem v. 1; datur scil. eadem temporis designatio quae 7,25 de persecutione antichristi iam declarata est; v. 7 « *et audivi virum qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dexteram et sinistram suam in coelum et iurasset per viventem in aeternum, quia in tempus et tempora et dimidium temporis; et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa haec* »; — levare manum de iurante dicitur; cf. Deut. 32,40. Ez. 20,5. Est signum Deum advocari testem eorum quae dicuntur (*Sanct.*). Cur autem duas manus levat in coelum? volunt id fieri maioris sollemnitatis ac confirmationis causa; neque displicet quod placuit *Mald.* voluisse angelum simul Deum obtestari et precari. Tempus idem declaratur quod 7,25 quem locum vide. Designatio est valde indeterminata; nam de temporibus illis ac momentis nemo scit. Quod plerique volunt tempus idem esse atque annum, proin declarari tres annos semis, ad arbitrium excogitatum est. Addit demum angelus haec iri completum, *cum confractio potentiae populi sancti completa fuerit;* ita verte et explica ex hebr.; haec autem confractio manus seu potentiae populi sancti ea est calamitas qua maiorem nunquam fuisse supra dictum est. Proinde hisce quoque maxima significatur tribulatio qua ultimum illud tempus insigne erit. Frequenter vertunt: cum *dispersio partis* consummata fuerit, et monent Apoc. 12,6 de fuga in solitudinem fieri mentionem; populum igitur sanctum fuga iri dispersum, quae una est calamitas maximae tribulationis index. At praefero cum *Rohl. Keil* priorem explicationem; nam *manus* populi non est *pars* populi, sed robur, potentia; quare uti dici nequit manum dispergi, ita נפץ capi oportet notione ea quam vox saepius prae se fert (Ps. 2,9 confringes; Ps. 137,9 allidet; Is. 27,9) scil. confringere, conterere. Declarari autem populi sancti afflictionem summam omnino congruit oraculo 7,25 proposito.

Ad quaestionem Danielis omnino obscure respondit angelus; quare v. 8 « *et ego audivi et non intellexi; et dixi: domine mi, quid erit post haec* »? — hebr. *quid extremum horum?* quia non intellexit, alio modo eandem quaestionem ponit. Si autem Daniel, uti plerique, tempus et tempora et dimidium temporis intellexisset de tribus annis semis, habuisset responsum aliquod ad suam quaestionem; ergo vix puto eum dicturum fuisse *non intellexi*; unde haec ipsa prophetae ignoratio mihi est indicium tempus non poni pro anno; si enim hoc in usu fuisset, etiam Daniel intellexisset.

Respondet angelus monens vatem ut oracula haec serventur et legitima habeantur; ergo idem ei commendat quod in v. 4; v. 9 « *et ait : vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad praefinitum tempus* »; — hebr. *usque ad tempus finis*. Verba sunt eadem quae v. 4; itaque eodem modo ea oportet explicari. Admonetur igitur vates, ut acquiescat, ut contentus sit, ne ulterius inquirat; hoc unum ei sufficiat oracula servari et sigillo divino apposito divina haberi usque ad finem. Eo responso simul indicatur plenam eorum intelligentiam non esse postulandam, cum Danieli dicatur *vade*, eum scil. facessere iubeat ab ea interrogatione (*Sanct.*) et in eo consistere quod iam v. 4 ei dictum sit. Sunt qui clausos signatosque sermones h. l. intelligant eo modo, ut oracula dicantur a nullo posse intelligi. At verba ea ratione capienda sunt, uti v. 4; ibi autem sensus esse nequit : claude i. e. fac ut oracula ab aliis non intelligantur. Dein oracula esse obscura non opus erat dici ab angelo, cum id Daniel sua interrogatione se scire satis superque declarasset. Angelus autem aliud responsum declinans et solum dicens : sufficiat quae tibi supra dixi, eo ipso declarat plenam intelligentiam non concedi.

Addit tamen aliqua quae ex oraculo de rege persecutore repetit; proinde indicat in hisce rei summam contineri et ad haec animorum attentionem dirigi oportere, v. 10 « *eligentur et dealbabuntur et quasi ignis probabuntur multi, et impii agent impie neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent* »; — hebr. *purgabuntur et dealbabuntur et probabuntur multi*; verba eadem leguntur 11,35; *quasi ignis* in nullo textu legitur; Theodotio eius loco praebet πυρωθῶσι, LXX duo solum verba habent ἕως ἂν πειρασθῶσι καὶ ἁγιασθῶσι, sed tria retinenda sunt propter 11,35. Assignatur igitur fructus, « quem ex hac tribulatione iusti habituri sunt, nempe quem ex igne expiatorio seu ardente fornace consequitur argentum, a quo scoria seu rubigo excoquitur et ipsum nitescit magis » (*Sanct.*). Impii vero eo tempore suam maxime prodent et demonstrabunt impietatem. Id quoque praedicitur, ne pii propter dominium impiorum et iniquitatem invalescentem turbentur. Ea autem rerum perturbatione impii carebunt intelligentia i. e. manebunt obcaecati neque vias et consilia Dei percipient; *intelligentes* autem, qui vere sunt sapientes, id est pii Dei cultores (cf. de voce 11, 35; 12, 3) vera imbuti sapientia consilia Dei et signa temporum intelligent; « omnia in divinam referentes providentiam cum res evenire viderint respicient et levabunt capita sua et cognoscent redemptionem suam appropinquare, quemadmodum a Christo moniti fuerant Luc. 21,28. Math. 24,15 » (*Mald.*). At proxime haec verba angeli referri oportet ad tribulationem a rege persecutore, Antiocho Epiphane infe-

rendam, uti patet ex textu 11,35 allegato et ex temporis determinatione quae v. 11 sequitur.

In solatium quoque addit angelus quamdiu futurum sit ut furor persecutionis maxime ferveat v. 11 « *et a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*; v. 12 *beatus qui exspectat et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque* »! — de voce תָּמִיד vide ad 8,13; intelligitur cultus Dei perpetuus qui Deo publice erat ex lege persolvendus. Iste tempore persecutionis supprimitur, *ut* (hebr.) eius loco ponatur abominatio desolationis; vide ad 8,13; cum ex eo loco et ex 11,31 sententia depromatur et iisdem verbis repetatur, dubitari nequit quin de eadem re eodemque tempore sermo instituatur, id est, de persecutione Antiochi, uti bene explicant *Mar. Calm. Loch, Troch.* et iam explicarunt S. Ephr. et Ammonius qui saltem ex parte (μερικόν) hic de Antiocho fieri sermonem agnovit. Plerique tamen (*S. Hier. Theod. Per. Sanct. Mald. Lap. Rohl.* etc.) haec de antichristo dici asserunt; at perperam. Duo enim tempora clare ab angelo distinguuntur et duae tribulationes; ita iam 12,1; dein a v. 6-8 agitur de illa quam supra 7,25 expositam habemus; a v. 9 autem et deinceps redit angelus ad eam quae 8,11 seq. et 11,31 seq. declarata est. Clarissime enim ipsis verbis ex cap. 7. 8. 11 petitis nobis indicatur, ad utram vexationem singula sint referenda. Quare potius mirum est a multis ad hoc non attendi, cum tamen in aperto sit positum de alio tempore agi cap. 7, de alio cap. 8 et 11. Haec itaque eo solum modo ad antichristum trahi possunt, quatenus Antiochus, ut aliunde constat, typus antichristi consideratur et tempore antitypi similia fieri certum est quae tempore typi evenerunt, uti *Palmer* fere rem concipit.

Uti supra 8,14 mentione facta ablationis cultus perennis et abominationis positae certus dierum numerus statuitur, ita hic quoque, qua re iterum constat de eodem eventu in utroque loco fieri oraculum. Numerus dierum determinatus est, sed ab illo diversus. Supra 8,14 in tempore dierum 2300 totum tempus vexationis indicatur (vide ad 8,14); hic, uti videtur, solum tempus illud per quod oppressio maxima exsistet, per menses 43, si singulis mensibus dies 30 attribuimus; praedicatur beatus qui ulterius vixerit per dies 45 vel per unum mensem semis; unde eo tempore certa spes et initium conditionis melioris dabitur. Uti supra 8,14 numerum dierum ita explicandum censui, uti verba dicunt, de spatio temporis certo et definito, ita hoc quoque loco exponendum censeo propter easdem rationes. Terminus *a quo* designatur ablatio cultus et abominatio in loco sacro; quare tempus illud declaratur, de quo 1 Mach. 1,57 et igitur annus 145 aer.

sel. vel 168 a. Ch.; proinde a mense decembri eiusdem anni numerus dierum erit computandus. In nova autem dedicatione altaris quae facta est die 25 mensis noni i. e. casleu anni 148 aer. sel. numerus iste dierum 1290 non expletur, quia solum anni tres et dies decem intercedunt i. e. dies 1105 vel 1102; ergo desunt dies 185 vel 188, ut ad numerum 1290 perveniamus. Quare alius eventus oraculo praedicitur; sed quis? Id certo dici nequit, quia monumenta certa ex quibus singuli eventus usque ad diem vel mensem determinari possint ad nos non pervenerunt. Aliis haud improbabile visum est numerum dierum 1290 expleri morte Antiochi Epiphanis anno 164 (ita Bleek, Kirmss, Hitz. Delitzsch, Hofmann, Aub. Zündel, Kliefoth apud *Keil*). Obstare videtur quod morte Antiochi vexatio Iudaeorum minime finita est. Fortasse oraculum refertur ad eventum illum 2 Mach. 13,14 narratum quo effectum est, ut postea aestate anni 163 a. Ch. Iudaeis plena potestas cultus sui exercendi et secundum suas leges vivendi a Lysia fieret 1 Mach. 6,55-62. 2 Mach. 13,23-26. De hac enim re maxime est dimicatum et ea obtenta spes melioris conditionis animos piorum gaudio et voluptate perfundebat. Quare eo eventu expletos esse dies videtur satis probabile.

Demum angelus qui tamdiu Danieli locutus est ei valedicit v. 13 « *tu autem vade ad praefinitum et requiesces et stabis in sorte tua in finem dierum* »; — hebr. *vade ad finem* i. e. tu ibis ad finem tuum, mortem scil. omnibus constitutam et requiesces in sepulcro; sed in fine dierum resurges ad sortem tuam (cf. *S. Ephr. Theod. Sa, Mar. Lap. Tir. Loch, Rohl. Troch.*). Simul innuitur eum esse moriturum antequam illa calamitas populo ingruat (*S. Ephr. Mar. Lap.*). Ad suam perveniet sortem i. e. habebit in fine dierum, in consummatione saeculi gradum suum et mansionem in regno Dei (*Per. Mald.*). Notat *Lap.* patriam coelestem vocari sortem quia angelus alludit ad typum eius, terram Chanaan Iudaeis promissam, quae eis sorte distributa est. Hisce quoque Daniel iam senex grandaevus admoneri videtur mortis quam mox obire debebit, post quam requiem et demum sortem praeclaram in regno Dei eum esse accepturum promittitur. Ita qui tot oracula pro populo suo accepit, demum etiam pro se consequitur vaticinium solatio plenum.

Historia Susannae.

ARG. — A duobus senibus, iudicibus populi, castitati Susannae[1]

---

1. De ea vide S. Augustinum, serm. 343; M. 39, 1505. Sermo de Susanna qui habetur in

parantur insidiae; illa autem egregia victrix omne potius malum subire eligit quam peccare (13,1-27). Accusatur ab iisdem adulterii ficta rei narratione et condemnatur. Susanna autem Deum invocat innocentiae testem (13,28-44). Neque frustra; Deus enim spiritum suscitat Danielis iuvenis, qui id agit quod omissum erat, fidem scil. accusatorum testiumque explorat; cum ii misere inter se discrepantes mendacii convicti essent, Susanna liberatur a crimine, senes autem scelus morte luunt (13,45-64).

a) **Susanna uxor egregiae virtutis 13, 1-27.**

Ieremias scribit ad exsules : aedificate domos, plantate hortos (29, 5); unde elucet, sicut etiam ab exemplo Tobiae, exsules opes et rem familiarem sibi acquirere potuisse. Quare nullo modo offensioni esse potest quod Ioakim, vir Susannae, et domum amplam et pomarium possedit. Quando ipse abductus sit in captivitatem non constat. Forte eodem tempore quo Daniel, forte cum Iechonia, quocum plerique nobiles abducebantur (4 Reg. 24,14). Daniel quidem vocatur tempore rei huius gestae παιδάριον νεώτερον (LXX νεώτερος ὤν); sed παιδάριον exprimit hebr. נַעַר qua voce iuvenis viginti annorum et amplius haud raro significatur. Ita v. g. vocatur Beniamin Gen. 43,8, cuius tamen mox recensentur filii decem (46,21); eodem nomine designantur fratres David qui erat eorum minimus et tamen officio pastoris gnaviter fungens iam leonem et ursum audacter aggressus vicerat (1 Sam. 16, 11; 17,34 seq.); eodem nomine appellatur Absalom postquam iam rebellionem in patrem moverat 2 Sam. 18,5; quibus in locis apud LXX παιδάριον legitur; et si Daniel vocatur νεώτερον π. eam appellationem compara ei qua se Salomon 1 Reg. 3,7 vocat נַעַר קָטֹן παιδάριον μικρόν, quamvis iam esset rex et iam filium genuisset (cf. 3 Reg. 11,42 et 14, 21). Quare ea voce minime prohiberis quo minus existimes, si ita temporum conditioni melius consuli tibi videatur, Ioakim simul cum Iechonia esse abductum Babylonem. Si ita, haec narratio proprie collocanda erat post caput secundum; id quod fortasse etiam suadetur v. 64, quo Daniel dicitur factus esse magnus in conspectu *populi* scil. sui, postquam scil. iam magnus factus est in aula regia et honoratus a rege. Etiam hoc eventu probatur Deum dedisse Danieli sapientiam

---

tomo sexto operum S. Chrysostomi est spurius; item sermo de Passione Domini et de Susanna inter opera S. Augustini, *M.* 39, 2046. De ea quoque scripsit *Zschokke,* die biblischen Frauen des alten Testamentes p. 301-310; Freiburg i. B. 1882.

et intelligentiam 1,17, idque coram populo suo, uti cap. 2 idem probatur in aula regia.

Notat *S. Hier.* ad suam versionem : « hucusque Danielem in hebraeo volumine legimus; quae sequuntur usque ad finem libri de Theodotionis editione translata sunt ». Atque primo quidem v. 1-4 sermo fit de Susannae pulchritudine et pietate et de Ioakim opibus et auctoritate; v. 1 « *Et erat vir habitans in Babylone et nomen eius Ioakim;* v. 2 *et accepit uxorem nomine Susannam filiam Helciae, pulchram nimis et timentem Deum;* v. 3 *parentes enim illius cum essent iusti erudierunt filiam suam secundum legem Moysi;* v. 4 *erat autem Ioakim dives valde et erat ei pomarium vicinum domui suae et ad ipsum confluebant Iudaei, eo quod esset honorabilior omnium* »; — in versione syriaca secundum editionem Thomae, episcopi heracleensis (ed. her.) legitur : cum filius 12 annorum esset Daniel, vir erat Ioakim nomine; eadem aetas ei quoque adscribitur in epistola interpolata S. Ignatii martyris ad Magnesios (*M.* 5,760) et a Sulpicio Severo (hist. 2,1; *M.* 20,128). Ammonius Ioakim regem nominat quem Nabuchodonosor Babylonem abduxerit. Eandem sententiam Syncellus Hippolyto attribuit eamque probabilem censet (πιθανὸς ὁ λόγος; Chronographia, ed. Dindorf I p. 413); at si rex fuisset (i. e. Ioachin, Iechonias), id in narratione non taceretur. *Hip.* quoque existimat Susannam filiam fuisse Helciae sacerdotis illius qui librum legis in domo Domini invenit et eius fratrem fuisse Ieremiam prophetam. Etiam in ed. her. Helcanas vocatur sacerdos; nomen istud in familiis sacerdotalibus vel leviticis satis usitatum fuisse videtur (cf. Ier. 1,1; 29,3. 1 Chron. 6,30; 26,11. Neh. 8,4); unde Susannam ex genere levitico vel familia sacerdotali originem duxisse, non est improbabile. Susanna nomen dicit *lilium;* cf. Cant. 2,1. Os. 14,6; atque lilii appellationem sibi merito imponi eximia sua virtute et castitate declaravit.

In ed. her. additur in domo Ioakim Iudaeos synagogam, coetum sacrum habuisse et Susannam per paucos dies cum marito fuisse et reliquam aetatem in viduitate egisse die noctuque in Dei cultu sese exercentem. Laudantur parentes eius qui ipsi iusti sancte et pie filiam educarint in Dei mandatis secundum legem. Effertur itaque a sacro auctore quantae utilitatis pia puellae institutio et educatio fuerit. In timore Dei vera designatur pietas, reverentia, observatio mandatorum, brevi vita secundum normam legis exacta. Non sine arte statim mentio fit et pulchritudinis eius pietatisque et pomarii domui adiacentis, quarum rerum mentione narratio subsequens praeparatur. Pomarium, παράδεισος, פַּרְדֵּס Cant. 4,13; in versione vetere latina v. 20 legitur viridarium. Haud abs re monet *Lansselius* Nabuchodonosor regem qui

nobiles pueros Iudaeorum in aulam suam admiserit etiam viros Iudaeorum primarios benigne fovisse omnino esse probabile; quare mirum videri non debere si domum insignem cum pomario et aliis ornamentis possederit Ioakim, utpote prae aliis honore praestans ac dignitate, in cuius aedibus Iudaeis causas suas coram iudicibus suae nationis tractare permissum sit.

Iudaei exsules res suas ipsi administrabant et iudicibus suis utebantur. Isti iudices fortasse a rege muneri suo praeficiebantur, simili modo quo Iudaeis in Palaestina relictis Godoliam Iudaeum rex praefecit. Qua re simul discimus regem minime sollicitum fuisse ut Iudaei regerentur legibus ac moribus Babyloniorum sed id solum spectasse, ut solverentur vectigalia. Proinde etiam in exsilio Iudaeos suis usos esse magistratibus nihil habet a veritate alienum. Nam veterum historiarum periti omnino fatentur non fuisse moris penes veteres rerum omnium administrationem ad unum quendam summum magistratum ita referre, ut una norma iisdemque legibus omnes urbes, provinciae, singulae gentes tribusque regerentur (cf. *Cornely,* Introd. II 2 p. 508 not. 10). Iam narratur qua occasione duo senes amore Susannae capti sint v. 5 « *et constituti sunt de populo duo senes iudices in illo anno, de quibus locutus est Dominus : quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus qui videbantur regere populum*; v. 6 *isti frequentabant domum Ioakim et veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia*; v. 7 *cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna et deambulabat in pomario viri sui* v. 8 *et videbant eam senes quotidie ingredientem et deambulantem, et exarserunt in concupiscentiam eius* »; — unde illa Domini verba petita sint incertum est. Aliqui de Ier. 23,14 vel 29,22 cogitant (cf. *Mald. Calm. Rohl.*); *Sanct.* haud improbabiliter opinatur effatum hoc alicuius prophetae esse quod hoc loco nobis sit conservatum, eo modo quo v. g. a S. Paulo nobis servatum sit verbum Domini : beatius est magis dare quam accipere (Act. 20,35); « dixit fortasse Christus saepe Marthae : si credideris videbis gloriam Dei, qua nos sententia careremus, nisi Christus repeteret : nonne dixi tibi : si credideris... (Ioan. 11,40). Sicut igitur quaedam verba Christi traditione servata[1] apud scriptores ecclesiasticos leguntur, ita cum multi exstiterint prophetae qui nihil nobis scripto reliquerint facile existimaveris tale effatum hoc loco in memoriam revocari, sicut in libris historicis varia prophetarum oracula recensentur (cf. 1 Reg. 2,30; 2 Reg. 7,14; 3 Reg. 20,22). Id mihi probabilius videtur, cum loci illi ex Ieremia allati parum sensui verborum congruant.

1. Eiusmodi multa collegit *Resch,* Agrapha, aussercanonische Evangelienfragmente, Leipzig 1889.

Advertit *S. Hier.* : « referebat Hebraeus istos esse Ahab et Sedeciam, de quibus scribit Ieremias : faciat te Dominus sicut Ahab et Sedeciam » (Ier. 29,22); eiusdem Iudaeorum opinionis mentionem facit in commentario ad Ier. 29,21 et Origenes quoque narrat sibi ab erudito Hebraeo, filio viri apud eos sapientis idem dictum esse (ep. ad Afric. n. 7; et n. 8 refert ab alio Hebraeo dictum esse senes illos, de quibus Daniel, mulieribus vitium intulisse affirmantes sibi datum esse procreare Christum et eo mendacio mulieres esse deceptas). Verum plerique eam sententiam loco fabulae habent et repudiant (cf. *Mald. Per. Sanct. Lans. Calm. Estius* ad Ier. 29,22 itemque *Lap.*), eam tuentur *Lyranus, Tir.* et ex recentioribus *Wiederholt* (Tübinger Quartalschrift 1869 p. 395 seq.) et *Tir.* monet omnia perbelle respondere : « utrique enim degebant Babylone, utrique tempore Nabuchodonosoris, utrique mendaces, utrique adulteri, utrique ob adulteria supplicio affecti, utrisque dictum a Deo : ego sum iudex et testis; neque repugnat prophetas deligi in iudices, neque repugnat iudices tam enormis criminis convictos ad tribunal Nabuchodonosoris delatos esse ». Simili modo arguit *Wiederholt*, eosdem et prophetas et iudices esse potuisse, neque obstare quod apud Ieremiam a rege puniantur, hic vero a populo interfectos eos esse dicatur; nam narrationem ita explicari posse, ut populus eos accusaverit, rex vero eos mortis damnaverit. Obiici quidem iudices hos esse lapidatos; eam enim poenam adulterio esse propositam (Deut. 22,24. Ez. 16,40. Ioan. 8,5. 7) et cum testes mendaces idem supplicium subire debuerint quod si accusatio vera fuisset reo fuisset subeundum, recte concludi eos esse lapidatos. Ad quod perperam aliquos respondere eos antea esse lapidatos et dein frixos igne vel nomine ignis omnem mortem designari violentam; sed narratione apud Danielem solum dici eos a populo esse interfectos, neque tamen qua morte; et loco Deut. 19,16 seq. satisfieri, si iudices mortis poenam subierint; quo facto dici potuisse cum illis actum esse secundum legem Moysis. Huic quidem, uti vidimus, Danielis aetas non obstat; at cum Hebraei in eiusmodi rebus fingendis sint omnino frequentes, traditioni eorum parum inest ponderis; dein Ier. 29,23 alia assignantur crimina, ob quae a Deo traditum iri dicuntur in manus Nabuchodonosor, adulteria scil. cum uxoribus amicorum commissa et oracula mendacia quae nomine Dei ediderint; hic autem damnantur ob falsum testimonium contra innocentem dictum. Quare illa sententia non videtur esse probabilis. — In ed. her. appellantur Amid et Abid.

Notat Ammonius bene dici ἐδόκουν κυβερνᾶν; specie enim visos esse gubernatores, at vero animas obsequentes immersisse naufragio; in veritate enim, ut *Alb.* notat, non rexerunt, sed perverterunt populum; at eam prae se ferebant gravitatem in ore, eam in moribus simulatam sanctitatem, ut alios viderentur in omni officio ac morum integritate servaturi; sed erat simulata sanctitas (*Sanct.*). Aliis placet explicare : qui sibi aliquid esse videbantur. Ad hos iudices veniebant

in domum Ioakim quicumque lites inter se habebant. Quando autem in ipso meridie discussis iudiciis in suam quisque domum revertebatur, Susanna e conclavi suo et solitudine procedere et in horto ambulare solebat. Iudices autem post digressum populi aliquamdiu consultationis causa remanentes vel cum Ioakim familiariter colloquentes eam frequenter videbant et amore libidinoso exardescebant. Redditur, ut *Mald.* ait, causa libidinosi amoris senum.

Ea autem perturbatione libidinis capti plane infatuati sunt; quam maxime enim libido rationis sensum pervertere solet; v. 9 « *et everterunt sensum suum et declinaverunt oculos suos ut non viderent coelum neque recordarentur iudiciorum iustorum;* v. 10 *erant ergo ambo vulnerati amore eius nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum;* v. 11 *erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam volentes concumbere cum ea* » ; — in v. 9 praeclare docet auctor quibus armis libidinem oporteat expugnare : oculos oportet elevare ad coelum, ad Deum, eius opem implorare, eius praecepti esse memorem et iusta eius iudicia considerare, qui scelera severa castigatione prosequitur. Miseri illi hominem verentur, amico non audent sensum libidinis patefacere; coram Deo qui renes et corda scrutatur non suffunduntur pudore. Haec est utique stultitia peccatorum! Apud LXX : alter alteri dissimulabat malum quo de ipsa tenebatur neque mulier quidquam sciebat.

Illi diu flammam in animis nutriebant v. 12 « *et observabant quotidie sollicitius videre eam; dixitque alter ad alterum :* v. 13 *eamus domum quia hora prandii est! et egressi recesserunt a se;* v. 14 *cumque revertissent venerunt in unum, et sciscitantes ab invicem causam confessi sunt concupiscentiam suam, et tunc in communi statuerunt tempus quando eam possent invenire solam* » ; — volebat scil. uterque alterum a se dimittere et solus remanere; et cum finxissent se domum ire, alia iterum via in eundem locum reversi sunt (*Mald.*). Advertit *Sanct.* Iobum foedus pepigisse cum oculis, ut ne cogitaret quidem de virgine (Iob 31,1), illos autem senes foedus iniisse videri cum oculis, ut non ad coelum sed solum ad aspectum periculi plenum dirigerentur. Aliter res narratur apud LXX : mane facto festinasse utrumque ut altero citius adveniret et cum ea colloqueretur « et ecce ipsa secundum consuetudinem deambulabat et unus senum advenerat et ecce alter quoque accessit et quaesivit alter ex altero : quare tu tanto mane egressus es me non assumens? et fatebantur inter se dolorem suum et dixit alter ad alterum : eamus ad eam et inter se convenientes ad eam accesserunt eique vim inferre conati sunt » ; reliqua omnia omittuntur usque ad v. 22. Quod igitur in libro

Danielis alias iam observavimus (cf. 5,3; 6,18), hic quoque cernimus ea scil. quae venerem redolent omitti quantum fieri potest.

Quales illi struxerint insidias, narratur v. 15 « *factum est autem cum observarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri et nudiustertius cum duabus solis puellis voluitque lavari in pomario; aestus quippe erat;* v. 16 *et non erat ibi quisquam praeter duos senes absconditos et contemplantes eam;* v. 17 *dixit ergo puellis : afferte mihi oleum et smigmata et ostia pomarii claudite ut laver* »; — heri et nudiustertius, hebraismus est cf. Gen. 31,2. Ex. 4,10. Ios. 4,18; sicut scil. antea facere solebat. Post balneum corpus oleo ungi solebat; smigma (σμῆγμα) ex usu apud profanos scriptores triplicem notionem habet; vel dicit unguentum vim abstergendi sordes et emundandi habens, saponem, vel unguentum quoque odoriferum vel apud medicos unguentum sanandi vim habens (cf. *Fritzsche*); Esth. 2,3. 9 vox apud LXX legitur pro תַּמְרוּקִים, quibus locis intelliguntur unguenta odoresque quibus puellae ad regem adducendae excolebantur; ceterum de unctione post balneum mentio quoque fit Ruth 3,3. 2 Reg. 12,20. Iudith 10,3 : lavit corpus suum et unxit se myro optimo. Ne deliciis dedita videatur Susanna, s. auctor balnei usum aestus mentione facta excusare videtur; v. 18 « *et fecerunt sicut praeceperat clauseruntque ostia pomarii et egressae sunt per posticum, ut afferrent quae iusserat, nesciebantque senes intus esse absconditos;* v. 19 *cum autem egressae essent puellae, surrexerunt duo senes et accurrerunt ad eam et dixerunt :* v. 20 *ecce ostia pomarii clausa sunt et nemo nos videt et nos in concupiscentia tui sumus; quamobrem assentire nobis et commiscere nobiscum;* v. 21 *quod si nolueris, dicemus contra te testimonium quod fuerit tecum iuvenis et ob hanc causam emiseris puellas a te* »; — Theodotio v. 18 κατὰ τὰς πλαγίας θύρας, per portas obliquas. Vet. lat. habet v. 20 : consenti nobis et esto nobiscum (magis ad verbum secundum textum graecum) vel : condescende, ut ita loquar, nobis, morem nobis gere (*Mald.*). In versione syriaca senes minantur se *falsum* testimonium dicturos esse.

Vere perverterunt sensum suum; nam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes in absconditas partes (Eccli. 23,28). Id quod Susanna praeclare eos docet v. 22 « *ingemuit Susanna et ait : angustiae sunt mihi undique; si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras;* v. 23 *sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras quam peccare in conspectu Domini* »; — additur in utraque versione syriaca : mors *a Domino* et ita esse intelligendum recte monet *Mald.* etiam patere

ex altero membro v. 23; ergo peccare vocat mortem coram Domino, mortem et perniciem animae (cf. *Sa, Sanct. Lap. Tir.*) et *S. Hier.* notat : « peccatum mortem vocat; sicut ergo ei qui facit adulterium mors est adulterium, sic omne peccatum quod ducit ad mortem mors appellandum est ». Quandoque explicant : rea ero mortis ex lege mosaica (*Men.*, quam explicationem etiam Origeni et S. Hier. attribuunt *Mald. Lap.*); sed hoc parum est neque erat timendum ne senes ipsi crimen patefacerent; proinde admisso scelere poenam mortis non potuit metuere; ergo alia acceptio necessario requiritur. Ad v. 23 advertit *S. Hier.* : « in graeco non est αἱρετώτερον, id est, *melius* sed αἱρετόν quod *bonum* interpretari possumus; unde eleganter non dixit *melius* mihi est... ne videretur comparatione peccati quod non erat bonum hoc appellare melius; sed bonum est, inquit, non facere malum et incidere in manus vestras ne peccem in conspectu Domini; non ergo per comparationem legendum est : *melius...* ». Apud LXX legitur κάλλιον. Quaerunt etiam interpretes fueritne obligata Susanna, ut clamore se periculo mortis obiiceret et libidinem senum a se depelleret. Respondent licuisse ei in tanto periculo infamiae et mortis negative se habere ac permittere in se eorum libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata et exsecrata fuisset, quia maius bonum est fama ac vita quam pudicitia; itaque non tenebatur ipsa exclamare uti docet Soto l. 5 de iustitia q. 1 art. 5 et Navarrus Manual. cap. 16 n. 1 (ita *Lap. Tir.*). Quod ergo exclamavit nulloque modo in se quidquam committi permisit, actus fuit insignis et heroicae virtutis (*Lap. Tir.*).

Intellexit aestuantem senum libidinem precibus exstingui non posse; unde ad arma confugit quae muliebrem infirmitatem armant ac muniunt (*Sanct.*) v. 24 « *et exclamavit voce magna Susanna; exclamaverunt autem et senes adversus eam* v. 25 *et cucurrit unus ad ostia pomarii et aperuit* »; — et ipsi scil. exclamaverunt, utpote Susannae clamore iam proditi, ut eam accusarent, ne rei sed vindices sceleris viderentur (*Lap. Mald.*). Atque astuti illi veteratores rem subito ita instruunt, ut suspicio ac species criminis in Susannam verteretur, et statim eis occurrit quid esset agendum, ut scil. porta aperta iuvenem quem ibi fuisse mentituri erant evasisse dicere possent. Laudat et commendat hunc Susannae clamorem *S. Ambrosius* scribens de ea : « ego inter duos presbyteros posita, inter duos utique iudices populi, sola inter silvas paradisi constituta vinci non potui quia nec volui » (de lapsu virginis cons. 4,12; *M.* 16,370). Accurritur ad clamorem; certe senes ita vocem extulerunt, ut eorum vociferatio prae clamore Susannae audiretur, id quod magnopere conferebat ad

crimen in eam reiiciendum; v. 26 « *cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per posticum ut viderent quidnam esset;* v. 27 *postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer, quia nunquam dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna* »; — erubuerunt, cum audirent dominam a iudicibus iisque senibus adulterii accusari et « quamvis anteacta illaesa et immaculata vita idoneum videretur pudicitiae testimonium perhibere, illis tamen irreligiosum videbatur senioribus non credere » (S. Augustinus, serm. 343; *M*. 39,1505).

Apud LXX haec omnia post v. 23 omittuntur. In versione autem syriaca narrantur variis additis; ita v. g. ad v. 22 : si hoc faciam, mors mihi a Domino (erit); quia cubile Ioakim mariti mei probro affeci; et si non fecero, mortem malam de manibus vestris accipiam cum nomine malo et non decet nobilitatem meam et pudorem relinquam toti familiae meae propter testimonium falsum virorum iniquorum qui addunt super contritionem et super malum Israel cum ludibrio inter gentes exteras. Et ad v. 23 : is (Dominus) nequaquam obliviscitur quod in eum confido me de manibus vestris ab eo liberatum iri. Et v. 24 : clamavitque Susanna voce magna propter afflictionem suam de manibus virorum impudicorum; et in v. 26 senes iam fabulam a se confictam exponunt : cum transiremus extra hortum prospicientes ut videremus hortum, vidimus Susannam quiescentem cum iuvene quodam; cucurrimus ut prehenderemus eos et non potuimus tenere iuvenem quia nobis robustior erat; v. 27 et cum audirent verba senum, omnes famuli Susannae pudore affecti sunt de eo quod eam fecisse dixerunt. — Altera autem versio ed. her. multo magis sequitur textum Theodotionis; solum pauca adduntur; praecipue in v. 27; et cum venissent viri domus eius et populus multus ad clamorem eorum, interrogaverunt archisynagogos, quid esset clamor ille; et iterum addiderunt peccatis suis et locuti sunt verba impura : adulteravit Susanna et cum iuvene deprehendimus eam in horto; et pudefacti sunt servi et ancillae Susannae, quia nihil eiusmodi de Susanna auditum erat et iniecerunt vincula Susannae et erat in custodia tres dies.

b) **Falsum de ea testimonium 13, 28-44.**

Sequenti die Susanna ab iisdem senibus in ius vocatur : « *Et facta est dies crastina;* v. 28 *cumque venisset populus ad Ioakim virum eius, venerunt et duo presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam ut interficerent eam;* v. 29 *et dixerunt coram populo : mittite ad Susannam filiam Helciae uxorem Ioakim! et statim miserunt* »; — apud Theodotionem : et factum est crastina die, cum conveniret populus ad virum eius Ioakim, venerunt duo seniores etc.; mittite i. e. accersite eam. Apud LXX : iniqui autem viri abierunt

minantes apud se et insidiantes, ut illam interficerent et venerunt ad synagogam urbis, ubi habitabant et congregabantur omnes filii Israel qui erant ibi, et surgentes duo seniores et iudices dixerunt etc.; itaque secundum LXX non in ipsa domo Ioakim iudicium est habitum; eius autem domus assignatur in versione syriaca. Apud Theodotionem non legitur *statim*, habetur vero apud LXX. Magna commiserationis exhibitione cognati comitabantur Susannam, ut sua praesentia et dolore de vita optime peracta testarentur et rei insolitae exitum opperirentur v. 30 « *et venit cum parentibus et filiis et universis cognatis suis;* v. 31 *porro Susanna erat delicata nimis et pulchra specie;* v. 32 *at iniqui illi iusserunt ut discooperiretur* (*erat enim cooperta*) *ut vel sic satiarentur decore eius;* v. 33 *flebant igitur sui et omnes qui noverant eam* »; — rem oppositam bene depingit s. auctor : dolent et lugent amici eius vitae probitatem eousque habentes perspectam, senes illi profligata libidine ex eius aspectu satiare cupiunt voluptatem. Iubent eam deponere velum capitis; mulier adulterii suspicione accusata adstare iubetur in conspectu Domini capite discooperto Num. 5,18. Quare ea fortasse lege senes pravum animorum affectum coram aliis obvelare studebant; « defendebat ab ignominia velamen obiectum oculis quod aliquod miseris levamentum est; illud tamen aufert luxuriosa senectus » (*Sanct.*). Ea re Susannae dolorem multum esse auctum eique opprobrium illatum non minimum patet.

Secundum legem Lev. 24,14 testes et conscii criminis manus ponere iubentur super caput rei; v. 34 « *consurgentes autem duo presbyteri in medio populi posuerunt manus suas super caput eius*, v. 35 *quae flens suspexit ad coelum; erat enim cor eius fiduciam habens in Domino* »; — illa tacebat et corde clamabat, ut ait S. Augustinus, in Ps. 118,2; *M.* 37,1775 et serm. 156,14; *M.* 38,858. Hoc quoque silentium laudat S. Ambrosius : « est et negotiosum silentium, ut erat Susannae quae plus egit tacendo quam si esset locuta; tacendo enim apud homines locuta est Deo nec ullum maius indicium suae castitatis invenit quam silentium. Conscientia loquebatur ubi vox non audiebatur nec quaerebat pro se hominum iudicium quae habebat Domini testimonium; ab illo igitur volebat absolvi quem sciebat nullo modo posse falli » et iterum : « tacebat in periculis Susanna et gravius verecundiae quam vitae damnum putabat nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem; Deo soli loquebatur cui poterat casta verecundia eloqui » (de officiis ministr. 1,3. 18; *M.* 16,26. 43). Apud LXX additur, quid τρὶς ἀνακύψασα apud se oraverit : Domine, Deus aeterne cuncta sciens antequam exsistant, tu scis me non perpetrasse quae

iniqui illi in me maligne confingunt, et exaudivit Dominus orationem eius; praeoccupant ergo eam orationem quae fere eodem modo legitur apud Theodotionem postea v. 42. 43, quo loco nihil apud LXX.

Impositione manuum senes se testes declarant; v. 36 « *et dixerunt presbyteri : cum deambularemus in pomario soli, ingressa est haec cum duabus puellis et clausit ostia pomarii et dimisit a se puellas* » ; — *haec* legendum est cum contemptu, ut *Alb.* notat; v. 37 « *venitque ad eam adolescens qui erat absconditus et concubuit cum ea;* v. 38 *porro nos cum essemus in angulo pomarii videntes iniquitatem cucurrimus ad eos et vidimus eos pariter commisceri* v. 39 *et illum quidem non quivimus comprehendere quia fortior nobis erat et apertis ostiis exsilivit;* v. 40 *hanc autem cum apprehendissemus, interrogavimus quisnam esset adolescens et noluit indicare nobis; huius rei testes sumus* » ; — vet. lat. habet v. 38 et vidimus concurrentes eos... et v. 40 haec contestamur. Apud LXX ita loquuntur : vidimus hanc quiescentem (ἀναπαυομένην) cum viro et stantes vidimus eos inter se congredientes (ὁμιλοῦντας ἀλλήλοις) et ipsi nesciebant nos adesse; tum diximus inter nos : discamus quinam sint isti et progressi hanc agnovimus, iuvenis autem fugit velatus, hanc autem apprehendentes interrogavimus etc.

Auctoritate sua iudices senes tantum valuerunt, ut omnis ulterior rei inquisitio omitteretur; acquiescebat populus forte memor Deut. 19,15 : non stabit testis unus contra aliquem quidquid illud peccati et facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Isti autem duplici titulo et senectutis et potestatis iudicialis fidem promereri videbantur eamque iure suo postulare; unde v. 41 « *credidit eis multitudo quasi senibus et iudicibus populi et condemnaverunt eam ad mortem* » ; — ultimum membrum apud LXX non legitur, sed statim fit ad v. 45 transitus. In ed. her. autem additur ad sententiam mortis : et dixerunt : qui adulteravit, dignus est morte et ut lapidetur; et hora nona tradita est Susanna, ut deiicerent eam e loco unde praecipitantur adulterae et congregati sunt multi ad spectandum. — Susanna autem Deum omniscium testem suum sollemniter invocat v. 42 « *exclamavit autem voce magna Susanna et dixit : Deus aeterne qui absconditorum es cognitor qui nosti omnia antequam fiant,* v. 43 *tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, et ecce morior cum nihil horum fecerim quae isti malitiose composuerunt adversum me!* v. 44 *exaudivit autem Dominus vocem eius* » ; — « cordis affectus et mentis pura confessio et bonum conscientiae vocem eius fecerant clariorem; unde magna erat exclamatio eius Deo quae ab hominibus non audiebatur » (*S. Hier.*). Dei opem implorat ab eo

sperans auxilium (cf. v. 35) qui in vetere foedere virtuti etiam mercedem temporalem promiserat. Quare tuto rem Deo committere potest. Ceterum haec sollemnis Dei testis innocentiae invocatio eo tempore quo iam ad mortem ducebatur apta quoque erat qua iudices prudentes moneri et excitari deberent, ut inquisitione facta rem accuratius examinarent. Susanna itaque omni ex parte et pie et prudenter egit; miranda quoque est animi moderatio qua de sceleratis illis loquitur qui et honorem et vitam ei eripere gestiebant. Animo placido mortem opperitur, nullius scil. criminis sibi conscia. Rem suam Deo exponit neque poscit importune, ut se periculo eripiat sed omnia Dei beneplacito relinquit eam prae se ferens mentem quam etiam ostendunt tres illi iuvenes 3,17. 18.

c) Eius innocentia patefit 13, 45-64.

Deus vocem eius exaudivit; v. 45 « *Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris cuius nomen Daniel* v. 46 *et exclamavit voce magna : mundus ego sum a sanguine huius* »! — secundum LXX angelus Domini dedit Danieli spiritum intelligentiae, Daniel populum retinet et in medio stans dicit : sic stulti estis, filii Israel etc.; singulari igitur Dei impulsu mens Danielis illustrata fuit eique audacia indita et industria qua auderet obsistere et inveniret qua via fraus illa ad omnium oculos aperta fieret. Indidit ei itaque Deus spiritum prophetiae, quo Susannam innocentem esse certo cognosceret ex iis quae modo evenerant; cum mens Danielis pia et proba a Deo illustretur et ad rem Deo gratam excitetur, merito spiritus vocatur sanctus. Communi sententia Susanna erat condemnata; contra quam Daniel intercessionem facit omnemque in ea partem a se longissime removet et qui eam condemnaverant reos esse caedis, reos esse sanguinis innocentis alta voce declarat. Qua voce omnium in se oculos convertit; v. 47 « *et conversus omnis populus ad eum dixit : quis est iste sermo quem tu locutus es?* v. 48 *qui cum staret in medio eorum ait : sic fatui filii Israel non iudicantes neque quod verum est cognoscentes condemnastis filiam Israel?* v. 49 *revertimini ad iudicium quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam* »! — reprehendit quod *filiam Israel,* feminam eousque optimae famae, piam, non ex aliena natione oriundam sed eiusdem secum gentis condemnaverint adeo praecipitanter, ita ut quae a testibus dicta erant nullo modo investigarent, diiudicarent, explorarent, sed simpliciter dictis crederent (cf. Ammonius). Apud LXX duo versus 49 et 50 non leguntur. In ed. her. aliqua adduntur ad v. 48 : prophetavit et dixit : auscul-

tate sermonem Domini et audite vocem prophetae eius; et nolite damnare innocentem in recto iudicio Dei! iudicate verum iudicium, ne immittat in vos Dominus furorem irae suae; terribilis est enim plaga eius nec eam ferre potestis. Et dixit eis : adeone fatui estis filii Israel et non iudicatis iudicium verum sed illuditis iustitiae?... et miratus est omnis populus.

Instauratur iudicium. Praesides facile acquiescunt; voce enim Danielis moniti agnoscunt a se omissum quod lege praeceptum erat, ut scil. testimonia dicta diligenti examine explorarentur, Deut. 19,18 : et inquirunt iudices diligenter etc. (hebr.); v. 50 « *reversus est ergo populus cum festinatione et dixerunt ei senes : veni et sede in medio nostrum et indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis* »! — honor senectutis τὸ πρεσβεῖον est ius iudicandi vel dirigendi iudicium, ad quod experientia opus est et prudentia. Haec cum in Daniele nunc prae senibus cernatur, Deus ipse ei auctoritatem contulisse dicitur quae alias seniorum esse solet. Haec verba certe non sunt eorundem senum et accusatorum, quae ab iis vel ironice dicantur vel adulationis causa ut Danielem honore exhibito sibi conciliarent (*Mald. Lap. Men. Tir.*), sed cum *Sanct. Calm. Rohl.* dicendum est verba esse aliorum qui scil. iudicii praecipitanter peracti praesides erant, neque probabile est quod *Troch.* placet totum populum eo nomine designari. Secundum ed. her. etiam sella affertur ex gazophylacio et ponitur ut Daniel sedeat.

Prudentissime mandat Daniel ut testes inter se separentur v. 51 « *et dixit ad eos Daniel : separate illos ab invicem procul et diiudicabo eos;* v. 52 *cum ergo divisi essent alter ab altero, vocavit unum de eis et dixit ad eum : inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quae operabaris prius;* v. 53 *iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens et dimittens noxios, dicente Domino : innocentem et iustum non interficies,* v. 54 *nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi? qui ait : sub schino;* v. 55 *dixit autem Daniel : recte mentitus es in caput tuum; ecce enim angelus Dei accepta sententia ab eo scindet te medium* »; — separavit eos ne quid inter se conferre possent quod confictum scelus artificiose celaret (*Sanct.*); *inveterate*... i. e. nequam et scelerate senex qui longum vitae tempus in peccatis consumpsisti[1], nunc peccata tua ad cumulum et maturitatem venerunt et demum debitas habebunt poenas (*Mald.*). Daniel spiritu prophetico praeditus scelera eorum occulta novit; lo-

1. Apposite notat *Per.* : « expedit nonnunquam eos vehementer increpari ac terreri, quo scil. incussus terror omnem ex eorum animis simulationem excutiat ».

cum allegat Ex. 23,7; cf. Lev. 19,5. In v. 54 εἴπερ, qua particula iam dubitatio significatur: si quidem, si omnino; ὁμιλοῦντας, qua voce LXX v. 37 usi sunt; vet. lat. praebet *tractantes*. Schinus, latine lentiscus; et vet. lat. habet *sub lentisco* (cf. S. August. serm. 343,1; *M.* 39,1506). Respondet Daniel : tuo te responso quasi gladio te iugulasti; tuis enim verbis falsi te testimonii arguam (*Sanct.*); apte mentitus es, ut te ipsum verbis tuis condemnares (*Mald.*). Quod de angelo additur significat : iudicium et ultionem divinam non effugies; iam sententia a Deo contra te dicta est. Commemorat angelum, quia angeli sint exsecutores iudiciorum divinorum, et quam certo poena scelerato immineat exponit. Alii subtilius explicant fore ut angelus eum occidat, si populus pepercerit (cf. *Sanct. Mald. Lap. Rohl. Troch.*). Secundum LXX Daniel etiam monet populum, ne apud se statuant eos esse senes qui non mentiantur; se dicit iudicaturum secundum ea quae incidant. In versione syriaca effatum illud Domini non affertur, sed eius loco dicitur : Dominus est iustus et purus; dein : nunc narra nobis de muliere hac : quid vidisti et sub qua arbore vidisti eos colloquentes? In ed. her. Susanna prius solvitur vinculis et Daniel profitetur se non iudicaturum de subsellio sed stantem, et iudicaturum de senibus prout Dominus daturus sit et ostensurum illos de Susanna per iniquitatem falsum esse testatos.

Dein alter testis advocatur v. 56 « *et amoto eo iussit venire alium et dixit ei : semen Chanaan et non Iuda, species decepit te et concupiscentia subvertit cor tuum;* v. 57 *sic faciebatis filiabus Israel et illae timentes loquebantur vobis; sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram;* v. 58 *nunc ergo dic mihi sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi! qui ait : sub prino;* v. 59 *dixit autem ei Daniel : recte mentitus es et tu in caput tuum; manet enim angelus Domini gladium habens ut secet te medium et interficiat vos* »; — v. 57 ὡμίλουν ὑμῖν, vet. lat. concumbebant vobiscum, vel ut S. Augustinus habet : acquiescebant vobis (quaest. 78 in Exod.); in v. 58 vet. lat. invicem tractantes, ὁμιλοῦντας ἀλλήλοις. Vocat eum semen Chanaan; nam « tales aliquis patres habere dicitur, qualium mores et ingenium imitatur » (*Sanct.*); cf. Ez. 16,3. 45; de Chananaeorum moribus cf. Lev. 18,3. Sap. 12,3 seq.; 14,24 seq. LXX : quare perversum est semen tuum, sicut Sidonis (semen) et non ut Iuda? i. e. indoles tua quae scil. a gente scelerata derivari videtur; pulchritudo te decipit, *parva* concupiscentia; si lectio est genuina (proponunt etiam lectionem μιαρά), vocem explica *vilem* concupiscentiam et contemptu dignam, qua notione μικρός quandoque apud scriptores profanos adhibetur et legitur quoque in plerisque Ios. 22,19 pro hebr. טָמֵא *impurus.* In ed. her.

responso senis v. 58 subiungitur : et exclamavit tota concio voce alta et laudarunt Deum occultorum revelatorem qui reddit innocenti secundum innocentiam suam et retribuit iniquo et dat viam eius in caput eius; et etiam in v. 59 aliqua adduntur. In vet. lat. senex respondet : sub ilice.

In textu graeco utroque cernitur paronomasia in v. 54 ὑπὸ σχῖνον et σχίσει, et v. 58 ὑπὸ πρῖνον v. 59 πρίσαι (καταπρίσῃ LXX); quae eadem in nulla alia versione deprehenditur. Nomina quoque arborum variant; in vet. lat. sub lentisco, sub ilice; apud *Syrum* : בטמתא terebinthus et בלוטא quercus; in ed. her. פסתקא pistacia et רומנא malogranatum. Ex quo lusu verborum qui in graeco reperitur iam Africanus conclusit eam narrationem esse spuriam, i. e. ab origine graece scriptam et proinde non ad Danielem neque ad biblia hebraica referri posse. Ei respondet Origenes a se non paucos Hebraeos esse consultos; at illos se ignorare voces graecas dixisse et postulasse ut ipsae arbores sibi ostenderentur. Quod cum praestitisset Origenes, nihil tamen esse effectum, quia quae nusquam in Scripturis nominatae essent arbores etiam ipsi nescirent quemadmodum dicerentur hebraice (cf. *M.* 11, 44. 61); unde Origenes concludit : vereor pronuntiare utrum etiam apud Hebraeos similis nominum derivatio servetur necne. Etiam *S. Hier.* monet diligenter esse inquirendum de nominibus, « si sint apud Hebraeos et quam habeant etymologiam; quod si non fuerit inventum, necessitate cogemur et nos eorum acquiescere sententiae qui graeci tantum sermonis hanc volunt esse περικοπὴν, quae graecam habeat tantum etymologiam et hebraicam non habeat; quod si quis ostenderit duarum istarum arborum scissionis et sectionis in hebraeo stare etymologiam, tunc poterimus etiam hanc Scripturam recipere ».

Ad quem nodum enodandum variae excogitatae sunt viae. Et *Calm.* quidem ait : « quemadmodum temerarium esset affirmare lusum hunc verborum in hebraeo contigisse, ita et contrarium nonnisi per summam impudentiam asseritur »; qua altera parte prior pars destrui videtur. Fieri potest ut in versione exsistat verborum lusus qui in textu ipso non reperiatur. Ita v. g. in graeco evangelio S. Matthaei aliquae deprehenduntur agnominationes quae fortasse in textu aramaico non inveniebantur; 6,16 ἀφανίζουσιν... ὅπως φανῶσι; 21,41 κακοὺς κακῶς et similiter in latina interpretatione Recognitionum 4,10 : quo per aquam mundus effectus mundum denuo repararet et 5,17 serpens qui serpit per sensus nostros. At nostro loco tale quid assumi nequit; allusio enim bis occurrit et studiose adhibita videtur. Quare similis in textu exstiterit necesse videtur; dico *similis;* nam non oportet assumere easdem voces in hebr. positas fuisse. Bene post *Per.* advertit *Sanct.* : « sic ergo puto graecum interpretem voces adhibuisse non quae omnino hebrai-

cis aut chaldaicis responderent, sed quarum in alio idiomate sensus esset non dissimilis et similis allusio » et exempli causa affert potuisse latinum interpretem v. g. ponere nomina arborum malum et prunum et dicere alteri : male peribis, alteri : prunis concremaberis; vel lusus etiam ex vet. lat. fieri potuit : sub lentisco; non lente peribis; sub ilice, illico occideris (cf. *Lap.*); vel lusus inter cedrum et caedere (*Mald. Men.*). Atque revera ne nunc quidem desunt verba hebr. quibus similis allusio efficitur, quamvis certe nemo negaverit multa arborum nomina quae olim apud Hebraeos nota fuerint non esse usque ad nos perlata. Iam *Lansselius* haec habet : « potuit hebraice esse תִּרְזָה cupressus et רזה extenuare et אֵלָה quercus et אָלָה imprecari » vel maledictum, imprecatio. Similia quoque in medium attulit *von Haneberg :* תרזה et arabicum תרד comminuere; צְרִי et צָרָה fidit, fissuras fecit. Sed ab aliis negatur צרי nomen esse arboris, et saltem in usu biblico non arborem dicit sed ῥητίνην, resinam Gen. 37,25; 43,11. Ier. 8,22; 46,11; 51,8. Ez. 27,17 (cf. *Schegg*, Bibl. Archaeologie p. 208). Quamquam his exemplis non demonstratur arborem vel arbustum resinae non eodem vel simili nomine appellari potuisse; compara v. g. *malus* et *malum* et similia. Immo sunt qui dubitent fuerintne arbores πρῖνος et σχῖνος in Babylonia (cf. *Wiederholt* l. c. p. 303). Quodsi ita est, clare demonstratum est LXX et Theodotionem, uti alias, ita hic quoque nomina arborum liberius transtulisse, id quod eo magis nostro loco licuit, ut paronomasiae ratio haberetur eaque servaretur aliqua imitatione. Eodem enim modo *S. Hier.* Ier. 1,11. 12 non vertit virgam amygdalinam quae est notio vocis שָׁקֵד, sed virgam *vigilantem*, quia sequitur שֹׁקֵד אני vigilabo ego; ita posuit idem Gen. 2,23 *virago*, ut intelligi possit quod sequitur : quia de viro sumpta est et apud LXX legitur Gen. 3,20 et vocavit Adam nomen uxoris Ζωή, quia ipsa est mater πάντων τῶν ζώντων (hebr. חַוָּה, חָי).

Quare qui putant veritati et integritati narrationis derogari, si graecus interpres aliis arborum nominibus ac quae fuerint in hebr. usus sit (*Lap.*), severius iudicant neque perpendunt quanta sit in reddendis arborum, animalium, lapidum etc. nominibus varietas apud LXX et etiam apud ipsum S. Hieronymum. Aliqua exempla dedi ad Mich. 1,8 (Proph. min. I p. 402), ad Iob 30,29; ad Is. 13,22 etc. de arboribus v. g. אֵלָה vertitur δρῦς 1 Sam. 17,19; τερέβινθος Gen. 35,4. Iud. 6,11. Is. 1,30; 6,13 et Gen. 34,11 τερέβινθος etiam redditur בְּטְנִים. Vox בְּרוֹשׁ redditur κέδρος Ez. 27,5; κυπάρισσος 4 Reg. 19,23. Is. 37,24; πεύκη 3 Reg. 5,10 (hebr. 5,24); ξύλον Is. 14,8.

Ridiculum est quod Reuss asserit talem verborum lusum in versione non posse concipi « ce jeu de mots ne se concevrait pas dans une traduction » et proinde textum graecum debere esse textum originalem. Sed quam falsum hoc sit iam ostenditur Matth. 16,18 ubi in versione et graeca et latina cernitur paronomasia : tu es Petrus et super hanc petram... quamvis Christus neque graece neque latine locutus sit sed aramaice, ubi eadem exsistit paronomasia Kephas et כֵּיפָא. Demum Reuss se ipsum refutat; nam in

versione gallica paronomasiam utramque imitatur : sous un *cognassier;* voici arriver l'ange avec l'arrêt de Dieu qui va te *cogner* de manière à te pourfendre par le milieu... sous un *houx*... l'ange de Dieu va te *houssiner*... cf. *Vigouroux,* Les livres saints et la critique rationaliste IV p. 350.

In textu allusionem exstitisse extra controversiam esse videtur. Interpretem eam imitatione exprimere voluisse pariter certum erit. Ad hoc autem quid fecisse censendus est? Sane primo mentem ad sententiam a Daniele pronuntiatam direxit; proin verba spectavit secandi, findendi; haec retinuisse putandus est et ad ea verba graece expressa nomina graeca arborum exquisivisse quibus illa paronomasia constare et exprimi possit. Quare probabilissimum est quod veteres iam statuerunt interpretes et recentiores eos secuti qui verba hebr. notione illa conquirunt et cum iis iungunt nomina arborum quae sono simili appellantur v. g. קציעה laurus cassia et קָצַע scidit; פִּקֻּעָה cucurbita et פָּקַע vel בָּקַע fidit, ruptum est; אֱגוֹז nux et גָּזַז totondit, secuit; et alia quoque vide *Welte*, Specielle Einleitung in die deuterocanonischen B. p. 248; *Wiederholt* l. c. p. 308; *Cornely*, Introd. II 2 p. 508. Hisce adde quod in versione arabica paronomasiae omnino apte expressae sunt. Quare etsi certa coniectura assequi non possumus quid in textu lectum olim sit, tamen ex paronomasia nullo modo sequitur narrationem prima iam origine graece esse conscriptam.

« Dissonantia testimoniorum patefecit veritatem, liberavit castitatem » (S. Augustinus l. c.); v. 60 « *exclamavit itaque omnis coetus voce magna et benedixerunt Deum qui salvat sperantes in se;* v. 61 *et consurrexerunt adversus duos presbyteros* (*convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium*) *feceruntque eis, sicut male egerant adversus proximum,* v. 62 *ut facerent secundum legem Moysi, et interfecerunt eos et salvatus est sanguis innoxius in die illa* »; — habuit itaque fiducia in Deo posita v. 35 suam mercedem. In lege contra testes mendaces poena statuitur talionis, Deut. 19,19 : reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit et auferes malum de medio tui etc.; ex quo loco apud LXX ὃν τρόπον ἐπονηρεύσατο ποιῆσαι etiam hic dictio et apud LXX et apud Theodotionem deprompta est. Poena autem adulteris statuta erat lapidatio; cf. Deut. 22,21-24. Ioan. 8,5. Cum Iudaeis exsulibus iudices ex sua gente concederentur, eis etiam ius gladii esse tributum omnino putandum est; ceterum exsules suis regebantur legibus et regi victori tributa solvebant cuius certe non multum intererat qua ratione Iudaeorum iudices ius inter suos administrarent. Neque dicendum est cum aliquibus iudicium hoc tumultu ac praecipitantia esse actum. Narratio quidem est brevis ac

succincta; at culpa testium probata erat et explorata neque de poena erat dubitatio; quid ergo ultra requirebatur? Ceterum si cui narratio brevior videatur, dici potest summa solum capita brevi perstringi. — Secundum LXX coetus exclamat iuvenem ostendisse illos esse testes falsos ex proprio ipsorum ore; v. 62 et obturaverunt eis ora et educentes proiecerunt eos in voraginem et angelus Domini proiecit ignem inter eos. In ed. her. clamat coetus : laus Deo qui vivificat (servat in vita) omnes credentes in nomine eius, et additur in v. 62 : et retribuit illis Dominus vindictam malam, prout digni erant.

Ex felici rei exitu et gaudium enatum est cognatis Susannae et gloria auctoritasque Danieli apud populares v. 63 « *Helcias autem et uxor eius laudaverunt Deum pro filia sua Susanna cum Ioakim marito eius et cognatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis;* v. 64 *Daniel autem factus est magnus in conspectu populi a die illa et deinceps* »; — « digne quasi sancti laudant Deum, non quia liberata est de manu presbyterorum Susanna, hoc enim non satis laudabile est nec magni discriminis si non esset liberata, sed quia non est inventa in ea res turpis » (*S. Hier.*). Cernunt parentes fructum piae educationis v. 3, qui ipsi laudibus Deo dictis suam egregie manifestant pietatem. Daniel qui forte in aula iam scientia illustris erat et notus cognitione rerum secretarum (1,17; 2,1 seq.?) etiam inter suos opinionem et nomen iuvenis spiritu Dei ducti consecutus est. — Plane alia h. l. LXX praebent : propterea iuvenes Iacob dilecti sunt in simplicitate sua, et nos tueamur iuvenes fortes tamquam filios; pii enim sunt iuvenes et erit in iis spiritus intelligentiae et scientiae in saeculum saeculi. — In textu syriaco parentes Deum laudant et celebrant et etiam filiam laudant suam; in ed. her. gaudent de filia sua Deumque laudat totus populus et tota familia Susannae; Daniel autem auctoritate crevit et valuit in familia Susannae et in toto coetu Israel et semper faciebat iudicium et iustitiam in populo suo et celebrabatur fama rerum praeclare ab eo gestarum in toto populo propter occulta et secreta quae ei innotuerunt. — Iuveni itaque sancto et casto Deus tribuit, ut innocentem feminam a calumnia vindicaret et senes impuros debita poena mulctaret.

Bel et draco 13, 65-14, 42.

ARG. — Daniel detegit fraudem sacerdotum Bel idolumque evertit (14,1-21); draconem occidit; ideoque in lacum leonum mittitur, sed a Deo liberatur (14,22-42. *Lap.*).

a) **Bel 13, 65-14, 21.**

Apud Theodotionem, in vulg. in versionibus syriaca et arabica legitur versus qui ad hanc narrationem pertinere videtur, ad quam excepto vulg. etiam in aliis textibus adscriptus exhibetur; 13,65 « *Et rex Astyages appositus est ad patres suos et suscepit Cyrus Perses regnum eius* »; — iam plerique veterum interpretum latinorum bene existimarunt haec verba non ad cap. 13 esse trahenda, sed pertinere ad cap. 14. Etenim ad historiam Susannae non sunt apta. Nam eo ipso quod Cyri mentio fit qui regnum Astyagis suscepit tempus designatur quo Daniel iam non, νεώτερος neque παιδάριον 13,45 vocari poterat. Cyrus enim Astyagen devicit eumque captivum fecit anno 550 a. Ch.; iam vero Daniel c. annum 605 in Babylonem est abductus. Cyrus quidem regnum iam suscepit Medorum vivo Astyage; at cum Astyagen omnino in honore haberet, facile ei quandam regnandi regiique splendoris umbram reliquit; id Herodotus quoque innuere videtur, cum dicat Astyagi nihil aliud mali a Cyro esse illatum et ipsum apud Cyrum commoratum esse usque ad mortem (1,130; cf. *Brunengo,* L'Impero di Babilonia e di Ninive II p. 477). Simili modo, ut supra ex Xenophonte expositum est, Cyaxarem quoque honoravit eique imperii quandam speciem concessit. Igitur eum simili modo egisse cum Astyage multo magis est probabile. Si autem ita egit, etiam explicatur dici posse ex opinione quadam populari cui aliqua veri species suberat Cyrum mortuo Astyage regnum eius suscepisse. In monumentis Astyages Istuvegu appellatur (cf. *Tiele,* Babylonisch-assyr. Geschichte p. 468). A morte Astyagis usque ad occupationem regni babylonici per Cyrum anni fluxerunt haud pauci. Quare mirum videtur, cur haec narratio in qua Cyrus iam rex Babylonis describitur, a regno Medorum suscepto ordiatur. Apud LXX iste versus omnino non legitur; sed cum LXX in versione Danielis saepe a textu primigenio recedant et in historia Susannae quoque multa omiserint quae apud Theodotionem habentur et ad narrationem genuinam pertinere videntur, omissio haec non potest sufficere ut dicamus versum hunc esse spurium et proin plane negligendum. Nam ubi Theodotionis versionem cum textu primigenio comparare possumus (cf. v. g. Dan. 1-12 cap.), ea invenitur fidelis et accurate exprimens illum. Eo itaque versu duos eventus qui sequuntur contigisse dicitur Cyro rege; neque quidquam reperiri potest quod non ad Cyrum eiusque indolem apte conveniat, ut infra demonstrabitur.

Cum versus iste adeo abrupte ponatur, eum alii in alium locum transfe-

rendum esse putabant. *Mald.* quidem eum relinquit ad historiam Susannae annexum, sed ita explicat : Daniel factus est magnus in conspectu populi usque ad mortem Astyagis et regnum Cyri. — Verum hac acceptione mirum dicendi genus supponitur. Alii existimant verba esse fragmentum alicuius libri de exsilio vel de Danielis rebus gestis conscripti, ex quo libro haec narratio sit deprompta (cf. *Wiederholt*, Tübinger Quartalschrift 1872 p. 561). Sed ut alia omittam, si in eo libro verba haec posita erant ante hanc narrationem, difficultas est plane eadem, quomodo scil. a morte Astyagis gressus fiat ad Cyrum regem Babylonis; quodsi erant longe ab ea narratione separata, non explicatur cur cum ea sint coniuncta. Alii Astyagen perperam poni pro Dario Medo volunt vel eo nomine eundem Darium Medum designari vel nomen Astyagis errori scribarum deberi; etiam provocatur ad 9,1, ubi Darius vocatur filius Assueri quod Assueri nomen ex textu graeco Tobiae 14,15 explicant de Cyaxare, Astyages autem erat filius et successor Cyaxaris I. At Darium Medum non posse esse eundem atque Astyagen, iam supra dictum est; neque facile assumendum est nomen vel perperam poni vel a scribis pro altero esse substitutum, si aliquis verus sensus elici potest. Singularem quoque opinionem *Lap.* proponit et sequitur; titulum solum dicere ea quae narrentur contigisse post mortem Astyagis; videri enim Iudaeum aliquem Persis iam plane dominantibus in gratiam Cyri Iudaeis benevoli et Persarum eorum chronica vel diaria conscripsisse et sub eorum aera omnia consignasse; versum igitur non esse connectendum cum primis verbis sed quasi titulum praefigendum; « translatus est enim huc ex diariis iam dictis, in quibus claudebat praecedentes ibi historias et simul sequentis quae hic ponitur erat initium ». Quare *Lap.* non admittit in sequentibus de Cyro esse sermonem. Utrumque arbitrarie excogitatum est. — Hunc versum esse adscribendum ad 5,31 opinatur *d'Envieu* (Livre du prophète Daniel p. 462), qui ut alias iam dictum est Darium Medum esse censet successorem regis Evilmerodach i. e. esse Neriglissor qui fuerit Medus; unde 5,31 et 13,65 ita inter se iungit : Danielem ex una parte ostendere Babyloniis Medum qui iam regnum teneat, ex altera parte Persam qui mortuo Astyage rex futurus sit Medorum et postea Babyloniorum. Verum eiusmodi transpositio ad libitum statuitur; quid de Baltassar ex ipsis monumentis cuneiformibus colligatur, iam expositum est.

Apud LXX legitur titulus : ἐκ προφητείας Ἀμβακοὺμ υἱοῦ Ἰησοῦ ἐκ τῆς φυλῆς Λευί. Forte factum est ex v. 32 seq. ut haec tota pars attribueretur Ambacum prophetae. Ex ratione temporis fieri nequit ut propheta ille inter duodecim minores intelligatur; vide quae dixi in comment. in Proph. min. II p. 51. 52.

Danielem in honore et auctoritate fuisse etiam apud Cyrum regem, iam 6,28 indicabatur. Et quantum ex inscriptionibus cuneiformibus colligi potest, translatio regni a Nabonido ad Cyrum satis placide et sine multa perturbatione facta est. Nam ex iis contractibus quorum

exemplaria Strassmaier descripsit ultimus qui sub Nabonido factus est ad diem pertinet 10 mensis marcheschvan et primus sub Cyro ad diem 24 eiusdem mensis eiusdemque anni (539 vel 538 a. Ch. scil.). Unde iam aliqua ratione explicatur cur Daniel qui in aula regia haud erat ignotus et translationem regni ad Medos Persasque vaticinatus erat (5,28), etiam Cyro factus sit familiaris; adde peculiarem ea in re quoque agnoscendam esse divinae providentiae dispositionem in bonum Iudaeorum; 14,1 « *erat autem Daniel conviva regis et honoratus super omnes amicos eius* »; — ex Theodotione, *vulg.* versionibus syriaca et arabica dubium non est quin Daniel idem intelligatur de quo in antecedentibus sermo erat. Verum LXX de alio quodam Daniele rem narrari innuere videntur; ita enim apud eos legitur : homo quidam erat sacerdos, cui nomen Daniel, filius Abal, conviva (συμβιωτής) regis Babylonis. Quis rex fuerit, non dicitur, Daniel appellatur ἱερεύς; ex familia sacerdotali recensetur Daniel quidam Esdr. 8,2 et Neh. 10,7 (hebr. 10,6 vulg.). Daniel autem propheta ex 1,6 de tribu Iuda fuisse videtur, quia eo loco filii Iuda explicite nominantur postquam 1,3 de filiis Israel generatim mentio facta est; filii autem Israel eo loco certe Iudaei generatim dicuntur, ergo filii Iuda ad tribum Iuda referendi erunt. Posset quidem adverti ἱερεύς esse versionem hebr. כֹּהֵן; eam autem vocem 2 Sam. 8,18 adhiberi non de sacerdotibus, sed de ministris regiis, eodemque modo 2 Sam. 20, 26 et 1 Reg. 4,5 et ad priorem locum LXX vocem vertere αὐλάρχαι, *Syrum* et *Chald.* magnates et in loco parallelo 1 Chron. 18,17 dici hebr. eosdem primos ad manum regis et apud LXX οἱ πρῶτοι διάδοχοι (cf. *de Hummelauer,* Comment. in libros Samuel p. 333); unde ex ea appellatione non necessario sequi Danielem ex genere sacerdotali fuisse. At locis allatis additur ad ἱερεύς vel τῷ Δαυίδ vel τοῦ βασιλέως; quare vox simpliciter posita vix aliter capi potest nisi de veri nominis sacerdote.

Bel, assyro-babylonice Bilu, unus erat ex praecipuis diis (cf. *Schrader,* Keilinschr. u. A. T. 2 ed. p. 173; *Tiele* l. c. p. 522; vide quae dixi ad Is. 46,1). Etiam lectisternia apud Babylonios diis parari ex Herodoto 1,183 et Diodoro siculo 2,9 constat; diis multa dona et sacrificia, agnos, capras, cervos, fructus, vinum, oleum esse oblata ex monumentis quoque et inscriptionibus[1] hodie innotuit (cf. *Tiele* l. c.

---

1. *Delattre,* les deux derniers chapitres de Daniel, p. 53 haec scribit : « Nabuchodonosor, dans une de ses inscriptions, assure qu'il déposait journellement sur la table de ses dieux favoris un boeuf entier, du poisson, de la volaille, quantité d'autres aliments, des

p. 548; *Vigouroux*, la Bible et les découvertes modernes IV ad h. l.). Quare nemo negare poterit ad rei veritatem narrari v. 2 « *erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel et impendebantur in eo per dies singulos similae artabae duodecim et oves quadraginta vinique amphorae sex* »; — secundum Herodotum 1,192 artabe mensura est persica : χωρέει μεδίμνου ἀττικοῦ πλέον χοίνιξι τρισὶ ἀττικῇσι; unde cum medimnus caperet 48 χοίνικας, artabe unus erat medimnus et sexta decima eius pars (i. e. 55,81 lit.); cf. Herodotos, erklaert von H. Stein, Berlin 1883 p. 214. Apud LXX quattuor oves et pro vino oleum scribuntur. Pro amphora legitur metreta quae sunt tres quartae partes medimni attici; medimnus autem capiebat 52,53 lit.; amphora romana tertia parte minor erat quam metreta attica, quae hic fortasse intelligi debet.

Rex quoque idem colebat. Regem eum Cyrum fuisse veteres aliqui interpretes ideo negabant quia putabant a Cyro utpote Persa unum solem esse cultum et alia idola babylonica esse confracta (*Lans. Lap. Tir.*) quam sententiam etiam Is. 46,1 confirmari arbitrabantur; unde regem intelligi Evilmerodach volebant, ad cuius tempus illis etiam 13,65 pertinere videbatur. At Cyrum deos quoque babylonios coluisse iam suspicati sunt *Sanct. Calm.* idque hodie ex inscriptionibus cuneiformibus clarissime constat. In hisce enim Cyrus multa veneratione prosequitur Marduk, Bel, Nebo; gloriatur quod deos pristinis suis sedibus restituerit, magnifica templa erexerit, et uti Iahve vocat Deum coeli (Esdr. 1,2),ita Marduk quoque salutat deum magnum, dominum suum et a Bel et Nebo prosperum rerum successum ac longam vitam efflagitat (cf. quae dixi ad Is. 46,2; Comment. II p. 194; *Brunengo* l. c. p. 448). Quare ex hac parte nihil obstat quominus de Cyro intelligatur narratio v. 3 *rex quoque colebat eum et ibat per singulos dies adorare eum; porro Daniel adorabat Deum suum; dixitque ei rex : quare non adoras Bel?* v. 4 *qui respondens ait ei : quia non colo idola manufacta sed viventem Deum qui creavit coelum et terram et habet potestatem omnis carnis* »; — LXX neminem colo nisi Dominum Deum; apud Theodotionem oppositio inter idola, opera hominum, et Deum viventem, cuius potestas in rerum creatione et pleno omnium dominio cernitur, magis effertur; cf. Gen. 14,19. 22. Act. 14,14; a rerum creatarum consideratione mentem regis ad Deum creatorem ac gubernatorem transferre studet; cf. Sap. 13,3. Act. 14, 15. Rom. 1,19.

---

boissons variées, parmi lesquelles des vins de sept ou huit pays, abondants comme les eaux d'un fleuve ».

Textum Theodotionis de *vivente* Deo esse praeferendum patet quoque ex quaestione et argumento regis; ex comestione enim certe non *deum* eum esse (ut LXX habent) sed *vivum* deum probare vult vel ut *Syrus* apte habet : non videtur tibi Bel vivere? v. 5 « *et dixit rex ad eum : non videtur tibi esse Bel vivens deus? an non vides quanta comedat et bibat quotidie?* v. 6 *et ait Daniel arridens : ne erres rex; iste enim intrinsecus luteus est et forinsecus aereus neque comedit aliquando* » ; — simulacra plerumque ex vili materia constabant quae laminis aureis vel argenteis vel aereis obtegebatur; cf. Is. 44,12 seq. Ier. 10,5. 9. Baruch 6,50. Apud LXX Daniel Cyro per Dominum Deum deorum iurat nihil unquam idolum comedisse. Ex v. 7. 10 fortasse sequitur impensis regiis illa sacrificia esse Bel apposita; unde facillime explicatur ira regis et comminatio facta v. 7 « *et iratus rex vocavit sacerdotes eius et ait eis : nisi dixeritis mihi, quis est qui comedat impensas has, moriemini!* v. 8 *si autem ostenderitis quoniam Bel comedat haec, morietur Daniel, quia blasphemavit in Bel. Et dixit Daniel regi : fiat iuxta verbum tuum* »! — numen divinum simulacris inesse post consecrationem ac dedicationem existimabant (cf. Comment. in Is. II p. 164); quare cum deos hominum more sibi fingerent, solum multo potentiores, haud difficile iis persuaderi poterat deos quoque cibo potuque delectari eiusque copia magna frui posse.

Maiestas et potentia idoli ex numero sacerdotum colligitur, ex eorum vero numero quoque cur tantum ciborum Bel requirat; v. 9 « *erant autem sacerdotes Bel septuaginta exceptis uxoribus et parvulis et filiis. Et venit rex cum Daniel in templum Bel;* v. 10 *et dixerunt sacerdotes Bel : ecce nos egredimur foras; et tu rex pone escas et vinum misce et claude ostium et signa annulo tuo;* v. 11 *et cum ingressus fueris mane, nisi inveneris omnia comesta a Bel, morte moriemur vel Daniel qui mentitus est adversum nos* »; — in v. 9 τέκνων bis est versum in vulgata. Numerus septuagenarius non debet videri maior, cum constet saepe plura millia hierodulorum uni templo fuisse attributa et 3 Reg. 18,19 mentio fiat 450 prophetarum Baal et 400 prophetarum Astartes, qui comedebant de mensa Iezabel. — Herodotus narrat (1,181. 182) in sanctuario Bel positum esse lectum optime stratum et noctu ibi introduci mulierem quam deus ex omnibus eligat; ita dici a Chaldaeis sacerdotibus dei; et deum venire et in lecto recumbere, et idem fieri Thebis in urbe Aegyptiorum. Porro narrat in alia sanctuarii parte (1,183) esse cubiculum, ibi magnum dei simulacrum aureum esse positum et auream mensam magnam, in qua immolentur agni tenelli; esse quoque altare, in quo oves mactentur. Utraque narratio rei nostrae illustrandae inservit.

Aliquatenus differt textus LXX; v. 7 rex iratus vocavit eos qui praeerant sanctuario iisque dixit : ostendite mihi eum qui comedit quae Bel praeparantur; sin minus, moriemini, aut Daniel qui affirmat haec ab eo non comedi; v. 8 illi autem dixerunt : ipse Bel est qui comedat ea. Dixit autem Daniel ad regem : fiat ita; si non ostendero non esse Bel qui ea comedat, moriar et omnes socii mei (οἱ παρ' ἐμοί); v. 9 erant autem Bel sacerdotes 70 sine uxoribus et filiis; v. 10 duxerunt regem in templum (εἰδωλεῖον) et ponebantur escae spectantibus rege et Daniele et vinum mistum inferebatur et apponebatur Bel; v. 11 et dixit Daniel : tu ipse vides, rex, haec esse posita; v. 12 tu proinde obsignabis claves templi postquam clausum est. Placuit sermo regi. — Ita LXX. Magis aptum videtur, quod secundum Theodotionem in v. 10 ipsi sacerdotes regi proponunt quid agendum sit eumque monent ut suo annulo portas obsignet; ita enim maximam ostentant sinceritatem summamque rerum suarum fiduciam qua animum regis sibi conciliare et de sua integritate reddere certum student.

Cur autem ita pro certo loquantur explicatur v. 12 « *contemnebant autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum et per illum ingrediebantur semper et devorabant ea* »; — nihili faciebant minas regis obtentas (*Sanct.*) et periculum cui sese exponebant; pleni erant fiducia, uti *Syrus* explicat. At Daniel eorum astutiam elusit v. 13 « *factum est igitur postquam egressi sunt illi, rex posuit cibos ante Bel; praecepit Daniel pueris suis et attulerunt cinerem et cribravit per totum templum coram rege et egressi clauserunt ostium et signantes annulo regis abierunt* »; — Theodotio : coram rege *solo*, quod additum tamen deest in aliquibus codicibus, sicut etiam in vulg. et apud Syrum; v. 14 « *sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam et uxores et filii eorum et comederunt omnia et biberunt;* v. 15 *surrexit autem rex primo diluculo et Daniel cum eo;* v. 16 *et ait rex : salvane sunt signacula, Daniel? qui respondit : salva, rex;* v. 17 *statimque cum aperuisset ostium, intuitus rex mensam exclamavit voce magna : magnus es Bel et non est apud te dolus quisquam!* v. 18 *et risit Daniel et tenuit regem ne ingrederetur intro et dixit : ecce pavimentum, animadverte cuius vestigia sint haec!* v. 19 *et dixit rex : video vestigia virorum et mulierum et infantium. Et iratus est rex;* v. 20 *tunc apprehendit sacerdotes et uxores et filios eorum et ostenderunt ei abscondita ostiola per quae ingrediebantur et consumebant quae erant super mensam;* v. 21 *occidit ergo illos rex et tradidit Bel in potestatem Danielis, qui subvertit eum et templum eius* »; — igitur capti sunt astuti in astutia sua. Iure autem occiduntur, quippe qui ipsi capita sua devoverint, nisi rex invenerit omnia comesta a Bel

v. 11; iam versutiam suam et fraudem manifestam ipsi reddiderunt; itaque ea poena plectuntur quam ipsi sponte sua et fraudis mendaciique turpissimi conscii sibi elegerant.

Etiam in hac parte narratio apud LXX parumper alia est; v. 13 Daniel autem praecepit suis, ut omnibus ex templo remotis totum templum cinere conspergerent nullo eorum qui extra erant sciente; et tunc obsignans templum iussit obsignare annulo regis et annulis quorundam nobilium sacerdotum (*Syrus* annulo regis et annulo Danielis), et factum est ita; v. 14 et factum est sequenti mane venerunt ad locum — sacerdotes autem Bel ingressi per pseudothyra comedebant (comederant) omnia quae posita erant ante Bel et vinum — v. 15 et dixit Daniel : videte sigilla vestra, sacerdotes, maneantne, et tu rex considera, ne quid te indignum factum sit; v. 16 et invenerunt sicut sigillum erat et removerunt sigillum, v. 17 et aperientes portas viderunt consumpta esse omnia quae apposita erant et mensas vacuas, et laetatus est rex et dixit ad Daniel : magnus est Bel et non est apud ipsum dolus; v. 18 et risit Daniel vehementer et dixit regi : age, vide dolum sacerdotum; v. 19 et dixit Daniel : rex, haec vestigia, cuius sunt? v. 20 et dixit rex : virorum et mulierum et parvulorum; v. 21 et sese contulit in domum, in qua sacerdotes erant congregati et invenit escas Bel et vinum, et ostendit Daniel regi pseudothyra per quae ingressi sacerdotes consumebant quae Bel apponebantur; v. 22 et eduxit eos rex ex sanctuario Bel (ἐκ τοῦ Βηλίου) et tradidit eos Daniel et impensas quae ipsi fieri solebant tradidit Danieli, Bel autem evertit. — Non satis inter se cohaerent v. 14 et v. 21, cum modo dicatur sacerdotes ingressos omnia consumpsisse, modo regem in domo sacrario adiacente reperisse escas Bel et vinum. Sensus erit, uti res fert, partim res in templo consumptas esse partim ablatas. Nota de caede sacerdotum non fieri mentionem, Danieli autem assignari quae eousque idolo erant apposita et regem destruere idolum. — *Syrus* in v. 12. 13 est verbosior; v. g. comedebant quaecumque apponebantur Bel et auferebant quae supererant.

Quandoque obiicitur falso dici templum Bel destructum eo tempore, cum destructio apud Strabonem (16,1) et Arrianum (exped. Alex. 7, 17) Xerxi adscribatur et secundum Herodotum Xerxes templum spoliaverit (1,183). Verum dici posset a primis annis Cyri usque ad tempus Xerxis (485-465 a. Ch.) satis superesse temporis ad templum denuo aedificandum. Attamen non opus est ad coniecturam confugere. Neque enim opus est assumere totum aedificium esse destructum. Nam sanctuarium Bel, prout Herodotus refert et inscriptionibus quoque res confirmatur (cf. *Tiele* l. c. p. 555) constabat magno quodam aedifi-

cio, in cuius medio turris septem (octo? apud Herod.) contignationibus constructa eminebat; in ipsa summa parte turris sacrarium erat cum lecto et mensa secundum Herodotum; sed praeterea aliud exstabat sacrarium cum simulacro dei et throno et mensa et duobus altaribus quod sacrarium existimabatur praecipuum. Hoc itaque Daniel destruxisse censendus est. Apud LXX pars illa qua idolum erat collocatum vocatur εἰδωλεῖον; totum autem aedificium quo etiam sacerdotum domicilia continebantur appellatur Βῆλιον (cf. v. 10. 22); illud Daniel destruxit secundum Theodotionem. Apud LXX eius destructionis non fit mentio.

b) **Draco 14, 22-42.**

Serpentes apud Babylonios esse religiose cultos aliqui inter opiniones absurdas reiecerunt (*Fritzsche, Vatke*). At plane immerito; eum enim cultum apud Babylonios exstitisse investigationibus recentiorum manifestum evasit. Ita affirmat *Schrader* sine ulla ratione istum cultum apud Babylonios ab aliquibus in dubium vocari (cf. Riehm, Handwoerterbuch des bibl. Alterth. p. 288); serpens unum erat ex praecipuis insignibus dei babylonici Hea [1] (vel Èa) et quae leguntur Bar. 6,19 : corda eorum dicunt elingere serpentes... *Lenormant* haud improbabiliter ita accipit, ut sermo sit de serpentibus in deorum templis nutritis quasi interpretibus deorum a quibus oracula petita sint. Serpens symbolum erat vitae, symbolum quoque scientiae; ferunt in hymno assyriaco qui ex accadico translatus est fieri mentionem cultus qui serpenti septem capitibus praedito impensus sit (cf. *Scholz*, Goetzendienst p. 370. 104). Diodorus quoque siculus narrat in templo Beli ante sedem et thronum Beltis imagines collocatas esse duorum serpentium ingentium (2,9); in sigillis babylonicis frequenter cernitur serpentis imago (*Rawlinson* l. c. II p. 15); notum quoque est quantopere apud Aegyptios et Phoenices inter animalia sacra et cultu digna connumerentur serpentes (*Scholz* l. c. p. 25. 104).

Quare nihil est quod iure obiici possit narrationi v. 22 « *Et erat draco magnus in loco illo et colebant eum Babylonii;* v. 23 *et dixit rex*

1. *Rawlinson*, Five Monarchies I p. 122 : « another of his emblems is the serpent, which occupies so conspicuous a place among the symbols of the gods on the black stones recording benefactions and which sometimes appears upon the cylinders ». Praeterea cf. *Lenormant*, La divination chez les Chaldéens p. 89; *Delattre* l. c. p. 56; *Vigouroux* l. c. p. 490; *Cornely*, Introd. II 2 p. 513. Et *Hommel*, Geschichte Babyloniens und Assyriens, Berlin 1885 p. 774 affert inscriptionem quandam Neriglisar qua dicit : erexi septem ingentes serpentes aereas quae adversus hostes et inimicos venenum eiiciunt mortiferum; eas argento puro obduxi et collocavi ad portam orientalem ».

Danieli : ecce nunc non potes dicere quia iste non sit deus vivens; adora ergo eum »! — uberius legitur et apud LXX et apud Theodotionem : numquid et hunc dices aereum esse? ecce vivit et comedit et bibit! et pergit Theodotio : non potes dicere...; breviorem cum *vulg.* formam praebet *Syrus* omissa quoque voce *vivens;* v. 24 « *dixitque Daniel : Dominum Deum meum adoro, quia ipse est Deus vivens; iste autem non est deus vivens;* v. 25 *tu autem, rex, da mihi potestatem et interficiam draconem absque gladio et fuste; et ait rex : do tibi* »; — apud LXX Daniel omisso v. 24 sine ulla fidei professione statim potestatem necandi serpentem sine ferro et fuste postulat. Cur autem Daniel serpentem occidere velit vi minime illata, explicari potest eo quod refertur apud Eusebium (Praepar. evang. 1,10; *M.* 21,88), censuisse scil. homines serpentem esse immortalem nec morte naturali exstingui nisi vi quadam percussus antea fuerit. Si igitur Daniel gladio vel fuste animal occidisset, nihil effecisset apud vulgus ad fidem numinis divini destruendam. Quare cibum ei praebet qui concoqui ac ventre confici non potuit v. 26 « *tulit ergo Daniel picem et adipem et pilos et coxit pariter fecitque massas et dedit in os draconis et diruptus est draco; et dixit : ecce quem colebatis* »! — secundum LXX Daniel sumit mnas triginta picis; mna h. l. pondus significat; si intelligitur mna graeca, impendit Daniel 24 libras pondo picis cum adipe et pilis ad placentas faciendas. Magis facta est interrogatio ad irrisionem et vituperium apud LXX : nonne haec (eiusmodi) colitis, rex? quam ponit Daniel ostendens regi serpentem disruptum. Narrat Herodotus (8. 41) serpenti in Acropolis atheniensis sanctuario placentas melle conditas esse oblatas; placentas Daniel quoque confecit sed quibus serpens periret. Cum serpenti non sit gustatus, avide devoravit cibos oblatos qui cum concoqui non possent, sed firmiter haererent in viis gutturis ventrisque animal interficiebant.

Danielem propter honorem et amicitiam regis sibi multorum invidiam et odium conflasse nemo negabit; cf. 6,4. 5; praeterea accedebat quod erat alienigena, Iudaeus, unus igitur ex devictis. Odium autem et iras quasi in immensum crevisse, cum Daniel diis Babyloniorum illuderet, eo facilius putandum erit, quo magis furores vulgi excitari solent si superstitiones eius aggressus fueris. Et cum auspice et fautore rege alienigena eiusmodi fierent religionis deorumque irrisiones, Babylonii in rabiem agebantur et rebellionem in regem movebant. Ceterum satis notum est quantopere proni fuerint ad seditiones; cum enim Assyriis subessent, saepe rebellabant et reges Assyriorum iterum iterumque eos bello subiicere debebant; seditiones etiam postmodum saepius excitatas esse notum est. Darius v. g. narrat in inscriptione

cui a Behistun est nomen populum babylonium transiisse ad partes viri rebellis Naditabira; et iterum, dum ipse versaretur in Perside, Babylonios a se defecisse et ad quendam Armenum qui se Nabonidi filium mentiretur esse transgressos (cf. *Spiegel*, altpers. Keilinschriften p. 9. 29; inscript. Behist. 1,16; 3,13). Quare pro indole Babyloniorum et pro furore vulgi propter violatam ab extraneis religionem minime licet in dubium revocare quod de minis in regem iactis narratur; immo ex iis haec narratio maxime commendatur et omnino speciem veri prae se eam ferre nemo negare potest; v. 27 « *quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer et congregati adversum regem dixerunt: Iudaeus factus est rex; Bel destruxit, draconem interfecit et sacerdotes occidit;* v. 28 *et dixerunt cum venissent ad regem : trade nobis Danielem; alioquin interficiemus te et domum tuam!* v. 29 *vidit ergo rex quod irruerent in eum vehementer et necessitate compulsus tradidit eis Danielem;* v. 30 *qui miserunt eum in lacum leonum et erat ibi diebus sex* »; — ex tumultu Babyloniorum rex perspicit se valde imprudenter egisse quod alienigenam permitteret ea destruere quae Babyloniis erant sacrosancta et eo instigante (uti plebs putabat) multos nobilesque viros interfecisset. Quare censuit prudentis regis esse non vim vi repellere neque animos exulceratos etiam magis irritare, verum cedere impetui atque irae populari et ei placamen adhibere; quare amicitiam postponendam esse ratus est sedationi turbarum et urbis quieti. De lacu leonum vide ad 6,7. 16.

Secundum LXX omnes contra Danielem congregantur neque caedis sacerdotum mentionem faciunt (nam v. 22 LXX nihil de eorum occisione refertur); cum rex turbam regionis videret concursantem, vocavit convivas (συμβιωτάς) eisque dixit : trado Danielem in interitum. Brevius igitur narratio expeditur. — Cum Daniel antea solum per unam noctem in lacu leonum fuisset et incolumis evasisset, probabiliter suspicati sunt vel leones parum esuriisse vel Danielem fascino quodam leonum ferociam compescuisse; quare iam aggredi rem prudentius statuunt; v. 31 « *porro in lacu erant leones septem et dabantur eis duo corpora quotidie et duae oves; et tunc non data sunt eis ut devorarent Danielem* »; — ergo diu ibi retinetur et leones esurie compelluntur quo certius omnem vim fascini vel incantationis vincant. Secundum LXX leonibus proiiciebantur insidiarum contra regem rei et duo corpora eorum qui mortis condemnati erant; turbae autem iniiciunt Danielem in lacum, ut devoraretur et ne sepulturam quidem consequeretur. Nihil tamen legitur apud LXX alias escas solitas leonibus esse negatas. Clarius vero *Syrus* addit : ut esurirent et devorarent Danielem.

Deus autem et ora leonum conclusit et Danieli cibos misit v. 32 « *erat autem Habacuc propheta in Iudaea et ipse coxerat pulmentum et intriverat panes in alveolo et ibat in campum ut ferret messoribus;* v. 33 *dixitque angelus Domini ad Habacuc : fer prandium quod habes in Babylonem Danieli qui est in lacu leonum!* v. 34 *et dixit Habacuc : domine, Babylonem non vidi et lacum nescio;* v.35 *et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius et portavit eum capillo capitis sui posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui* »; — apud LXX Habacuc quoque fert lagenam (στάμνον) vini misti et angelus loqui incipit : haec tibi dicit Dominus Deus... et Habacuc : Domine Deus..; in v. 35 solum dicitur angelum eum apprehendisse in capillo capitis eius eumque posuisse supra lacum; nihil de portandi actione, quae certe non ita cogitari debet quasi homines viderint prophetam per medium aera volantem. Sistitur ab angelo in alio loco eo fere modo quo angeli a loco in locum se transferunt, de qua re disputant theologi; vide *Suarez*, de angelis lib. 4 cap. 18-22. 27-32. Interpretes quaerunt sitne Habacuc propheta idem cuius libellus habeatur inter prophetas minores. Propter rationem temporis id mihi negandum videtur; vide supra ad 13,65 et *Cornely,* Introd. II 2 p. 512. 578. 580.

Qui in partes quas vocant deuterocanonicas invehuntur, hanc translationem Habacuc traducunt ac rident tamquam portentosam, monstrosam, fabulosam; ita v. g. *Keerl,* die Apokryphen des A. Test. p. 84; *Fritzsche, Keil* etc. A rationalistis rideri miracula non est quod miremur; at ab iis protestantibus qui libros protocanonicos nobis esse divinitus datos asserant talem proponi sententiam non videbatur exspectandum. Si enim haec translatio adeo est ridicula et absurda, quomodo contra rationalistas eas defendent et vindicabunt quae in libris protocanonicis referuntur? Abdias loquitur ad Eliam : cum recessero a te, spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro 3 Reg. 18,12 et 4 Reg. 2,11 Elias a terra transfertur et v. 16 filii prophetarum ita loquuntur ut appareat Eliam iam antea saepius spiritu Domini esse in alium locum translatum. Neque eiusmodi miraculum exsulat a libris novi foederis. Nam ipse Christus assumitur a diabolo in sanctam civitatem e deserto et statuitur super pinnaculum templi et iterum assumitur in montem excelsum valde (Matth. 4,5. 8. Luc. 4,5. 9) et cum Philippus baptizasset eunuchum, virum Aethiopem, potentem Candacis reginae Aethiopum, eum « rapuit spiritus Domini et amplius non vidit eum eunuchus; Philippus autem inventus est in Azoto » (Act. 8,39. 40). Quicumque igitur his fidem adhibet quia sacros libros divinitus inspiratos credit, qua fronte is hanc de

Habacuc narrationem contemnet? Eam quidem a Iudaeis ludibrio esse habitam, in praefatione ad Danielem S. Hieronymus refert, quibus utique non est respondendum cum promptulo illo quem carpit S. Hieronymus simile cerni apud Ezechielem, cum Ezechiel se in spiritu vidisse transpositum affirmet (8,3; 40,2). Haud immerito autem contra protestantes qui nomine orthodoxorum vocari gestiunt provocatur ad exemplum S. Pauli qui cum dicat se nescire utrum in corpore an extra corpus raptus sit (2 Cor. 12,2. 3), certe non arbitratus est esse absurdum quemquam rapi in corpore.

Secundum LXX Habacuc sexto die cibum affert. Apud Theodotionem et Syrum et in *vulg.* tempus non determinatur. Cum Habacuc prandium afferre vellet messoribus, habuit cibos compluribus qui sufficerent. Proinde non ultimo die Danieli hos cibos esse missos putandum erit, sed mox ab initio, quibus scil. per plures dies commode sustentaretur. Neque enim Deus pro sua benignitate Danielem senem longiore ieiunio exercere volebat. Dei paternam curam grato animo Daniel agnovit; v. 36 « *et clamavit Habacuc dicens : Daniel serve Dei tolle prandium quod misit tibi Deus!* v. 37 *et ait Daniel : recordatus es mei Deus et non dereliquisti diligentes te!* v. 38 *surgensque Daniel comedit. Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo* »; — apud Theodotionem et Syrum Habacuc clamat : Daniel, Daniel, tolle...; secundum LXX Habacuc eodem die restituitur in eum locum unde eum tulerat angelus.

Tumultu sedato rex recordatione Danielis tangitur v. 39 « *venit ergo rex die septimo ut lugeret Danielem, et venit ad lacum et introspexit et ecce, Daniel sedens in medio leonum,* v. 40 *et exclamavit voce magna rex dicens : magnus es, Domine Deus Danielis! et extraxit eum de lacu leonum;* v. 41 *porro illos qui perditionis eius causa fuerant intromisit in lacum et devorati sunt in momento coram eo;* v. 42 *tunc rex ait : paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis quia ipse est salvator, faciens signa et mirabilia in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum* »! — in sola *vulg.* habetur *in medio leonum* v. 39 et integer v. 42, qui ad 6,26. 27 conformatus est. In utroque textu graeco rex non solum Deum Danielis magnum praedicat, sed etiam addit : et non est alius praeter te. Eo quod Daniel per tot dies incolumis permansit, clarissime eius innocentia divinitus erat comprobata. Quare qui fuerant auctores et suasores poenae, iure talionis eadem poena afficiuntur. Secundum LXX v. 29 ii qui insidias regi struebant in lacum leonum mitti solebant. Cum ex iis quae Daniele auctore acta erant de Bel eiusque sacerdotibus et de dracone magna regi apud Babylonios conflata esset invidia et irritatio

plebis et seditio, facile sane fuit regi persuadere Danielem revera insidias struxisse regi eiusque potestatem et auctoritatem summo obiecisse periculo; unde eius criminis reus more babylonico ut in lacum leonum proiiceretur, inimicos eius postulasse haud est improbabile, dum alii eum tamquam sacrilegum et contemptorem deorum supplicio esse afficiendum clamitarent. Verum divino testimonio quod in mira eius incolumitate ab omnibus agnosci debuit ab utroque crimine liberatus et tamquam vir numini gratissimus omnibus est manifestatus. Quare inimici eius etiam coram omnibus ut numini exosi et mendaces declarabantur, qui igitur calumnias et inimicitias suas eodem quo illum perdere volebant supplicio merito luebant.

Simul ratione maxime insigni gentilibus denuo innotescebat veri Dei potentia et maiestas. Eam rex agnovit et publice declaravit. Eo autem eventu simul didicit non ex impotentia Dei Iudaeorum evenisse ut Iudaei victi Babyloniis traderentur in captivitatem, verum huius Dei sublimitatem suspexit; quare facile fieri potuit, ut hoc eventu quoque animus regis praepararetur ad libertatem Iudaeis concedendam et ad Dei summum imperium praedicandum eo modo quo fit in eius decreto Esdr. 1,2 seq.; neque huic opinioni obstat quod Iosephus (Antiq. 11,1. 1) narrat Cyro vaticinium Is. 44,24 seq. esse ostensum quo permotus fuerit ut iussa faceret. Nam vaticinio facilius certe fidem adhibuit si Dei Iudaeorum potentiam iam erat expertus. Sed cum non constet quo tempore haec de Bel et dracone acciderint, res certo definiri nequit; sed facili coniectura Babyloniorum seditionem et irritationem potius ex initio imperii Cyri explicabimus quam post longiorem durationem atque etiam ipse rex eo tempore potius pronus fuisse censeri poterit ad cedendum turbis ac furoribus popularibus putans satius esse animos sibi conciliare quam irritare.

Addenda.

P. 6. Eo loco inscriptionis Nabonidi, cui titulus est annales vel chronicon Nabonidi, *Schrader* iam non legit, uti legit *Pinches :* rex mortuus est, verum : uxor regis (Nabonidi) mortua erat; vide Sammlung von assyrischen und babylonischen Texten (Keilinschriftliche Bibliothek) III vol. 2 parte p. 135, Berlin 1890.

P. 79. *Fabre d'Envieu,* Le livre du prophète Daniel p. 124. 366. 375 contendit linguam aramaicam fuisse linguam vulgarem in Babylonia et adhibitam in aula regis, linguam autem eam quae in inscriptionibus cuneiformibus reperiatur fuisse solum linguam hominum doctorum, linguam sacram, populo incognitam. Verum argumentis quae profert solum effici-

tur id quod alias iam dictum est linguam aramaicam adhibitam esse in commercio cum regionibus occidentalibus et in magna illa nationum colluvie etiam fuisse tribus aramaicas quibus haec lingua fuerit vernacula. Ex eo enim quod mensuris ponderibusque quandoque designatio inscripta est et babylonice et aramaice et quod documenta quaedam et contractus quandoque rerum summam habent adscriptam aramaice (cum ipsa sint confecta in lingua babylonica) profecto nihil aliud efficitur nisi ea in regione etiam usu adhibitam esse utramque linguam. Nonne idem apud nos invenitur? Si qua in regione nuntii tabulaeque publicae proponuntur germanice et hollandice, gallice et anglice, ibi degere concludimus homines utriusque linguae. Porro adverti oportet multa millia contractuum de rebus vitae quotidianae, de domibus, servis, pecunia mutua, quae *Strassmaier* edidit, lingua babylonica esse conscripta. Iam quis sibi persuadebit haec documenta privata esse confecta ea lingua quam populus ignorabat; cernuntur ibi signa et nomina testium; num hi iis subscripserunt quae non intelligebant?

P. 105. *Ménant* quidem verterat locum illum ex magna inscriptione Nabuchodonosor regis : propagavi cultum maiestatis eius (Marduk) etc.; verum paulo aliter vertit nuperrime *Winckler* (*Sammlung* etc. p. 13) : in sublimi eius servitio (in seinem erhabenen Dienste) peragravi terras longinquas, montes longe positos a mari superiore usque ad mare inferius etc.

P. 111. 3,16 censet *d'Envieu* verti posse et debere : Nous n'avons pas besoin de te faire revenir sur cette sentence, i. e. révoquer la sentence. Ils ne demandent pas à Nabuchodonosor de révoquer sa sentence; ils acceptent leur condamnation; ils n'ont rien à objecter au sujet de la sentence, du *pitgam,* du jugement que le roi vient de prononcer à leur égard (p. 282. 283).

P. 136. In inscriptione quadam Neriglissor quam vertit *Bezold* (cf. Sammlung l. c. p. 77), Neriglissor se vocat filium Bilusumiskum, (viri) egregii, sapientis (des Hehren, Weisen). Regium titulum ibi sibi soli, non patri, adscribit.

P. 145. Existimat *d'Envieu* p. 340 septem tempora posse intelligi de variis anni temporibus, ita ut v. g. tres aestates et quattuor hiemes numerentur vel tres hiemes et quattuor aestates vel ita ut annus et tres quartae partes anni efficiantur.

P. 146. Censet *d'Envieu* vigilem esse ipsum Messiam et vigiles dici et esse personas divinas (p. 388. 394. 396); argumentum potissimum ex eo depromit quod idem decretum vigilum dicitur sententia Altissimi v. 21; unde concludi debere ex lege parallelismi vigiles et Altissimum eodem quoque sensu dici. Sed vigilem et vigiles esse Dei nomen plane est inauditum; dein decretum vigilum simul dicitur *postulatio;* proinde satis in ipso textu elucet quod adnotavi, vigiles seu custodes angelos qui singulis provinciis sint praepositi eiusmodi decretum in regem a Deo postulasse. Quare illa sententia vel decretum merito dicitur decretum vigilum et postquam a Deo approbatum est decretum Excelsi.

P. 157. In pugna ad Rutu, *Rutum;* ita scil. signa cuneiformia *Pinches*

transscribit. Verum *Schrader*, recentissimus eius inscriptionis interpres, legendum censet Uch-KI; sed apponit?

P. 159. Repetit *d'Envieu* p. 411, quod iam vol. I p. 372 seq. asseruerat; Ce nom (Evilmérodach) imprégné d'une pensée d'apothéose indique que ce roi voulut passer pour le fils de Merodach... il a voulu passer pour le Messie, pour l'Hom me-Dieu. At ipsum illud nomen nihil tale prae se fert. Nam, uti disci potest ex libro a *Strassmaier* edito (Verzeichniss der akkadischen und assyr. Woerter etc. p. 78. 79), eiusmodi nomina satis erant usitata; ita Amil-Bel, Amil-Istar, Amil-Nabu; pariter in aliis inscriptionibus quas idem *Strassmaier* edidit nomina leguntur : Amil-Assur, Amil-Ea, Amil-Nanaa, Amil-Nirgal (cf. Die babylonischen Inschriften im Museum zu Liverpool, Leide 1885 p. 34; Inschriften von Nabuchodonosor, Leipzig 1889 p. 24). Iam nemo dicet omnia eiusmodi nomina sapere apotheosin. Ceterum *amil* non significat filium, sed *servum;* vide Corpus inscriptionum semiticarum I 2 p. 66; Parisiis 1889; ibi simul cernitur vocem amil aramaice transscribi אויל; quare iam nullo modo statui potest quod *Ges.* Thes. p. 41 aliique opinati sunt Iudaeos vocem ad linguae suae similitudinem detorsisse in eo sibi placentes ut irrisionis causa oppressorum suorum regem *stultum* (cultorem) *Merodachi* vocarent.

P. 163. Eodem modo quo *Per.* etiam *d'Envieu* p. 416 rem concipit : Dans l'inscription qui s'offrait à eux, ils ne purent, tout en connaissant chaque lettre, parvenir à les agencer de manière à en former des mots offrant un sens et une suite d'idées. On peut, en effet, admettre que ces mots ne se composant que de consonnes les Sages n'ont pas su les vocaliser et qu'ils se sont vus ainsi dans l'impossibilité de les lire. Il est vrai qu'ils auraient pu y mettre une ponctuation de fantaisie; mais ils ne purent pas aboutir à une lecture qui donnât à l'inscription un sens intelligible. La répetition du mot *mene* servit aussi peut-être à les dérouter.

P. 180. Lacum leonum ita describit *d'Envieu* p. 528 : La fosse aux lions était une cour entourée de grottes ou de cavernes, de sorte que les lions trouvaient, dans cette fosse, un espace à ciel ouvert, pour circuler, et un abri pour se reposer... Il pouvait y avoir de vastes constructions auprès de la fosse, et la trappe par laquelle on y accédait pouvait fort bien être fermée par une porte sur laquelle on mit une pierre... La description de la fosse où les empereurs de Maroc entretiennent des lions, auprès de leur palais, peut aider à se faire une idée de la fosse aux lions des rois de Babylone. « La fosse aux lions se compose d'un grand trou quadrangulaire creusé dans la terre, partagé en deux par un mur; ce mur a une porte qu'on ouvre par en haut. Les gardiens des lions jettent dans une des deux parties la nourriture, qui y fait accourir les lions; ils referment alors la porte par en haut, et nettoyent pendant ce temps l'autre partie de la fosse. Tout est à ciel découvert, entouré seulement d'un mur, par-dessus lequel on peut voir dans la fosse ».

P. 190. Aliter concipit tres ordines vel potius costas *d'Envieu* p. 579 : Nous pensons donc que les trois côtes symbolisent les conquêtes que Cyrus

aura déjà faites lorsqu'il s'emparera de cet empire : la Susiane, la Lydie et l'Asie Mineure.

P. 193. 199. 203. De quattuor regnis eorumque significatione bene disserit *d'Envieu* p. 641-671 et 702-762, et quam copiose id faciat, ipsis numeris paginarum ostenditur. Uti p. 203 dixi, mihi incredibile videtur etiam regnum Constantini et Caroli Magni in quarta bestia adumbrari; et qua ratione vates ab imperio romano antiquo et pagano transire posset ad ultima tempora explicare studui p. 193. 199. 204. At *d'Envieu* existimat quartam bestiam a temporibus imperii romani usque ad nostra tempora semper exstitisse variis quidem formis indutam atque fore ut sit usque ad ultima tempora : « L'empire romain continue son existence, sous une nouvelle forme, dans les États qui se sont greffés sur lui ou qui l'ont supplanté et il durera, à travers les transformations qu'ils pourront subir, jusqu'à la fin des temps » (p. 672). Et quomodo bestia romana etiamnum vivat *en quelque sorte*, explicatur p. 675 : « On sent, dans la vie des États modernes, l'influence de la législation, des mœurs, de l'organisation du monde païen » etc. atque demum mundum qui in maligno positus est (1 Ioan. 5,19) et omnem regni Dei oppugnationem quarta illa bestia contineri et adumbrari contendit. Verum hac explicatione omnino receditur a verbis Danielis nec servatur discrimen illud quod inter alia tria regna et regnum quartum statuitur.

P. 341. De illo lusu verborum copiose disserit *d'Envieu* p. 50-70.

P. 345. Nabuchodonosor in inscriptione, cui nomen Grotefend-Cylinder, narrat : singulis diebus bovem saginatum, pinguem,... pisces, aves, mel, butyrum, lac, oleum bonum, vinum, vinum egregium ad instar aquae fluminis largiter dedi pro mensa Marduk et Zarpanit, dominorum meorum (cf. Sammlung l. c. p. 33).

P. 350. Nabuchodonosor quoque gloriatur se portas exornasse magnis serpentum imaginibus et figuris. Pariter narrat Neriglissor se restituisse serpentes octo aereos et argento splendido obduxisse (cf. Sammlung l. c. p. 21. 23. 73).

A. M. D. G.

COMMENTARIUS

IN

LAMENTATIONES

PROLEGOMENA

I. — De argumento et forma.

Mortuis adhibere lessum, uti apud alias gentes orientales in more positum erat, ita a consuetudine populi hebraei minime abhorrebat. Eius rei testimonium habes praeclarum in carmine elegiaco quod planxit David super Saul et super Ionathan filium eius 2 Reg. 1,17 seq.; aliud exemplum carminis funebris legitur 2 Reg. 3,33 et de morte Iosiae regis refertur : « et universus Iuda et Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices usque in praesentem diem lamentationes super Iosiam replicant et quasi lex obtinuit in Israel : ecce scriptum est in lamentationibus » (2 Par. 35,24. 25). Eiusdem consuetudinis indicium habes in plurimis illis locis in quibus de planctu sermo est quo mortuis parentabatur. Huic affine est si de publica calamitate vel urbis regnique ruina carmen lugubre canitur; vide Am. 5,1. 16. Ez. 19,1; cuius rei exempla in Ieremiae vaticiniis plura reperiuntur; cf. 9,10. 17-22.

Iam si qua calamitas, certe ea qua urbs Ierusalem, templum, regnum concidit et populus olim a Deo electus ab hoc ipso Deo tradebatur gentibus illudendus, digna erat quam maximo luctu prosequerentur, et uti Ieremias iam in ipsa praedictione calamitatis Sionem exhibuit de ruina lamentantem (vox filiae Sion intermorientis expandentisque manus suas : vae mihi quia defecit anima mea, 4,31), ita congruum erat, ut dolor quoque Sionis captae ac contumelia carmine lugubri celebraretur. Id egregio modo fit in libello, qui in hebr. a voce prima אֵיכָה, in versione greca θρῆνοι, in *vulg.* threni i. e. lamentationes Ieremiae inscribitur et teste *S. Hier.* apud Hebraeos קִינוֹת appellabatur quo nomine etiam apud talmudicos vocabatur. Sunt autem קִינוֹת naeniae, carmina lugubria, elegiaca; de usu vocis vide 2 Sam. 1,17. 2 Chron. 35,25. Ier. 7,29; 9,10. 18. Ez. 2,9; 19,1. 14; 26,17; 27,2. 32; 28,11; 32,2. 16. Am. 5,1; 8,10, quibus locis eiusmodi carmina lugubria de exteris quoque regnis ac populis, de Tyro, de rege Aegypti, funduntur.

Haec autem nostri libelli carmina quinque de clade hierosolymitana

per Chaldaeos inflicta esse conscripta res est explorata et hodie apud omnes certissima. Olim quidem nonnulli ea referri volebant ad mortem Iosiae (ita *Chald.* ad 4,20, *S. Hier.* quoque duobus in locis; vide ad 4,20; aliique; vide *Cornely,* Introd. II 2 p. 405), at ea est rerum conditio ac descriptio quae unice ad cladem illam ultimam urbis et populi apta est: exhibetur enim nobis populus in captivitatem abductus 1,3; portae Sion destructae, principes vel vagi vel occisi, sanctuarium et templum profanatum ingressu gentium, populus qui relictus est fame et penuria oppressus, tyrannidi et libidini hostium traditus, moenia urbis ac munimenta destructa, omnia magno incendio vastata, ira Dei in interitum urbis effusa, tabernaculum Dei destructum, festivitates abolitae etc. etc. quae omnia ut ad Iosiae mortis tempus nullo modo referri possunt, ita optime nobis ob oculos ponunt calamitates a Chaldaeis illatas.

Urbis populique ruinam et miserias vates lamentatur animo dolore pleno, sed planctum ad id dirigit, ut agnoscant iuste a Deo ultore talem vindictam esse inflictam, quare peccata populi, sacerdotum, pseudoprophetarum haud semel tamquam veram ruinae causam commemorat; at simul non omittit animos afflictos spe illa erigere moeroremque et tristitiam lenire illa consolatione quae populo electo vi foederis sempiterni deesse non potest, fore scil. ut Deus iterum suae plebis misereatur. Quare in his quoque carminibus cum summi doloris expressione et viva contumeliarum descriptione id coniungitur quod proprium est muneris prophetici: normam theocraticam et indolem spiritualem et veram animorum ad Deum conversionem ubique promovere et ita Domino parare plebem perfectam. Quae quamvis in singulis carminibus tangantur, non tamen eodem modo exponuntur. Et in primo quidem carmine dolor de opprobriis Sioni illatis praedominatur; describitur deiectio urbis a pristina gloria, eius devastatio, irrisio et insultatio hostium; at has esse iustas peccatorum poenas 1,5. 8. 14. 18 indicatur et spes in Deum pio gemitu 1,9. 20 excitatur et fovetur hostium punitione praedicta 1,22. In altero carmine praecipue effertur Dominum esse auctorem castigationis eaque accuratius describitur commemorata destructione arcium, moenium, palatiorum, turrium, sanctuarii et afflictione singulorum ordinum; maiorem quoque doloris significationem vates prae se fert et insanam laetitiam hostium traducit. In eam autem miseriam Sion devenit fraudibus pseudovatum 2,14; sed nunc lacrimis et precibus oportet ad Deum confugere eique 2,18 seq. malorum magnitudinem ob oculos ponere. In tertio carmine prius ipsa enarratio malorum varietate et vehementia imaginum et dictionis multum augetur et quantopere ipse

quoque vates pertulerit et moerore sit obrutus magna vi exponitur; tum vero multo uberius quam antea rationes spei et fiduciae exponuntur et quam benignum consilium Deus in afflictionibus prosequatur pluribus praeclare docetur 3,19 seq.; dein ostenditur, quomodo se habere debeant et qua ratione Deus sit orandus et placandus, ut tandem sui populi causam tueatur 3,39 seq. — Contumeliis singulorum ordinum in quarto carmine commemoratis praecipue culpa populi 4,6 et peccata pseudovatum et sacerdotum 4,13 seq. et vana fiducia perstringuntur, qua opem ab hominibus exspectarint. Ultimo demum loco *oratione* proposita uberius docet quomodo Deus sit exorandus rebus populi adversis exhibitis et culpa cum dolore agnita et spe in Deo solo reposita. — Hisce simul patet unum idemque argumentum per quinque haec capita alio et alio modo esse tractatum documentaque valde utilia et egregia esse inserta, quibus quomodo calamitates sint subeundae et Iudaei docentur et nobis quoque amplissima piae considerationis materia subministratur.

Iuremerito enim Cornelius a Lapide hic schema et formam proponi dicit sacri luctus et poenitentiae. Quare Ecclesia quoque in liturgia sacrae hebdomadis hisce utitur carminibus, ut suum exprimat dolorem et luctum de magno illo ultionis divinae iudicio quod pro nocentibus in innocentissima Victima est exercitum, ut nos pariter doceat peccata plangere et poenas iustitiae divinae rite subire et sensus induere verae poenitentiae. Eodem modo interpretes veteres non omiserunt pluribus efferre quomodo quae vates defleat, moneat, increpet, nullo modo illius temporis conditionibus contineantur, verum latissime pateant et pro omni tempore vi quadam ac potestate singulari polleant. Cernunt enim in Ierusalem effigiem et Ecclesiae militantis et animarum singularum. Atque id recte quidem. In Ierusalem enim consistebat vetus theocratia, vetus regnum Dei; quare bene censetur simulacrum quoddam regni Dei quae est Ecclesia; et cum regnum Dei demum hominibus constituatur, per quandam analogiam multa quae de regno Dei valent valent suo modo de singulis. Hisce considerationibus adhibitis cernunt in lamentationibus planctus de Ecclesia militante, cum ipsa ob peccata suorum fidelium vexatur a persecutoribus; cernunt in urbis vastatione captivitatem ac vastationem animae quae fit peccato mortali.

Ita v. g. *Rhabanus* notat ad 1,2 : « potest locus iste generaliter ad Ecclesiam aptari quae in nocte praesentis vitae tribulationem sustinet persecutionum et gemitum dat sine consolatione mundana » vel ad 1,1 : « mystice plangitur anima fidelis hominis quae plena quondam fuit numerositate virtutum et imperabat diversis affectibus dominans concupiscentiis carnis,

postea autem a malignis spiritibus flamma libidinis succensa, destituta angelorum solatio et carens divino consortio, tot servit sceptris dedita quot vitiis »; et ad 1,15 : « sic et ab anima diabolica fraude decepta postquam eam inimicus intus captivam a statu rectae fidei et rectae et bonae conversationis in confusionem erroris abduxerit, sanctorum praedicatorum doctrinam et exempla a conspectu cordis eius per oblivionem aufert, nempe ut eam spoliatam virtutibus facilius in terra aliena possideat, ne per recordationem sani dogmatis et meliorationem vitae ad statum pristinum revertatur »; et ad 2,1 : « anima peccatrix quae quondam habuit lumen scientiae et speculum divinae contemplationis, quando pedes Domini, hoc est, vestigia praeceptorum eius in cordis illius secreto consistebant, nunc propter caecitatem cordis et nequitiam pravae actionis de culmine virtutum in foeditate terrenorum desideriorum prolapsa iusto Dei iudicio spreta atque derelicta ab hostibus conculcatur; unde merito propheta eius deflet ruinam, quia a summo honore ad maximam devoluta est miseriam per quam omnium iam despectui patet et irrisioni »; et ad 2,2 : « anima quando servit vitiis, polluit honorem regni et principatum suum quem habuit in perceptione baptismatis et unctione sacri chrismatis, ita ut iam non mereatur cum ceteris fidelibus ab apostolo Petro audire : vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*M.* 111,1186 seq.).

Atque *S. Paschasius Radbertus* advertit ad 1,1 : « anima sola sedere digne plangitur quasi vidua exuta virtutum bonis quae se dominio subiugaverit Chaldaeorum sponsumque contempserit pubertatis suae; captiva ergo anima dicitur, cum a solio coelestis patriae vitiis subacta sub potestatem daemonum redigitur; quae prius pollebat divinis operibus inter frequentias sodalium, nunc inter hostes adversariorum sordet squalida, cui nulla est societas sanctorum, nulla communicatio sacramentorum Dei, nulla cum sponso cui se devinxerat amore dilectionis participatio, sed redacta sub tributo vitiorum quotidie omnibus exsolvendo debitis fit alligatior ». Et ad 1,2 : « Christi Ecclesia *plorans ploravit in nocte*, inter adversa scil. huius vitae, quia licet praescita et praedestinata sit ad gloriam supernae contemplationis, tamen adhuc inter caligines versatur ignorantiae et discrimina nostrae caecitatis. Unde signanter ait : *plorans ploravit*, quia profecto non solum pro malis quae foris tolerat gemens dolet, verum pro his aerumnis infirmitatum suarum et maculis quibus intus afficitur flendo gemit ». Et ad 1,7 : « Ierusalem nostra cum saepe intueatur quod cadat populus eius in manu hostium, quid videtur quantus immineat luctus ac gemitus? Cum ergo alius per superbiam, alius per avaritiam, alius per luxuriam corruit, quid aestimas, sponsa Christi inter tot miseriarum nostrarum scelera et damna quanta in suis electis pro nobis adhibeat lamenta, quantasque lacrimas? deinde cum recordatur caritate perfusa omnium desiderabilium quae nobis in coelestibus sunt data omnium sanctorum consortia, unde et nos prolabimur et ipsa peregrinatur, quaeso quanto moerore afficitur cogitare non pigeat ». Et ad 3,1 : « quod dicit : *ego vir videns paupertatem*, licet prophetae plangenti congruere videatur, manifestius tamen Christi vox esse

intelligitur qui in manibus prophetarum assimilatus est et omnes colligit in se per generationem et aggregat » (*M.* 120,1065 seq.).

Atque eo modo varias proponunt applicationes *Guibertus* (*M.* 156,451), *Rupertus* abbas tuitiensis (*M.* 167,1361), *Hugo a S. Victore* (*M.* 175,255); breviori modo *S. Bonaventura, Albertus Magnus, S. Thomas;* sat multa quoque quae ad allegoriam et tropologiam spectant collecta habes apud *Cornelium a Lapide.*

Hae autem lamentationes id habent peculiare ut acrostichidis seu alphabetici carminis artificium prae se ferant; ita quidem priora quattuor, quintum enim solum in versuum numero suam cum primo, altero, quarto servat similitudinem. Carmina autem primum et alterum ita componuntur ut sub singulis alphabeti litteris tres contineantur versus vel una (si malueris) periodus tribus constans membris eiusdem longitudinis; solum 1,7 et 2,19 versibus constituuntur quaternis[1]. In carmine tertio versiculi terni eiusdem periodi ab eadem ex ordine littera incipiuntur, in carmine quarto bini versiculi unam efficiunt periodum, carmen vero quintum et ordine caret alphabetico et versus singuli duobus quoque membris conflantur. Prima quattuor carmina constare versibus dodecasyllabis *Bickell* l. c. censet eosque ibi p. 112-120 metrice descriptos exhibet; *Gietmann* autem hendecasyllabis versibus ea carmina confici mavult (de re metrica Hebraeorum, p. 58, ubi pro enneasyllabis legi oportet hendecasyllabis); carmen quintum versu fluere heptasyllabo uterque consentiunt. Ceterum notat *Gietmann:* « metrum facillime currit et fere cum distinctione versuum masoretica congruit, nisi quod formae pausales in fine tantum versiculorum admittendae sunt »; singula si lubet vide apud ipsum vel apud *Bickell* descripta.

In carmine primo accurate servatur ordo alphabeti consuetus. Sed in 2. 3. 4 littera פ praecedit litteram ע. Cur ita factum sit, certo dici nequit. Rationem subtilem et argutam excogitavit *Grotius :* « non aliam coniectare possum rationem quam quod Chaldaei alio ordine usi sunt quam Hebraei, sicut et Arabes aliter digerunt litterarum ordinem, et in Phoenicum alphabeto koph littera praecessit litteram tsade; itaque primo capite loquitur Ieremias ut Hebraeus, sequentibus ut Chaldaeorum subditus ». Alii eam transpositionem errori tribuunt librariorum; ita *Houbigantius*, notae cri-

---

1. Cui incommodo *Bickell*, carmina vet. test. metrice p. 112.116 remedium attulit quod nonnemini audacius videri possit; prius enim membrum ex 1,7 delet : « recordatio recentis miseriae semper animo praesentis non erat populo necessaria neque per asyndeton cum ea prisci splendoris coniungenda »; 2,19 autem elisione plurium syllabarum satis dura in tres tandem versus dodecasyllabos coarctat atque constringit.

ticae ad h. l., et in aliquibus codicibus hebr. apud *de Rossi* ordo servatur consuetus, uti etiam apud *Syrum*. At ordo ille immutatus confirmatur versione graeca (in qua nomina quidem litterarum ἄϊν et φή ordine consueto adscribuntur, at versus omnino exprimunt ordinem hebr.), confirmatur versione *S. Hier.* et confirmatur ipso quoque nexu; nam in 2,16 *aperuerunt...* sententia et sensus v. 15 continuatur, qui nexus interrumperetur, si ante v. 16 poneres v. 17 *fecit...*; insuper in v. 17 adest transitus ad v. 18, quare suo loco versus omnino relinquatur oportet. Simile quid advertere poteris in tertio carmine; v. 46 *aperuerunt...* arcte adnectitur ad v. 45, dum in v. 48 *divisiones aquarum...* habeatur transitus facilis ad v. 49. Etiam clarior est res in quarto carmine; ibi enim in v. 16 ita absolvitur argumentum de punitione pseudovatum et sacerdotum, ut versus ab antecedente avelli nequeat; in v. 17 autem novum tangitur argumentum de vana fiducia in hominibus posita. Unde patet transpositione versuum gigni confusionem et dum ordo restituatur alphabeti consuetus, rerum notionumque fieri perturbationem intolerabilem. Demum per se patet, utrum facilius explicetur: ordo ille ab aliquibus ad normam communem exactus restitutusque, an ordo ille a communi recedens et plurimorum testimonio suffultus et tribus in locis servatus constanter.

Neque sane ratio peti potest cum Bertholdt ex oblivione vel incuria poetae; *I. D. Michaelis* (in Biblioth. orient. 20 p. 34 et in notis ad Lowthii praelectionem 22) probabile censet diversum fuisse locum litterae פ pro diversa eius pronuntiatione vel leniore vel asperiore; « scio quid hic obversuri sint grammatici (scil. ubique esse פּ dagessatum), nescio autem an multa in dages et raphe commentitia sint, masorethisque potius quam antiquae linguae hebraicae debita ». At probabilius est in eiusmodi carminibus pangendis aliquam libertatem fuisse concessam. Nam similia quoque in aliis acrostichiis notantur; v. g. in Ps. 25 litera ו non habet proprium versum, ק omittitur, ר bis ponitur et post ת alius sequitur versus a פ incipiens; etiam in Ps. 34 post ת additur versus cum פ. Pariter in Ps. 9 deest versus cum ד, et loco כ ponitur in v. 20 ק; littera ו quoque deest in Ps. 34; in textu graeco Prov. 31,25. 26 ordo idem cernitur qui in Lament. tribus in locis; ponitur quippe στόμα αὐτῆς (פִּיהָ) ante ἰσχύν (עֹז). In interpretatione haggadica threnorum, Echa rabbati, adnotatur ad 2,16 : « cur littera פ praecedit litteram ע? quia homines ea ore suo loquebantur (בפיהם) quae oculis suis (בעיניהם) non viderant » (*Wünsche*, der Midrasch Echa rabbati, Leipzig 1882, p. 115).

Cur artificium hoc ordinis alphabetici adoptatum sit, in dubio erit relinquendum. Aliqui censent ad memoriam iuvandam istud artificium adhiberi; ita iam *Sanctius* apud Cornelium a Lapide; alii opinantur, ut argumentum quoddam integrum ab initio usque ad finem tractari insinuetur (*Bickell*; cf. *Cornely*, Introd. II 2 p. 13) et carmini quaedam species ac forma integritatis atque absolutionis concilietur (*Keil*). In introductione scribarum ad explanationem haggadicam (*Wünsche* l. c. p. 28) legitur : Deus respondit : quia filii tui peccaverunt et contra integram legem, contra omnes viginti duas

litteras egerunt. Unde ita explanare usum alphabeti rabbinicam sapit argutiam. Sicut apud alios populos varia poeseos genera et schemata adhibentur, ita simile quid Hebraeis in more positum fuisse dicendum erit; quare quemadmodum non semper definiri potest, cur poeta graecus vel latinus hoc metro usus sit et non alio, ita maxime consultum erit etiam usum carminis acrostichidis arbitrio poetae relinquere neque subtiles quasdam inquirere rationes.

De praeclaro dicendi genere quo vates usus sit in threnis ita disserit *Lowth*, de sacra poesi Hebr. praelect. 22: « nullum opinor aliud exstat poema ubi intra tam breve spatium tanta, tam felix, tam lecta, tam illustris adiunctorum atque imaginum varietas eluceat. Quid tam elegans et poeticum ac urbs illa florentissima pridem et inter gentes princeps, nunc sola sedens, afflicta, vidua, deserta ab amicis, prodita a necessariis, frustra tendens manus nec inveniens qui eam consoletur? Quid viae Sionis lugentes et feriarum sollemnium celebritatem requirentes? Quid dulces illae et flexanimae querimoniae? cf. 1,12. 16; verum omnes locos elegantes proferre id sane esset totum poema exscribere. Unum tantum adnotabo de quibusdam locis atque de priore parte secundi alphabeti potissimum, ubi si quibus vates ad audaciores conceptus assurgere videatur verbisque uti ardentioribus atque imaginibus elatioribus quam quae lugenti conveniunt et in tanto moerore per rhetorum et criticorum decreta admitti possunt, eos monendos esse ut ad ipsius argumenti magnitudinem eorumque omnium quae ei inhaerent amplitudinem, sanctitatem et religionem animum advertant; quae ut pro dignitate exprimerentur augerenturque etiam si id fieri potuisset, ipsa operis natura ac finis postulabat; neminem arbitror fore qui haec attenderit, apud quem non facilem saltem excusationem habitura sit vatis sublimitas ».

II. — Quis sit auctor.

In sacris litteris quidem nihil continetur quo Ieremias threnorum auctor declaretur; nam allusio quae aliquibus exstare videtur Eccli. 49,8 (graece 6) καὶ ἐρήμωσαν τὰς ὁδοὺς αὐτῆς ἐν χειρὶ Ἱερεμίου ad Lament. 1,4 et valde dubia est et si esset certa non innueret Ieremiam condidisse threnos; at nihilominus constanti traditione satis antiqua, cui ex ipsis threnis gravissimae accedunt rationes, omnino certum et indubitatum est Ieremiam esse auctorem.

Etenim usque ad annum 1712 nemo cognoscitur qui Ieremiam esse auctorem negaverit; eo autem anno *Hermannus von der Hardt* threnos adscripsit Danieli et tribus eius sociis Sidrach, Misach, Abdenago et regi Ioachin. Postea dubium de Ieremia auctore motum est ab anonymo scriptore in fasciculis tubinginianis, Tübinger Quartalschrift 1819 p. 69, ab *Augusti*, a *Conz*, a *Kalkar*, donec tandem *Ewald* repetitis vicibus assereret ea carmina

ad aliquem Ieremiae discipulum tamquam auctorem esse referenda (cf. Poetische Bücher des a. B. 3 ed. I 2 p. 326; Geschichte Israels IV, 3 ed. p. 25. 26) quem alii secuti sunt; ita *Bunsen*, *Naegelsbach*, *Noeldeke*, qui duo praesertim ex genere dicendi arguunt (ille quidem in suo commentario, die Klagelieder, Bielefeld 1868, hic in libro : die alttestamentliche Literatur in einer Reihe von Aufsätzen, Leipzig 1868 p. 142 seq.); hos fere sequuntur *de Wette Schrader* (Einleitung § 339), *Vatke* (Einl. p. 597), *Reuss* (Geschichte des a. Test. p. 398), *Wellhausen* (in notis ad Bleek Einl. p. 388) et alii. Sat singularis est sententia quam *Thenius* proposuit : solum duo carmina, secundum et quartum esse condita a Ieremia, illud quidem mox ab urbe expugnata, hoc autem longiore tempore interposito probabilius in Aegypto; carmen primum ab alio esse compositum qui secundum iam norit; item carmen tertium et quintum ab alio et alio esse confectum; Ieremiam in ordine litterarum פ et ע tempus priscum esse secutum, in qua re eum imitatus sit auctor carminis tertii, dum auctor primi recentiori consuetudini adhaeserit (Kurzgefasstes exeg. Handbuch zum a. Test. XVI, Leipzig 1855; Klagelieder p. 122). Nescio an ullum invenerit laudatorem. — Ieremiam esse auctorem egregie tuiti sunt ex catholicis : *Floeckner*, in fasciculis tubing. 1877 p. 187-280; *Cornely*, Introd. II 2 p. 406-411; *Kaulen*, Einleitung, 2 ed. Freiburg 1884 p. 313; *Trochon*, Jérémie, Lamentations, Paris 1883 p. 333-339; ex protestantibus laudem meretur *Keil*, Commentar über d. Proph. Ierem. p. 548-555.

Antiquissimum traditionis testimonium nobis praebet versio graeca, in qua threni hac praefatiuncula introducuntur quae etiam in *vulg.* legitur adscripta : « et factum est postquam in captivitatem redactus est Israel et Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens et planxit lamentatione hac in Ierusalem et dixit ». Atque, uti *Thenius* fatetur, sententia haec ita conformata est in graeco, ut interpres graecus omnino censendus sit eam non de suo composuisse sed ex hebraeo vertisse; unde eo tempore idem lectum fuisse in codice hebraeo. Quo casu autem postmodum interciderit, nescimus. *Floeckner* quidem contendit fieri non potuisse ut intercideret; quare dicendum esse nunquam in textu hebr. exstitisse (l. c. p. 193); at si fieri potuit v. g. ut in Ps. 145 *alphabetico* intercideret versus litterae *nun* qui servatus est in versione graeca, cur non simile quid ei sententiae accidere potuit? potuit itaque omitti, cum threni a loco suo removerentur et cum aliis megilloth coniungerentur, vel etiam quia in usu liturgico die 9 mensis *ab* illa sententia non legeretur. Quidquid vero est, id manet certum eandem traditionem de Ieremia auctore apud Iudaeos valuisse semper. Uti enim versio syriaca lamentationes adscribit Ieremiae prophetae, ita *Chald.* verba praemittit : dixit Ieremias propheta et sacerdos magnus. Idem nobis ostenditur eo quod olim apud Iudaeos

quoque threni cum vaticiniis Ieremiae erant coniuncti, id quod indubie elucet ex enumeratione librorum sacrorum quam nobis tradunt tamquam apud Iudaeos usitatam *Origenes* (et ex eo Hilarius) et *Epiphanius*. Origenes canonem palaestinensem recenset ὡς οἱ Ἑβραῖοι παραδιδόασιν et explicite dicit καθ' Ἑβραίους, Ἱερεμίας σὺν θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνί, Ἱερεμία (vel Ἰρμία, uti legitur apud Eusebium, h. eccl. 6,25; *M.* 20,581); vide Orig. in Ps. 1; *M.* 12,1084; idem refert S. Hilarius (Prolog. in Ps. 15; *M.* 9,241). Epiphanius autem ita : « Iudaei autem usque ad tempus reditus ex babylonica servitute hos et prophetas et prophetarum libros habuerunt :... τὸν προφήτην Ἱερεμίαν μετὰ τῶν θρήνων καὶ ἐπιστολῶν αὐτοῦ τε καὶ Βαρούχ (adv. haer. 8,6; *M.* 41,213). Idem nobis testatur *S. Hieronymus*, qui prologo galeato recensens modum Iudaeorum numerandi secundum numerum litterarum alphabeti libros viginti duos ostendit Ieremiam cum cinoth i. e. lamentationibus suis unum constituisse librum [1]. Sed ibidem etiam nos docet de alio modo numerandi, quo Ruth et cinoth inter hagiographa scribantur, ut ita viginti quattuor efficiantur libri; tertium quoque commemorat, quo quia quinque litterae duplices sint apud Hebraeos etiam quinque libri a plerisque duplices aestimentur, inter quos Ieremias cum cinoth i. e. lamentationibus suis adnumeratur. Quare constat exeunte saeculo 4 tres exstitisse modos libros numerandi apud Hebraeos, eum autem quo cum Origene viginti duo numerabantur fuisse communiorem et antiquum; unde merito infert *Cornely*, Introd. II, 2, p. 410, eo tempore lamentationes a vaticiniis separari coeptas esse et eam separationem nos deberi talmudistis qui commodiorem libelli usum in liturgia spectabant (vide de 5 megilloth, *Cornely*, Introd. I p. 33). Ex hac threnorum cum libro Ieremiae coniunctione etiam elucet cur Melito sardensis saeculo 2 libros recensens canonis Hebraeorum threnos omittat (cf. Euseb. h. e. 4,26; *M.* 20,396). Quodsi vero, ut argumentum hoc infringatur, *Noeldeke* contendit Origenem probabilissime errore quodam inductum esse, Hieronymi autem testimonium nihil valere quia solum Origenem sequatur, haec assertio quidem valde audax est at simul omni fundamento destituta. Quo iure enim Origenes ea in re erroris argui possit nihil potest proferri; S. Hieronymum autem non caece exscripsisse Origenem iam ex eo patet quia duos alios addit numerandi modos quos frustra apud Origenem quaesieris.

Etiam apud talmudistas Ieremiam auctorem threnorum haberi

---

1. Lamentationes primitus cum libro Ieremiae esse iunctas in hebr. etiam asserit *Fürst*, der Kanon des alten Testaments p. 88.

certum est. Hoc argumentum fusius prosequitur *Floeckner* l. c. 209 seq.; cum res sit explorata et ab omnibus concessa (*Noeldeke* excepto contra quem arguit *Floeckner*) non opus erit diutius immorari. Eandem traditionem in Ecclesia semper viguisse pariter exploratum est, uti iam ex praefatione in versione graeca et vulg. adscripta colligitur. Si in enumeratione librorum sanctorum omittuntur, id eo fit quia cum vaticiniis Ieremiae coniuncti unum Ieremiae librum constituere credebantur; de qua re vide *Cornely,* Introd. II 2 p. 407. — Cum itaque rationibus externis satis certum sit quis sit threnorum auctor, restat ut videamus quid rationibus quas vocant internis suadeatur.

Threnos esse compositos ab aliquo qui ruinae urbis et maximae illius calamitatis testis fuerit et rerum adversarum particeps omnes concedunt et ex ipso dicendi describendique genere, ex maximo luctu et affectus moerore, ex verbis ardentioribus et conceptibus audacioribus consequi statuunt. Et id quidem recte. Verum ibi sistere minime oportet. Si enim threni cum Ieremiae vaticiniis comparantur, iidem in utrisque conceptus, iidem affectus commiserationis, doloris, moestitiae, eaedem calamitatis causae, eadem quoque ad animos erigendos spes et in quam plurimis quoque eaedem locutiones et imagines idemque dicendi genus deprehenduntur. Unde sententiae illi apud Iudaeos et Christianos receptae magnum accedit pondus ac momentum.

Iam quae in universum dicta sunt exemplis sunt illustranda et probanda: 1,2 plorans ploravit in nocte; Ier 13,17: in abscondito plorabit anima mea, plorans plorabit; — 1,2 omnes amici eius spreverunt eam, et 1,8 omnes qui glorificabant eam spreverunt eam, quia viderunt ignominiam eius, et 1,19 vocavi amicos meos et ipsi deceperunt me; nonne in istis eadem dicuntur quae toties Ieremias praedixit de vana spe in aliis gentibus posita? vide 2,26. 36. 37; 4,30: contempserunt te amatores tui; 13,26: apparuit ignominia tua; 30,14: omnes amatores tui obliti sunt tui etc.; in threnis et peccata populi et praesertim prophetarum et sacerdotum tamquam causae ruinae assignantur 1,5. 8. 18; 2,14; 3,39. 42; 4,6, 13; 4,7. 16; iam Ieremiam eandem causam ruinae assignare non opus est probare cum singula fere capita testimonium ferant, sed id notatu dignum quod eodem modo praeprimis sacerdotes et pseudovates accusat 2,8; 5,31; 6,13; 8,10; 23,14. 15. 17; 27,10. 15 etc.; — profanatio sanctuarii in threnis saepius commemoratur 1,10; 2,1. 6. 7; 5,18; Ieremias autem eandem haud semel praedixit et falsam illam fiduciam quam in templo et cultu externo ponebant omnino subvertere conatus est 6,20; 7,4. 14. 21; 26,6 — Lament. 1,14 de iugo imposito collo vide Ier. 27,2 — 1,16 oculus meus deducens aquas; Ier. 9,1. 17: deducant oculi nostri lacrimas — 1,17 expandit Sion manus, Ier. 4,31: vox filiae Sion expandentis manus suas — 1,17 mandavit in circuitu eius hostes eius, Ier. 4,17: custodes facti sunt super eum in circuitu (cf. hebr.) cf. 6,3

—Lament. 1,21. 22 fit allusio ad vaticinia contra gentes edita; Lament. 2,3 succendit quasi ignem flammae devorantis in gyro cf. Ier. 4,4; 17,27 — Lament. 2,17 fecit Dominus quae cogitavit, complevit sermonem suum; cf. Ier. 23,20 — 2,20 et comedent mulieres fructum suum, parvulos; Ier. 19,9 : cibabo eos carnibus filiorum suorum — Lament. 3,40 seq. eadem via poenitentiae describitur, quam Ieremias 3,22-25 assignaverat — 3,48. 49 divisiones aquarum deduxit oculus meus... nec tacuit; Ier. 14,17 : deducant oculi mei lacrimam nec taceant — 4,2 quomodo reputati sunt in vasa testea; cf. Ier. 18,4. 6; 19,10; 22,28 — 4,6 maior iniquitas peccato Sodomorum; Ier. 23,14 : facti sunt mihi omnes ut Sodoma — 4,12 non crediderunt... quoniam ingrederetur hostis; hanc falsam fiduciam perstringit Ieremias 7,4 seq. et 21,13 : qui dicitis : quis percutiet nos? et quis ingredietur domos nostras? — 4,17 defecerunt oculi nostri ad auxilium vanum, cum respiceremus ad gentem quae salvare non poterat; hisce ea perstringuntur quae Ier. 2,18; 27,3 seq. 37,6 dicuntur — 4,21 ad te quoque perveniet calix; Ier. 25,15. 21. 28 — 5,6 commemoratur Aegyptus et Assur eo modo quo Ier. 2,18 — 5,7 patres nostri peccaverunt et nos iniquitates eorum portavimus; quid veri sit, cernitur Ier. 15,4 et 16,11 — 5,14 defecerunt iuvenes de choro psallentium; Ier. 16,9 : auferam vocem gaudii et vocem laetitiae; item 25,10; ergo quae in vaticiniis praedixit, in threnis lamentatur impleta — 5,16 cecidit corona capitis nostri; Ier. 13,18: dic regi, dominatrici : humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriae vestrae — 5,21 converte nos et convertemur; Ier. 31,18 : converte me et convertar etc. etc.

Vehementia doloris quae in vaticiniis deprehenditur 4,19; 9,1. 10; 15, 18; 20,18 etiam in threnis cernitur 1,20; 2,11; 3,1 seq.; ut Deus ultionem exerceat in gentes, pari modo utrobique efflagitatur Ier. 10,25 et Lament. 1,22; 3,64-66 (cf. Ier. 17,18; 18,19-23) 4,21; quod dicitur 3,8 sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam, habes expressum secundum illud Ier. 7,16; 11,14; 14,11 : noli orare pro populo isto; interrogatio illa, qua concluditur 5,22 hebr. : an enim prorsus nos reiecisses... omnino conformatur sententiae Ier. 14,8. 19 propositae. Spes vero illa et fiducia quae exprimitur 3,22 seq. 33. 56 seq. 4,22; 5,19-21 etiam depingitur in libro Ieremiae non semel, praeprimis cap. 30. 31. Praeterea alias quoque in ipsis dictionibus magnam cerni affinitatem inter utrumque librum pluribus ostendere necesse non est, cum sit res ab iis quoque concessa qui threnos Ieremiae esse negant. Sed advertere oportet quemadmodum Ieremias in vaticiniis et easdem sententias quandoque repetere solet et sat multa ex s. libris, praesertim ex Deut. ex antiquioribus vaticiniis in suum usum convertere et inflectere, ita eundem modum etiam deprehendi in threnis. Varia invenies adnotata in commentario. Hoc loco adscribam quae collegit *Floeckner* l. c. p. 249, ut demonstret in threnis eundem cerni usum Deut. et Lev. quem in vaticiniis observamus : Lament. 1,3 et Deut. 28,65; 1,5 et Deut. 28,44; 1,7 et Lev. 26,34; 1,8 et Lev. 12,2 et 15,19; 1,9 et Deut. 32,29; 1,10 et Deut. 23,3; 1,20 et Deut. 32,25; 2,8 et Deut. 28,52; 2,17 et

Lev. 26,18. 23 et Deut. 28,15; 2,20 et Lev. 26,29 et Deut. 28,57; 3,16 et Lev. 2,14 (propter גֶּרֶשׂ, גרם? cf. Ps. 119,20); 4,11 et Deut. 32, 22; 4,12 et Deut. 28,52; 4,15 et Lev. 13,45 et Deut. 28,65; 4,16 et Deut. 28,50; 4,19 et Deut. 28,49; 5,9 et Deut. 28,48; 5,11 et Deut. 28,30. Neque pauca inveniuntur quae in verbis et dictionibus similia sunt iis quae in Iob et psalmis leguntur. Demum etiam in threnis non desunt repetitiones sententiarum, prout idem in libro Ieremiae observatur; cf. non est ei consolans 1,2. 9. 17. 21 et 1,16 longe a me consolans; ita השיב נפש 1,11. 16. 19; vide Domine 1,9. 11. 20; 2,20 vide Domine et considera uti 1,11; חֲרוֹן אפו ira furoris sui 1,12; 2,3; 4,11; contritio filiae populi mei 2,11 (13); 3,48; 4,10; quae locutio Ieremiae sat est familiaris; cf. Ier. 6,14; 8,11. 21; 14,17; 30,12. 15 — Lament. 2,16 repetitur 3,46; oculus meus deducens aquas 1,16 et 2,18 deduc quasi torrentem lacrimas et 3,48 rivos aquarum deduxit oculus meus; bis conqueritur de matribus quae filiolos coxerunt 2,20 et 4,10; additur quater ad vim augendam : non pepercit 2,2. 17. 21; 3,43 (similiter Ier. 13,14; 21,7); verbum יָגָה vexare, affligere quod alias raro occurrit, hic quater legitur 1,4. 5. 12; 3, 32. 33.

Duo praesertim *Naegelsbach* obiicit : multa inveniri vocabula et locutiones in threnis quae in libro Ieremiae frustra quaerantur; exsistere in iis duos locos ex libro Ezechielis allatos; unde satis probari Ieremiam non esse auctorem. Sed adverti oportet quod prius attinet, cum in threnis aliud dicendi genus exsistat quam plerumque in vaticiniis, discrimen aliquod in verbis et locutionibus ipsa natura induci. Nam inter pleraque oracula Ieremiae et hos threnos tale fere est discrimen quale inter orationem solutam et sermonem poeticum; in hoc autem alias seligi locutiones et eundem scriptorem aliter scribere in oratione soluta atque in oratione adstricta et devincta, quid tandem mirum est? Ceterum uti ex antecedentibus patet, istud discrimen non debet exaggerari; dein certum est in longa illa apud *Naeg.* enumeratione haud pauca recenseri immerito, quia vocabulum etsi non in eadem forma grammaticali qua in threnis etiam in vaticiniis Ieremiae invenitur; ita v. g. 1,1 רַבָּתִי eadem notione legitur Ier. 51,13; adiectivum אָבֵל utique non legitur apud eum, sed substantivum אֵבֶל ter : 9,26; 16,7; 31,13; בצע legitur apud Ier. quamvis non in piel, uti Lament. 2,17; idem dic de בלע Ier. 51,34. 44; verbum נחם reperitur, etsi non in forma participii; יָצָא מִן etiam in notione *relinquere* legitur Ier. 4,7 (cf. 1,5); 20, 18; 22,11; 51,45; 52,7 quibus in locis proxime ad eam accedit significationem; nescio an multum adsit discriminis, si in Lament. bis legitur חֵטְא 1,8 et 3,39, dum alias in libro Ieremiae et ter etiam in threnis reperitur חַטָּאת 4,6. 13. 22; substantivum quidem טֻמְאָה apud Ier. non legitur; at verbum et adiectivum טמא habes Ier. 2,7. 23; 7,30; 19,13; 32,34; idem valet de substantivo פֶּלֶא quod in libro Ier. utique non reperitur, at verbum פלא ter legitur 21,2; 32,17. 27; apud Ier. saepius legitur הלך בשבי in captivitatem

ire 20,6; 22,22; 30,16; idem legitur quoque Lament. 1,18; sed 1,5 sine praepositione ב scribitur; en tale discrimen affert *Naeg.* tamquam indicium alterius auctoris! etsi מחמד non occurrat apud Ier., חמד non deest Ier. 3,19; 12,10; 25,34. Ecce habes aliqua exempla, quibus vides qua ratione *Naeg.* longam texat enumerationem verborum et dictionum quae ab usu Ieremiae recedant! De illis autem quae p. XIV proponit et in quibus maximam vim probandi inesse censet, iam *Keil* p. 554 ostendit tertiam partem esse demendam, quia vocabula etsi in alia forma grammaticali apud Ieremiam reperiuntur.

Alterum quod *Naeg.* obiicit afferri in threnis locos ex Ezechiele facile diluitur; nam Lament. 2,14 non est depromptum ex Ez. 13,9-11, quia תָּפֵל in Lament. alio plane sensu adhibetur, sensu scil. eo quo alias adhibetur תִּפְלָה Ier. 23,13 et Iob 1,22 et 24,12 et sensu non multum dispari תפל Iob 6,6, dum haec vox apud Ez. non significat nisi *calcem tectoriam*. Neque dici potest חָזָה שָׁוְא certo esse ex Ez. depromptum, quia Ieremias utraque voce (etsi non coniunctim) saepe utitur et simili modo de visione mendacii pseudovatum loquitur (cf. *Keil* p. 551; *Cornely* l. c. p. 409). Neque Lament. 2,15 כְּלִילַת יֹפִי probabile est esse ex Ez. 27,3 et 28,12 petitum; nam apud Ez. id de Tyro et rege eius dicitur. Annon potius dicendum eam locutionem de Sion derivari ex Ps. 50,2, ubi מִכְלַל יֹפִי legitur de Sion? sicut aliud epitheton *gaudium universae terrae* in eodem versu 2,15 certe depromitur ex Ps. 48,3, quia hostes dicunt eam urbem ita vocari : « haeccine est urbs *quam dicunt* decoris perfectionem, gaudium universae terrae »? ita autem Ierusalem non dicitur apud Ez. sed in Ps. l. c.; cf. *Cornely* l. c. *Trochon* p. 336; *Floeckner* l. c. p. 261-264.

Demum *Noeldeke* et *de Wette Schrader* obiiciunt deesse in threnis id quod Ieremiae adeo proprium sit, scil. peccata populi non ea vehementia et acerbitate perstringi et accusari, qua in libro Ieremiae; immo 5,7 quam maxime contradicere oraculis Ieremiae. Miram obiectionem! Iam supra monui 5,7 : patres nostri peccaverunt... et nos iniquitates eorum portavimus, declarari et illustrari ex Ier. 15,4 et 16,11. Dein in peccatis populi ruinae causam reponi saepius explicite in threnis enuntiatur; lege 1,5 propter multitudinem iniquitatum eius; 1,8 peccatum peccavit Ierusalem; 1,14 iugum iniquitatum mearum; 1,22 propter omnes iniquitates meas; lege accusationes contra pseudovates et sacerdotes 2,14 et 4,13; quid dici potest gravius quam 4,6 maiorem esse iniquitatem populi peccato Sodomorum? praeterea 3,42 nos inique egimus et contumaces eramus vel rebelles (hebr.); 5,16 vae nobis quia peccavimus! Cur non tanta acrimonia invehatur, viri critici in scriptore *profano* certe deprehendissent et laudassent; nam ipsa natura comparatum est, ut peccatorem vehementius reprehendamus ne peccatis suis se miserum reddat; verum *postquam* incidit in maximam calamitatem, a qua frustra eum retrahere conati sumus, quis adeo erit crudelis et sensu humanitatis destitutus, ut miserum hominem aculeis pungat et verbera addat verberibus, ut non potius ei commiserationem

adhibeat eumque suaviter ad resipiscentiam adducere conetur? Sane in sermone mitiore threnorum potius et ars et prudentia est laudanda, quam ulla cum reprehensionibus libri Ieremiae contradictio laboriose quaerenda! Idem dic de modo quo 4,20 sermo fit de Sedecia, cui etiam aliquid commiserationis tribuit *post* sortem luctuosam vates humanitate ductus; sed simul adverte ibi tangi et simul reprehendi vanam illam ac perniciosam fiduciam, quam multi posuerint in rege utpote herede throni Davidis: ad quod illustrandum inserviunt quae Ieremias saepius monuit 13,13; 17,25; 22,2-5; 29,16; sicut enim in templo spem suam vanam ponebant 7,4 seq., ita quoque in promissione Davidi facta et in dignitate regis qui sedere dicitur super solium Iahve vel in throno regni Iahve super Israel (1 Par. 28,5; 29,3; cf. 2 Reg. 7,26. 1 Par. 17,24). Quare inani conatu laborant aliqui, ut threnos cum oraculis Ieremiae pugnare ostendant. Equidem puto si ageretur de libro *profano* satis eos habituros esse perspicaciae ut statim deprehenderent ex mutata conditione parumper alium debere instrui sermonem ante ruinam et post ruinam[1]!

Quaerunt etiam quando threni sint compositi. Cum habeamus Ieremiam auctorem et in ipsis threnis dolor describatur et exprimatur recentissimus ac vehementissimus, certe dicendum est carmina haud diu post urbem expugnatam et destructam esse composita. Idem suadetur si consideraveris singula quaeque ita vivis coloribus depingi ut quasi spirantia et praesentia sistantur; unde iterum colligitur ea esse conscripta tempore a ruina recentissimo, quo animus vatis tremendis illis eventibus quam acerrime erat percussus. Opinatur *Ewald* (Geschichte des V. Isr. IV 3 ed. p. 25) ea esse composita in Aegypto; sed ex 1,3 id necessario non sequitur; verba omnino declarantur ex illo tempore quod in Ier. 41,17. 18 assignatur ad quod tempus optime etiam congruit quod 5,6. 9 describitur. Unde ea temporis conditione qua miseria populo illata quam maxime sentiebatur carmina haec lugubria esse fusa existimo. Tunc enim reliquiae etiam populi quae remanserant et modo inceperant sub Godolia aliquatenus respirare et e rerum angustiis emergere (Ier. 40,12), iterum dispersae et disiectae sunt, ita ut ea demum calamitate regni dissolutio et populi dispersio sit ad culmen adducta. Unde tribus fere mensibus ab urbe expugnata et duobus mensibus postquam templum Domini et palatium regis et domus Ierusalem igni combusta sunt, Ieremias oppressus dolore de

1. Id bene iam exponit *Rupertus*, abbas tuitiensis, scribens v. g. ad 2,11 : « dicebam (ita loquentem facit Ieremiam) antequam haec fierent : propterea da filios eorum in famem et deduc eos in manus gladii; fiant uxores eorum absque liberis et viduae et viri earum interficiantur morte (Ier. 18,21); haec, inquam, et his similia dicebam concordando per spiritum iudicio et iustitiae tuae. *At ubi mala ipsa venerunt et res oculis est exhibita, vicit pietas* et a supernis iudiciis relapsa in semetipsam vulnerata ruit natura »; ita ille in opere de Trinitate et operibus eius — in Ieremiam liber unus. cap. 46; *M.* 167,1396.

nova illa plaga qua prioris memoria ac moestitia recruduit his lamentationibus urbi et populo parentasse censeri poterit. Ad tempus determinandum confer inter se praeter Lament. 1,3 et 5,6 Ier. 41,1. 17.18; 52,6. 12; 4 Reg. 25,8.

III. — De commentariis.

Pauca quaedam et brevia scholia exsistunt *S. Ephraem*[1] (vide *Lamy,* S. Ephraem Syri hymni et sermones, tom. II p. 217-228; Mechliniae 1886). Pleniorem commentarium nobis reliquit *Theodoretus* in quattuor prima carmina; quintum, orationem Ieremiae non exposuit (*M.* 81,780-805). Inter opera S. Hieronymi fertur tractatus in lamentationes Ieremiae, in quo nomina litterarum hebr. allegorice explicantur (aleph doctrina; gimel plenitudo, deleth tabulatum, he ista, heth vita, teth bonum, jod principium, lamed disciplina cordis etc.); dein singuli versus primi carminis breviter exponuntur; legitur *M.* 25,787-792; hanc expositionem non esse S. Hieronymi hodie omnes consentiunt; cuius sit non est exploratum; Vallarsius eam Bedae venerabili tribui posse censet, « cuius hoc praecipuum fuit studium ut ex veterum libris contexeret suorum commentariorum veluti centones, in quibus quaedam reperias de aliorum monimentis ad verbum descripta » ; alii, uti Sixtus senensis, Bellarminus, Rhabanum Maurum esse auctorem suspicati sunt; at quae in commentario Rhabani leguntur, plane alia et diversa sunt. Aliquoties illam expositionem nomine *Hi.* laudavi. Commentarii *Olympiodori* (*Ol.*) non servata sunt nisi fragmenta (*M.* 93,725-762). *Rhabanus Maurus* varia habet utilia, etiam pro sensu litterali; ceterum applicationes verborum ad animam fidelem et res morales frequenter inserit (*M.* 111, 1181-1272). Triplicem quoque explanationem de Ierusalem, de Ecclesiae damnis et de animarum discriminibus se dare profitetur *S. Paschasius Radbertus* (*M.* 120,1061-1256), quem signo *Radb.* aliquoties laudavi. Quid apud *Guibertum* abbatem quaerendum sit, quid non, iam ipso titulo sufficienter declaratur : Tropologiae in lamentationes Ieremiae (*M.* 156,451-488). Quattuor carmina alphabetica ita exponit *Rupertus,* abbas tuitiensis, ut in primo deplorari censeat universalem captivitatem et miseriam generis humani, in altero populi iudaici captivitatem babylonicam, in tertio ipsius prophetae calamitates, in quarto captivitatem et miserias Iudaeorum qui Messiam reiecerint (*M.* 167,1378-1420). Primum et alterum carmen exposuit

---

1. In tomo 2 operum syr. editionis Petri Benedicti S. I. Romae 1740 p. 163 paucissima habentur.

Hugo de S. Victore et quidem breviter secundum litteram, fusius allegorice et moraliter (*M.* 175,255-322). Breviter sensum litteralem tangit additis multis locis ex aliis libris sacris et succinctas applicationes allegoricas et morales inserit explicationi *B. Albertus Magnus* (*Alb.*); exstat eius commentarius in threnos Ieremiae in operum eius tomo octavo, Lugduni 1651, p. 1-39. *S. Bonaventura* (*Bon.*) sensum litteralem et contextum rerum plerumque diligenter investigat; at etiam magis versatur in allegorica et morali accommodatione : « plangit in duobus primis alphabetis ad litteram dispendia synagogae et mysticae Ecclesiae in generali, personarum maiorum in tertio et quarto »; caput quintum non exposuit. Legitur eius expositio in lamentationes Ieremiae prophetae in operum eius tomo decimo ex editione a Peltier recognita, Parisiis 1867, p. 138-206. Inter opera quoque *S. Thomae* aquinatis legitur commentarius brevis, qui tamen virorum doctorum iudicio non ei, sed Thomae wal. seu anglo rectius adscribi perhibetur; eum nomine *Thom.* laudavi.

De aliis commentariis interpretum catholicorum vide quae in commentario in Ieremiam prophetam dixi p. 16. Hic solum addi debet *Schneedorfer*, die Klagelieder des Propheten Jeremia. Prag 1876 (*Schn.*). Ex interpretibus protestantibus praeter *Naegelsbach* (*Naeg.*) et *Keil* nominandus est *Thenius* (*Then.*), die Klagelieder (Kurzgefasstes exegetisches Handbuch z. a. Test. 16 Lieferung, Leipzig 1855 p. 115-179). Nuper *Schoenfelder* duos edidit commentarios rabbinicos breves : die Klagelieder des Jeremias nach rabbinischer Auslegung, München 1887; prior est commentarius Abraham Ibn Ezra, qui germanice versus exhibetur notis additis p. 1-35; alter est commentarius in cod. hebr. 5 bibliothecae regiae monacensis quem Schoenfelder hebraice addita versione germanica edendum curavit p. 36-105. Utrumque aliquoties laudavi *rab.* addito paginae numero, ex quo statim intelliges (si tua interest) utri commentario nota debeatur. — Demum commemorare non piget explanationem haggadicam Echa rabbati quam germanice versam edidit *Wünsche*, der Midrasch Echa rabbati, Leipzig 1882; sed simul notari oportet in istis 176 paginis vix aliquid contineri quod interpreti utile sit (ad 1,20 laudatur p. 93 Deut. 32,25; 2,1 scabellum explicatur de templo — en haec sunt quae ex 100 paginis adnotare poteris pro explicatione threnorum; p. 87. 88 nomina Messiae esse dicuntur : Iahve, tzemach (germen), menachem, schilo).

Interpretes catholicos diligenter recenset *Cornely*, Introd. II 2 p. 429 seq.; acatholicos multos enumerat *Naegelsbach*, die Klagelieder XVII.

LAMENTATIONES

1. *Primum carmen. Cap.* 1.

Arg. Urbs deiecta a pristina gloria maximo moerori immergitur; populus enim eius dispersus est, cessarunt festivitates, hostes evaserunt praepotentes, omnis splendor ab urbe recessit; propter peccata ita est omnium opprobriis exposita ut eius ignominia cunctis sit patefacta quam sustinuit direptis opibus, templo violato, populo egestate confecto (1,1-11). Quare gemitus suos effundit coram omnibus et plagam acceptam amaro animo deplorat; Deus enim iustam suam iram immisit omnesque populi ordines disiecit; exsultant hostes; at Deus qui in peccata Sionis animadvertit, etiam iis debitas poenas rependet (1,12-22).

In textu graeco et in *vulg.* hoc praemittitur prooemium threnorum : « Et factum est postquam in captivitatem redactus est Israel et Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens et planxit lamentatione hac in Ierusalem et amaro animo suspirans et eiulans dixit »; ultima sententia in graeco simplicius exhibetur καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ εἶπεν. Quae praefatio neque in hebr. neque apud *Syrum* legitur neque, uti fertur in nota syro-hex., apud reliquos i. e. *Aq. Sym. Theod.;* neque ferebatur usu constanti in exemplaribus latinis. Iam *Lucas* brugensis notat : « quae verba an interpres noster suae editioni ex graeco adiecerit multum dubito; ex nostris aureus D. Donatiani brugensis codex non legit; *Lyranus* in correctis libris haud esse testatur; enarratores Rhabanus et Paschasius non attingunt, ut nec Richelius; castigatores dominicani non agnoscunt; denique epanorthotes noster et alii quidam redundare pronuntiant ». Legitur in commentariolo illo qui operibus S. Hieronymi est insertus et a nonnullis Bedae esse creditur (*M.* 25,787); in ipsis autem *S. Hier.* operibus non reperitur. Correctores romani adnotant : « hanc praefatiunculam patres iudicarunt non esse omittendam, tametsi a quibusdam libris omittatur »; neque enim invenitur in melioribus codicibus (amiat. etc.) neque in correctoriis (dominic. sorbon.); vide *Cornely*, Introd. II 2 p. 410. — Quandoque quaestio mota est sitne haec praefatio *canonica* necne; plerique iuremerito negant, quam sententiam negantem *Lap.* solide defendit contra Gretserum; vide quoque *Bonfrerium*, praeloquia 7, *Calm.* etc.

a) **Deploratur populi deiectio 1, 1-11.**

Priorem carminis partem undecim constare versibus quibus populi deiectio deploratur iam in commentario legitur qui S. Thomae adscribitur eandemque divisionem recentiores quoque fere usurpant. Primum quod lamentantis animum praeoccupat est luctuosa illa mutatio qua urbs concidit. Unde per se fluit comparatio quid olim fuerit et quid nunc oculis obiiciatur; quare v. 1 « *Quomodo sedet sola civitas plena populo! facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo* »! — *quomodo*, ea voce quae est admirantis et obstupescentis (*Mald.*) carmina lugubria vestiri solent; *sola* i. e. solitaria, in solitudine, derelicta *sedet*, uti *S. Hier.* vocem hebr. optime vertit, scil. lugentis instar humi sedet a pristina gloria deiecta; vide Ier. 48,18; similiter Is. 3,26 : desolata in terra sedebit. Pristinam gloriam ex opposito describit : olim referta populo frequenti; nunc solitudo tristis; olim dominata est etiam in gentes; arma enim victricia saepius intulit Philisthaeis, Ammonitis, Moabitis; etiam maior gloria exstitit regibus David et Salomon; ultimo quoque tempore Sedecia rege foedus eius certatim expetierunt Edom, Moab, Ammon, Tyrus, Sidon (Ier. 27,3); quare iure appellatur *magna in gentibus* (hebr.). At nunc *sedet* infimo loco *quasi vidua*, i. e. a Domino derelicta, eius ope destituta. Consuetum est enim foedus sinaiticum sacri connubii symbolo declarare; vide Ier. 2,2. Ez. 16,6 seq. Os. 2,2. Hanc legem cum violasset, ope Dei destituta corruit, traditur hostibus quasi mulier cuius curam et defensionem nemo suscipit. Iam in *Hi.* monetur : « sed non fuit vidua ex toto, sed quasi vidua, quia vir suus misertus est eius et post septuaginta annos coniunxit illam sibi »; id quod simili modo apud *Radb. Bon.* et apud *rab.* quoque adnotatur (p. 7). Igitur urbs olim potentia et frequentia populi insignis inter gentes iam opprobrium subit viduitatis (cf. Is. 47,9; 54,4) : a Domino eiecta familiam Domini iam non potest augere. Quod alii saepius explicant, vocari viduam utpote orbatam rege, sacerdotibus, principibus qui sint quasi mariti reipublicae (*Mald. Lap.*), ita immediate dici nequit, cum hi nunquam mariti nomine vel metaphora designentur. Terra palaestinensis haud raro regio laudatur praeclara, hereditas decoris, decus terrarum (cf. Ier. 3,19. Ez. 20,6. Zach. 7, 14); unde regni metropolis appellatur *princeps provinciarum* scil. quae inter regiones alias emineat sicut princeps dignitate et ornatu longe praestantior est aliis. At nunc redacta est in turpem servitutem, ad opera adigitur servilia, subiicitur *angariae;* haec est notio vocis

מס; vide 2 Sam. 20,24. 1 Reg. 5,27. Tribus illis : multitudine incolarum, regni gloria, regionis praestantia constabat reipublicae splendor; quae omnia quam luctuosa mutatione in contrarium abierint aeque breviter ac nervose in v. 1 deploratur.

Eam rerum conversionem civitas continuata prosopopoeia deflet ingenti dolore qua descriptione simul illustratur quanta sit calamitas v. 2 « *plorans ploravit in nocte et lacrimae eius in maxillis eius; non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius; omnes amici eius spreverunt eam et facti sunt ei inimici* »; — i. e. uberrime, copiosissime ploravit (*Mald.*) vel potius plorat continuo, etiam nocte, eo scil. tempore quo homines doloris et tristitiae molestia liberari solent; etiam nocte torqueri quam durum habeatur, vide Iob 7,13. 14. Dolor continuus exprimitur in lacrimis quae iugiter haerent in maxilla eius et genas sulcant, « ut decor vultus immutetur in habitum plangentis » (*Alb.*); quod Ier. 9,1 innuitur, iam opere expressum cernitur. Cari eius i. e. amasii eius, populi qui quondam eius foedera quaesierunt et quibuscum pacta iniit opem eorum efflagitans, nunc eam contemptu et dicteriis proscindunt. De istis foederibus conqueritur Ieremias 2,18. 24. 36. Ez. 16,26 seq.; cum Aegyptiis, Assyriis, Chaldaeis impiam iunctam esse societatem iis locis constat; iidem inimici facti sunt. Aegyptii quippe opem non tulerunt 4 Reg. 24,7. Ier. 37,6; Chaldaei ultimam intulerunt stragem. Quomodo amici qui antea foedus inierunt cum ea eam spreverint, vide Ps. 136,7. Ez. 25,3. 6; 26,2 (*Calm.*). Cari eius non sunt prophetae vel sacerdotes (*Ol. Hi. Bon.*), sed *amasii*, populi sensu explicato, prout rite plerique accipiunt (*Mald. Sa, Lap. Men. Tir. Calm. Schn. Troch.* et etiam *rab.* p. 37). Id iam ex voce hebr. elucet אהב cf. Ier. 22,22. Ez. 16,33. 36. Os. 2,20.

Quantopere inimici facti sint, etiam eo patet quod ii quoque qui in terra relicti erant mox fugam arripiebant ut effugerent Chaldaeorum oppressionem et quod apud alias gentes, antea foedere iunctas male habiti et oppressi sunt v. 3 « *migravit Iudas propter afflictionem et multitudinem servitutis; habitavit inter gentes nec invenit requiem; omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias* »; — verba alludunt ad ea quae Ier. 40-41 narrantur. Timore Chaldaeorum etiam reliquiae Iudaeorum in Aegyptum fugere statuunt; et certe etiam ut antea (Ier. 40,11) aliqui ad gentes vicinas se recipiebant; at nullibi pacem et felicitatem nanciscuntur; « in gentibus quoque illis non quiesces neque erit requies vestigio pedis tui » (Deut. 28,65). Ita plerique de fugitivis exponunt (*Rhab. Thom. Mald. Mar. Lap. Tir. Calm. Schn. Then. Naeg.* et etiam *rab.*); idque merito; ita enim quod additur *propter afflictionem...* facillime fluit; *inter gentes*

habitare obvio sensu idem suadet; *invenire requiem* exspectare poterant, quia ut eam invenirent sese subtrahebant Chaldaeis et ad priscos amicos et socios confugiebant; apud eos autem spe illa deiecti sunt. Vix in terra exsilii ad quam inviti ducebantur requiem invenire sperabant; modo autem loquendi indicatur h. l. eos spe sua esse falsos. Praeterea maior quoque urbis solitudo et moeror describitur, si significatur etiam reliquias illas fugisse; sed in ipsa fuga angustiis sunt conclusi et quae populo acciderunt, ad maiorem metropolis aerumnam refunduntur; in filiis enim mater dolere et perpeti censetur. — Aliter *Keil :* ex misera illa conditione in quam terra redacta erat per Nechao et per Chaldaeos Iuda abiit in exsilium; at mirum esset, si in exsilio sibi requiem promisissent et levamen; aeque mirum, si prior illa conditio reipublicae iam miseriae et laboris nomine designaretur, cuius quasi remedium in exsilio exspectaretur. Neque verbum גלה obstat; adhibetur enim non solum de migratione in exsilium assyriacum et babylonicum, sed etiam sensu magis generali recedendi vel abeundi (1 Sam. 4,21. 22; 2 Sam. 15,19) et migrandi in regiones varias (Am. 1,5. 6. 9. Abd. 20). — De afflictionibus in Aegypto vide Ier. 44,27.

Postquam reliquiae quoque aufugerunt, maxima circa urbem solitudo est effecta v. 4 « *viae Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad sollemnitatem; omnes portae eius destructae; sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidae et ipsa oppressa amaritudine* »; — viae quibus itur ad urbem laetum praebent aspectum, si agmina festiva per eas incedunt; desertae autem et vacuae lugent (*Ol.*) tristem prae se ferentes solitudinem, cum neglectae operiantur tribulis. Quantopere abest urbs ab omni festivitate! portae, urbis munimenta et ornamenta, illustria illa iudiciorum et comitiorum loca, iacent prostratae et exustae, et commemorata sollemnitate memoria per se revocatur eorum qui festivitatis celebritatem et laetitiam augebant : sacerdotum et virginum quae cantu et instrumentis musicis sollemni pompae interesse solebant (cf. Ps. 67,26. Iud. 21,18 seq. Ier. 31,13). Verum dolens recogitat mater populi in quam misera conditione nunc gemant et lugeant; quare ipsa quoque ea cogitatione moerori et amaritudini immergitur maiori et a contrario considerat et experitur, in quantum hostes sint exaltati. Unde v. 5 « *facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius; parvuli eius ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis* »; — inimici dominantur, agunt prospere (hebr.); impletum est quod iam Moyses rebellibus minatus erat (Deut. 28,43 seq. *Theod. Thom. Malv. Est. Calm.*). Atque

ut Ieremias ante ruinam populum continuo monuit de Deo vindice, ita nunc significatione doloris praemissa etiam aequales denuo attentos reddit divinitus plagam esse inflictam in poenam criminum : *quia Iahve eam afflixit* vel contristavit (hebr. *Vat. Mald. Mar. Lap.* et recentiores) ; quam afflictionem acerbam statim ostendit in ipsis filiolis teneris qui per oppressores duros captivi abducuntur. De iis enim matris viscera maxime commoventur et si ne parvulis quidem parcitur, culmen miseriae et crudelitatis hostilis declaratur (cf. Is. 13,16. 18. Ier. 9,21. Os. 14,1. Nah. 3,10).

Porro afflictio divinitus immissa cernitur in republica penitus prostrata v. 6 « *et egressus est a filia Sion omnis decor eius; facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis* » ; — omne id quo populus urbis sioniticae olim eminebat et laudem sibi et admirationem conciliabat penitus evanuit; nihil reliquum est nisi vastitas et contemptus. *Cervi* (hebr.) fame debilitati venatoribus facili praedae sunt; ita principes miseri, impotes abigebantur quocumque persecutoribus libuisset. Luctuosa sane populi conditio, si ipsi principes sistuntur emaciati, egestate et fame confecti, ita ut ne firmo quidem gressu ante oppressores incedere valeant. Haec et similia ad miseriae exaggerationem dicuntur, uti moris est lamentantium. Haud immerito multi cogitant de Sedecia et principibus qui cum fugere tentarent capti sunt (4 Reg. 25,5. Ier. 39,5; 52,8. *Thom. Mald. Mar. Schn. rab.* p. 41), ad quod saltem alluditur ita ut verba ex eius rei memoria attemperata sint. Ceterum principes describuntur non solum quales fuerint in itinere babylonico (*Lap. Calm.*), sed quales sint in universum in potestate et terra hostium.

In textu *mas.* legitur כְּאַיָּלִים *ut cervi*, uti adnotat *Vat. Mald. Malv. Mar. Lap. Calm.* et ita quoque explicat *Syrus* (cf. *Payne Smith*, Thes. syr. p. 151) et *Chald.* (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 24) et ita quoque *rab.* p. 40 cum scribatur כאיילים. Hanc acceptionem e recentioribus propugnant *Schn. Troch. Naeg. Keil* etc., dum alii cum LXX et *vulg.* legendum esse censent כְּאֵילִים *ut arietes* (ita *Boettcher, Then.*). Utrum praeferendum sit, verbo רדף diiudicari debet. Id autem significat persequi, fugare; quare comparatio non videtur institui cum eo qui gregem coram se agit, sed cum venatore qui feras persequitur; dein non arietes, sed cervi sunt animalia fugacia. Neque nexus cum v. 5 est adeo arctus, ut parvulis opponantur fortiores et duces gregis i. e. arietes et ut persequi idem sit quod ducere in captivitatem. Priore membro v. 6 iam ostenditur nexum adeo arctum non statui; immo lamentationibus magis congruit miseriam depingere imaginibus variis et ab una re subito ad aliam transire.

Ex recordatione pristinae gloriae augetur afflictio et miseria v. 7

« *recordata est Ierusalem dierum afflictionis suae et praevaricationis omnium desiderabilium suorum quae habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili et non esset auxiliator; viderunt eam hostes et deriserunt sabbata eius* »; — hebr. verte cum *Mald. Lap.* et recentioribus: *recordata est in diebus afflictionis suae et vagationum suarum* i. e. quando est eiecta et errans per regiones alienas et vaga inter gentes; de voce מרוד *eiectio*, *vagatio* vide Is. 58,7; nunc cum dolore recordatur rerum omnium quibus olim exornata et felix fuerat; *dies antiqui* tempora sunt fausta sub Davide, Salomone. Quinam sint dies afflictionis, additur *cum caderet...*; molestum est cerni ab hostibus et dicteriis proscindi in misera illa conditione; derident *cessationes eius* (hebr.) i. e. quod omnia bona eius cessassent, ita *Chald.;* cessarunt sollemnitates, cessarunt commercia, negotia (*Tir.*); tota urbs, tota respublica ad nihilum redacta est, evanuit. Vox מִשְׁבַּת est ἁπ. λεγ.; in *cessatione* illa generali etiam sabbata includuntur; sed vocem habere eandem notionem quam habet שַׁבָּת affirmari nequit. *Syrus* praebet: riserunt de confractione eius (שׁבר); LXX ἐπὶ κατοικεσίᾳ vel uti in sat multis codd. fertur μετοικεσίᾳ, de transmigratione eius. Vox hebr. fortasse etiam referri potest ad minas iam Lev. 26,34. 43 propositas: « tunc placebunt terrae sabbata sua cunctis diebus solitudinis suae; quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit et requiescet in sabbatis solitudinis suae », quas in exsilio fuisse impletas etiam 2 Par. 36,21 asseritur. De cessatione festivitatum, noviluniorum, deliciarum etiam apud *rab.* vox explicatur.

Sed non satis est deflere calamitatem; eius causa debet cognosci, ut ex castigatione ille fructus exsurgat quem Deus intendit. Quare vates, uti iam in v. 5, ita hic quoque aequales commonefacit, ut in ea miseria iustam peccatorum poenam infligi fateantur. Dolet igitur vates cum dolentibus; at simul eorum animos ad veram poenitentiam adducere studet, ad quam primus gradus in agnitione et confessione culpae consistit; unde v. 8 « *peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est; omnes qui glorificabant eam spreverunt illam quia viderunt ignominiam eius; ipsa autem gemens conversa est retrorsum* »; — gravissime peccavit, scienter ἐν γνώσει peccavit (*Ol.*); ideo facta est sicut mulier abominanda immunditie plena; ita ex hebr. נִידָה quae vox explicanda erit ut נִדָּה Lev. 12,2. 5; 15, 19 etc. de sordibus menstruis, quibus oppleta omnium in se abominationem concitat. Haec vocis acceptio sequentibus et v. 9 commendatur. Veteres vocem communiter derivant a נוד; unde ad notionem vagationis vel iactationis instabilis pervenerunt; at contextui magis congruit inter-

pretatio recentiorum, qua simul foeditas peccati graviter effertur. Mulierem foede immundam pristini laudatores contemptui habent: omnibus enim foeditas eius palam facta est; ita gentes vicinae quae olim foedus cum Ierusalem appetierant (Ier. 27,3) eam spernunt; ipsa autem pudore et confusione erubescens faciem avertit, aspectum hominum fugit, suae foeditatis pertaesa vultum avertit et abscondit.

Et quomodo ista confusio evadere possit salutaris ostenditur v. 9 « *sordes eius in pedibus eius nec recordata est finis sui; deposita est vehementer non habens consolatorem; vide Domine afflictionem meam quoniam erectus est inimicus* »; — hebr. sordes eius in oris vel fimbriis vestimenti eius; proinde turpitudo peccati manifesta est facta; sanies illa ex intimis recessibus foras profluxit. Progressus itaque peccati describitur (*Thom.*). Neque enim secum reputavit quem tandem exitum peccata necessario sint habitura (*Ol.*); quare iam Moyses lamentatur : utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent (Deut. 32,29); « concupiscentiis enim excaecata ad cor redire non potuit, ut videret quod peccatum finem accipit mortem; memorare novissima tua et in aeternum non peccabis » (*Alb.*). Quare ruina prorsus stupenda deiecta est: *descendit mirabiliter* (hebr. *Vat. Mald. Mar. Malv. Lap.*) mirum in modum, ita ut casus eius omnibus sit admirationi et stupori; quis enim existimasset tantam tamque florentem civitatem perituram (*Mald.*)? Eo modo iam Moyses minatus est : mirabiles faciet Iahve plagas tuas (Deut. 28, 59 הִפְלָא); unde etiam de miraculis cogitant quibus Deus usus sit ad urbem castigandam (*rab.* p. 43). Non communi et vulgari modo descendit, sed « a summo gradu honoris ad summam confusionem deiecta est » (*Alb.*). Quali documento casus iste esse debeat, vates declarat dum urbem loquentem facit precibus fusis : *vide Iahve...* Deum foederis appellat, insolentiam hostium commemorat; hisce enim duobus certa enascitur spes et fiducia fore ut Deus opem ferat vi promissionum; foedus enim iniit sempiternum neque gloriam suam alteri dat. In populi autem causa Dei causa agitur. Vide ad Is. 48,11. Os. 2,20.

Quare quanta sit populi miseria et quanta iniuria Deo illata, ulterius Deo proponitur petitione adiecta; qua re vates et dolori iusto indulget et docet qua mente afflictionem debeant sustinere spem ostendens auxilii divini, ne pondere malorum ad desperationem propellantur v. 10 « *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas ne intrarent in ecclesiam tuam;* v. 11 *omnis populus eius gemens et quaerens panem; dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam; vide Domine et considera quoniam facta sum vilis* »! —

tota per compendium depingitur calamitas in re scil. et sacra et profana et quantopere *erectus sit* inimicus, quam insolenter egerit declaratur : quaecumque pretiosa erant in eius cedebant potestatem; thesauros abstulit, palatia destruxit etc.; immo ingressi sunt in templum ii qui ne in coetum quidem populi electi admitti poterant; vide Deut. 23,1 seq. Ez. 44,7.9. Lex illa mosaica fertur de eunuchis, spuriis, Ammonitis, Moabitis, Edomitis; cum iam Ioakim rege filii Ammon et Moab tamquam Chaldaeorum socii Iudaeis bellum intulerint (4 Reg. 24,2), probabile est ex iis gentibus etiam in expugnatione urbis multos cum Chaldaeis operam navasse; de Edomitis vide Lament. 4,21. Ez. 25,12. Ps. 136,7; de filiis Ammon Ez. 25,3. 6. Cum inter Chaldaeorum duces etiam princeps eunuchorum (rab saris Ier. 39,3) recenseatur et cum insuper מַמְזֵר (spurius, alienigena?) facile ratione quadam generali de gente impura et libidini dedita dici possit, in qua certe multi quoque spurii et ex adulterio nati aderant, lex illa mosaica iuremerito allegatur, ut ostendatur quantum dedecoris sanctuario sit illatum. Ceterum tempore Nehemiae 13,3 lex illa ad omnem alienigenam applicabatur. In pretiosis ad quae hostis manus extendit etiam intellige vasa templi et thesauros (4 Reg. 25,13 seq. Ier. 52,17 seq.). Ita scil. impleta sunt verba vatis : dabo domum istam sicut Silo (Ier. 26,6); « iratus in suos Deus suum ipsius templum quod populus superstitione ac flagitiis indignissime violaverat in gentium potestatem venire passus est » (*Calm.*). Uti expugnatione facta templum est violatum cum maxima populi ignominia, ita ipse quoque populus opibus spoliatus ad summam miseriam et abiectionem est redactus; id quod gemitu, fame, pane summo pretio redempto in v. 11 declaratur. Sed cum Sion habeat promissiones instaurationis, magna cum fiducia Dominum supplex adire potest. Suam ei pandit miseriam tacite flagitans, ut pristina dignitate se exornet indignum reputans suam urbem adeo apud omnes vilescere.

b) **Sion suam deflet miseriam 1, 12-22.**

Modo Dominum appellavit v. 11. Iam sermonem convertit ad alios; quae repentina transitio haud modica est doloris significatio. Pluribus exponit Sion quam vilis facta sit; verum a Domino se castigatam fatetur. In id itaque vates magnopere incumbit, ut Deum iustum vindicem agnoscant, ut non humanas causas considerent sed ad Dominum oculos attollant. Ulteriore quoque descriptione quanta sit malorum magnitudo egregie proponit. Unde v. 12 « *O vos omnes qui transitis per viam attendite et videte si est dolor sicut dolor meus,*

quoniam vindemiavit me ut locutus est Dominus in die irae furoris sui » ; — dolorem effert omni comparatione maiorem et acerbiorem, quia is qui eum inflixit non est homo, sed Dominus, qui afflixit urbem in die aestus irae suae; id factum est quod indicavit vates : furore Domini plenus sum ; laboravi sustinens; effunde super parvulum foris et super consilium iuvenum simul (Ier. 6,11). Ea locutione poena describitur acerbissima, quae ne infligatur precatur psalmista : ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me (Ps. 6,2); eodem modo acerbitatem poenae deprecatur propheta : corripe me Domine, verumtamen in iudicio et non in furore tuo (Ier. 10,24). De vindemia quasi exspoliatione et ablatione bonorum vide Ier. 49,9. Abd. 5. Vertit *S. Hier.* עוֹלֵל vindemiavit, uti Lev. 19,10. Deut. 24,21 Ier. 6,9 de racematione verbum usurpatur; et eodem modo transtulit infra v. 22 et 2,20. At textum hebr. עוֹלַל communiter explicant ita ut ad dolorem vox referatur : sicut dolor meus *qui factus est mihi*, qui mihi illatus est (cf. *Mald. Mar. Malv.* et recentiores; eodem modo *rab.* p. 5. 46); ita quoque LXX τὸ ἄλγος μοῦ ὃ ἐγενήθη; *Syrus :* quem mihi fecit Dominus sim. *Chald. :* quia contigit mihi ut confringeret me Dominus. Membrum ultimum verte ex hebr. *quam afflixit Dominus in die furoris irae suae* (cf. *Mald. Mar.*); commodius enim refertur relativum אשר ad vocem immediate antecedentem; alii tamen vertunt *quo* me afflixit (*Naeg.*); de verbo vide ad v. 5; *S. Hier.* verbum הֻגָּה ob oculos habuisse videtur (non הוֹגָה) uti LXX quoque.

Ceterum interpretatio *vindemiavit me* invenitur etiam apud Theodoretum : ἐπεφύλλισέ μοι; praeterea haec lectio fertur in 22. 36. al. eamque explicationem secutus ess videtur *Sym.* (cf. *Field,* Orig. Hexapla ad h. l.). Obscurus est textus hebr. in primo membro. Versio *S. Hier.* est eadem quam etiam *Sym.* proposuit, uti ex syro-hex. constat. Ea sane est si sensum spectas et nexum affectumque consideras, prorsus apta et facilis. At quomodo ex textu hebr. habeatur, non potest ostendi. Ibi enim legitur לוֹא אליכם quod apud LXX fertur οἱ (vel οἵ?) πρὸς ὑμᾶς. Sunt qui לוֹא interrogative accipiant pro הֲלוֹא *nonne ad vos?* scil. clamo, vel nonne ad vos gemitus mei? nonne vos tangit miseria mea (*Schn. Keil*); alii interrogationem in affirmationem convertunt : *certe ad vos* sermo meus (*Then.*); *Naeg.* retinet negationem : *non ad vos attendite*, sed videte num sit dolor sicut meus dolor! sed *talis* oppositio verbis non exprimitur, eam supplere audacius est. Alii malunt legere לוּא *utinam ad vos!* sed quid supplendum sit et cur istam suppletionem vates in medio relinquat, pariter obscurum est. Uti *Mald.* iam refert, rabbi Salomon et r. Aben Ezra explicant : *non ad vos* scil. perveniat malum quod ad me pervenit; ne vobis contingat quod mihi contigit! sim. *Vat. Lap.* et *rab.* p. 5. 8. 46; *Chald.* autem : adiuro vos transeuntes, declinate et videte...

Et dolorem et afflictionem pluribus exsequitur v. 13 « *de excelso*

misit ignem in ossibus meis et erudivit me; expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum; posuit me desolatam, tota die moerore confectam »; — quattuor modis ex hebr. afflictio exhibetur : in igne, in reti quo capitur et retrorsum deiicitur, prout venator feram capit, in vastatione, in aegritudine demum et morbo vel in defectione virium omnium. Igne dolor ingens designatur (*Ol.*), quo non modo cutis et caro, sed *ossa*, intima quaeque diris suppliciis crucientur. Poenam divinitus immissam esse iterum monetur. Iam *Chald.* interpretatur de combustione civitatum, alii de incendio quo templum, arces, moenia, quae sint quasi ossa et fulcra urbis consumpta sint (*Mald. Mar. Lap.*). Ad metaphoram et prosopopoeiam potius congruum est explanare ignem perniciem consumentem (*Tir.*) vel febrim qua tabescit, ardorem quo exhauritur (*Calm.*). *Erudire* accipe notione castigandi. In hebr. (et ignis) *dominatus est illis* vel ea subiugavit, cum verbum רָדָה adhibeatur. Proinde ignem coelitus missum vehementer grassatum esse et omnem suam vim exseruisse indicatur. Reti designatur captivitas quam frustra effugere tentavit; capta est et retrorsum deiecta et humi prostrata. In vastatione alio modo describitur spoliatio et destructio bonorum omnium. In languore (דָוָה *languida*) et infirmitate denotatur quam impotens sit ut tantis malis remedium afferat; nisi Deus opem tulerit ruinam reparari non posse.

Hebr. וַיִּרְדֶּנָּה non caret difficultate. Uti scribitur, derivari debet a רָדָה subiugare, dominari; אֵשׁ ignis plerumque femininum est; sed etiam mascul. adhibetur, uti Ier. 48,45. Ps. 104,4; suffixum explica vel positum genere neutro vel sensu collectivo. Vertit *S. Hier.* Symmachum secutus *et erudivit me*; probabilissime verbum explanans ex aramaico רדי, רדא quam vocem etiam *Aquila* secundum syro-hex. secutus est. LXX habent καὶ κατήγαγεν αὐτό; unde legerunt hiphil verbi ירד; idem legit *Syrus* cum suffixo primae personae : et fecit me descendere. Alii alia tentarunt. Punctis mutatis יַרְ' *Then.* vertit : et fecit Deus illum dominari; alii notionem collidendi vel percutiendi ex arabico accersunt (*Ros.*); *rab.* p. 48 vocem explicat ex usu mischnico : et fecit ignem haerere, loco simul allegato 1 Reg. 6,32, quo verbum רדד notione *tegere, obducere* in hiphil adhibetur; sed Ibn Ezra p. 5 vocem interpretatur *et oppressit*, provocans pro genere mascul. אש ad Iob 20,26 et pro notione verbi ad Lev. 25,53 : eandem explicationem sequuntur *Vat. Mald. Mar. Lap. Calm. Schn. Troch. Naeg. Keil* et est ceteris probabilior.

Alia imagine, iugo scil. lorisque impositis, conditio misera et servilis depingitur in quam rigore iustitiae (*Thom.*) redacta est v. 14 « *vigilavit iugum iniquitatum mearum; in manu eius convolutae sunt et impositae collo meo; infirmata est virtus mea; dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere* » ; — *vigilavit* i. e. tempus vindictae advenit (*Hi.*); dicitur vigilare, vel ut *Rhab.* legit, evigilare, quia

tempus diu delatae vindictae tandem advenit (*Rhab.*), id scil. quod diu dormire videbatur (*Bon.*) et similiter explicant evigilare *Radb. Alb.* vel cito venire, festinare, invadere *Mald. Mar. Calm.;* videntur enim, ut *Gord.* dicit, peccata nostra vigilare, dum instanter urgent Deum ad vindictam. Vocem שקד vigilare etiam exprimunt LXX ἐγρηγορήθη ἐπὶ τὰ ἀσεβήματά μου et *Syrus :* excitata sunt contra me peccata mea; hi itaque non legerunt עֹל *iugum*, sed על, עלי. Textus mas. fert ἀπ. λεγ. נִשְׂקַד, quod explicant : compactum vel colligatum est iugum iniquitatum mearum. Sensus exsistit aptus et facilis : iniquitates sunt quasi lora et vimina; haec manu Domini convoluta sunt et iugum collo imponitur, cuius pondere et rigore cervix deprimitur viresque infirmantur (cf. *Mald. Mar. Malv.*). Tradita est urbs in manum i. e. in potestatem talem, cui nequeat obsistere; iugo illo depressa et viribus plane destituta est ita ut sine peculiari Dei ope iam non valeat surgere. Instaurationem igitur unice deberi gratiae Dei gratuito oblatae et fidelitati eius in promissis servandis iterum declaratur, sicut poena quoque a Domino inflicta describitur. Hebr. melius iungitur secundum accentus *mas.* et ratione habita aequalitatis membrorum : ligatum est iugum manu eius i. e. ipse Dominus aptavit et imposuit iugum (*Mar.*). *Chald.* habet : aggravatum est iugum iniquitatum mearum. — Iniquitates esse quasi funes vide quoque Is. 5,18.

Quantopere vires sint confractae et contritae, ulterius declaratur; ii enim per quos hostes superari et respublica instaurari posset iacent prostrati v. 15 « *abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei; vocavit adversum me tempus ut contereret electos meos; torcular calcavit Dominus virgini filiae Iuda* »; — omnes viros fortes (hebr.) in quibus gloria et salus civitatis consistit Deus abstulit, protrivit (*Lap.*); indixit contra urbem festivitatem (hebr. *Mar. Schn. Troch. Naeg. Keil*) i. e. magna celebritate et frequentia quasi ad diem festum convocavit gentes iisque indixit sollemnitatem, ut scil. magna exsultatione irruerent in viros fortes urbis et iuvenes (hebr.) eius contererent; proinde omnes illos qui urbem defendere vel restituere possent strage crudeli prosternerent. Quam magna strages fuerit, in torculari declaratur; « persaepe Scriptura divina comparat gravissimum supplicium cum torculari, eo quod in torcularibus omnes uvae conterantur, ita ut ne acinus quidem unus ut plurimum effugiat » (*Theod.*). Itaque celeusma, hedad, vocavit super urbem; vide ad Ier. 25,30. Is. 16,9; 63,3; de virgine filia Iuda vide Is. 37,32; 47,1. Ier. 14,17; 18,13; 31, 4; 46,11. Nota Deum auctorem cladis designari quae illata sit populo.

Robur populi contritum esse deplorat v. 16 « *idcirco ego plorans et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator,*

convertens animam meam; facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus »; — cum emphasi repetitur *oculus meus, oculus meus* (hebr.); cf. Ier. 4,19; 6,14; 23,25; eam repetitionem non habent LXX, *Syrus* ponit numerum pluralem : oculi mei deducentes aquas, *Chald.* duo oculi mei fluunt lacrimis. Animam *convertere* explica confortare, recreare, vel ut in v. 11 *S. Hier.* vocem hebr. vertit refocillare. Hoste praevalente filii Sion quasi vastatione et desolatione absumpti sunt; de voce hebr. vide v. 13. Unde Sion expansis manibus et doloris magnitudinem testatur et opem efflagitat v. 17 « *expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam; mandavit Dominus adversum Iacob in circuitu eius hostes eius; facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos* »; — quia Deus frustra expandit manus suas tota die ad populum incredulum (Is. 65,2) eum invitans ad resipiscentiam (cf. Ier. 25,2 seq.), nunc Sion quoque frustra expandit manus ad quaerendam opem et consolationem; e contra Deus mandavit gentibus in circuitu ut eam opprimerent et affligerent, quod mandatum utique gnaviter exsequebantur, ita ut Ierusalem fieret in abominationem et foeditatem inter eos, quasi mulier menstrua passa; de voce נִדָּה vide ad v. 8. Igitur tantum abest ut ei afferant consolationem, ut eam quasi saniem turpissimam abominentur. Alii in manuum expansione deliquium exprimi censent quo morti proxima viribus dissolutis collabitur (*Ol. Lap. Tir.*); plerique tamen eo gestu auxilium et misericordiam efflagitari existimant.

Sola vexatio intellectum dabit (Is. 28,19); iam enim confitetur iudicis iustitiam et iustam in se ferri sententiam agnoscit (*Rhab. Thom. Bon.*); docet igitur vates qualis fructus ex poena exoriri debeat v. 18 « *iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi; audite obsecro universi populi et videte dolorem meum; virgines meae et iuvenes mei abierunt in captivitatem* »! — antea quippe « non audistis me, dicit Dominus, ut me ad iracundiam provocaretis » (Ier. 25,7); atque quantopere hanc in se experiatur iracundiam Domini, iterata obtestatione profitetur magnitudinem doloris coram omnibus affirmans omnesque populos tamquam testes advocans sibi talia contigisse qualia nunquam alii; idemque prosequitur in v. 19 « *vocavi amicos meos et ipsi deceperunt me; sacerdotes mei et senes mei in urbe consumpti sunt, quia quaesierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam* »; — miseriam in memoriam revocat quam experta est in omni ordine : ii qui pulchritudine et robore excellunt et in quibus omnis spes civitatis collocatur, virgines et iuvenes in miseram captivitatem expulsi sunt vel morte interempti (v. 15); ii qui dignitate sua sacra vel sapientia, auctoritate, aetatis verecundia honorem et reverentiam sibi vindicant,

sacerdotes et senes, fame consumpti misere interierunt in urbis obsidione; כִּי explica *quando*, non *quia* quaesierunt cibum; quo tempore frustra imploravit *amasios* suos (hebr.) i. e. populos quibuscum antea foedera inierat; isti eam deceperunt, sicuti Aegyptii qui re infecta domum redierunt non ausi cum Chaldaeis congredi (Ier. 37,6); frustra quoque foedera illa erant de quibus Ier. 27,3 (*Calm.*). Ita plerique explicant; *Theod.* nomine amasiorum idola designari censet, id quod verum est eo sensu, quia fortitudo et potentia populi adscribebatur deo eius, unde opem populi implorare erat quasi ad deum eius confugere; porro Iudaeos revera in idolis spem posuisse non uno loco reprehendunt prophetae; « ubi sunt dii tui quos fecisti tibi? surgant et liberent te in tempore afflictionis » (Ier. 2,28; 11,12. Is. 2,20). *S. Ephr.* vel idola et pseudoprophetas (ut *Ol.*) vel Idumaeos et gentes vicinas significari ait. Ab amicis decepta et derelicta illud experta est quod vates 2,26. 36. 37 praedixerat.

Verum deiecta a vana spe discit quem unice debeat adire cum fiducia; nam uti Ieremias indicat 9,23, fulcra humana ideo auferuntur, ut unice ad Deum confugiant. Hoc itaque documentum ex afflictione colligatur oportet; quare v. 20 « *vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus; subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum; foris interficit gladius et domi mors similis est* »; — hebr. *viscera mea effervescunt,* quasi igne ardentissimo uruntur (cf. *Malv.*) et de voce vide Iob 16,16; cor sese versat vel invertitur et contorquetur; iam in visceribus aestuantibus et in corde vehementer agitato dolor maximus describitur. Sequitur in hebr. *quia rebellando rebellavi, foris orbat gladius* (*Vat. Mar. Malv. Lap. Calm.* et recentiores); ponitur enim verbum מָרָה quod *S. Hier.* alibi vertit ad iracundiam provocare (v. 18. Ier. 4,17), esse incredulum (Num. 20,24), exasperare (1 Reg. 12,15 etc. cf. Ez. 2,5. 6). Quae notio h. l. melius retinetur, quia confessionem culpae exprimit et sententiam subsequentem bene inducit. Uti 4 Reg. 14,26, ita hic quoque vocem accepit *S. Hier.* eodem sensu ac מרר, cum duo haec verba quandoque inter se commutentur (cf. Ex. 23,21). Sequitur in hebr. *domi sicut mors;* sed ut sensus habeatur, legi oportet cum LXX ὥςπερ θάνατος ἐν οἴκῳ vel *sicut domi mors* i. e. fames et pestis; recolitur miseria obsidionis : quia Iuda rebellis erat, gladio, fame, peste plurimi interempti sunt. *Chald.* habet : intus occidit fames, sicut angelus disperdens qui constitutus est super mortem. Idem lamentatur Ieremias : si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio, et si introiero in civitatem, ecce attenuati fame (14,18) et Ezechiel : gladius foris, et pestis et fames intrinsecus (7,15); cf. Deut. 32,25. Ex quibus locis elu-

cet qualis mors intelligenda sit. — Alii verba hebr. *domi sicut mors* ita explicari posse censent, ut dicatur : domi orbat id quod est tamquam mors, aliquid scil. quod est tamquam mors, pestis, fames et generatim variae mortis species (*Vat. Mald. Schn. Then. Keil*); aliter *Mar.:* domi est sicut mors i. e. vita morte est peior; immo alii : domi plane est mors (caph veritatis; cf. *Malv.*).

Ad propriam miseriam accedit irrisio hostilis; quare adversariorum accusat culpam (*Thom.*) v. 21 « *audierunt quia ingemisco ego et non est qui consoletur me; omnes inimici mei audierunt malum meum, laetati sunt, quoniam tu fecisti; adduxisti diem consolationis et fient similes mei* »! — « et hoc maximum illi dolorem ingerit quod eam inimici derident, quasi spe frustrata a Domino suo hanc haberet calumniam » (*Rhab.*); iam enim durum est nostram miseriam sciri ab adversario. Hebr. *adduxisti diem quem annuntiasti* (cf. *Vat. Mald. Mar.* et recentiores); propter sententiam subsequentem oportebit explicare : certissime adducis vel adduces diem, quem praenuntiasti, diem scil. punitionis adversariorum qui multiplici oraculo etiam a Ieremia praedictus erat, et tum erunt in eadem poena quae nunc mihi imponitur; ita fere *Mald. Mar. Malv. Lap. Calm. Schn. Troch. Then. Keil,* unde in *vulg.* dies dicitur *consolationis* (dies occursus קראת? *Mald.*); nam : laetabitur iustus cum viderit vindictam (Ps. 57,11); ea enim punitione quam Deus promisit et instauratio populi futura comprobatur et adversarii qui Domini potentiam spernunt Domini gloriam agnoscere debent. — Alii diem explicant de ruina urbis praedicta (*Vat. Naeg.*), ut sensus sit : sicut in me implesti minas, ita eas quoque implebis in adversariis. Sed tum expectaremus in conformatione sententiarum vel comparationem vel oppositionem efferri. Neutrum fit; unde altera acceptio est praeferenda. Adde quod ad carminis structuram magis consentaneum est, ut novum hoc argumentum imprecationis in inimicos membro introducatur duplici, quam solo illo perbrevi quod ultimo loco legitur. Iam *Syrus* vertit *adduc diem* et hanc acceptionem etiam *rab.* p. 10 praefert (dum p. 52 altera proponitur).

Idem efflagitat, ut scil. vaticinia in adversarios opere compleantur, in v. 22 « *ingrediatur omne malum eorum coram te et vindemia eos sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas; multi enim gemitus mei et cor meum moerens* »! — precatur, ut Deus memor sit omnis iniquitatis eorum : *veniat omnis iniquitas eorum ante faciem tuam et fac eis sicut fecisti mihi* (hebr.) de verbo עולל vide ad v. 12; *vindemiare* exprimunt LXX quoque. Atque ut Deus iustam in eos vindictam exerceat, denuo ei proponit quid ipsa sustineat : dolor et ex-

terne manifestatur plurimis suspiriis et interne cor efficit *languidum* (hebr.) i. e. omnem vim et vigorem vitalem exedit et absumit. Cur Deus puniat, eadem affertur ratio (*enim*), quae ab ipso Deo profertur : ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere et vos quasi innocentes et immunes eritis? non eritis immunes (Ier. 25,29); proinde : quia mihi non pepercisti, ne parcas inimicis! quare aliqui immerito avellunt *enim* a sententia antecedente et ad petitionem in v. 20 referunt (*Naeg. Keil*); idem nexus effertur a Ieremia 10,25, quare hic quoque iam propter collocationem retinendus est cum *Theod. Mar. Men.*; « sicut contemplatus es, inquit, iniquitatem meam, ita etiam intuere impietatem eorum » (*Theod.*); *S. Bon.* adnectit *enim* ad *vindemiavit* ut declaretur qualiter vindemiaverit. Iustum igitur Dei iudicium in hostes efflagitatur, in qua petitione nihil est quod reprehendas; ceterum vide de eiusmodi locis quae disputat *Cornely*, Introd. II 2 p. 120 seq.

2. *Carmen alterum. Cap. 2.*

ARG. — Iudicium quo Deus urbem et regnum prostravit accuratius per singula describitur : omnia quibus olim urbs erat inclyta destructa sunt et igne absumpta : arces, moenia, aedificia magnifica, turres; sanctuarium quoque et arca et altare sunt dissipata; rex, principes, prophetae, senes, virgines, omnes pariter sunt afflicti summopere (2, 1-10). De tanta totius regni ruina vates quam maxime dolet morte miserrima parvulorum commotus et commemorans casum et moestitiam urbis omni cogitatione maiorem, fraudes pseudovatum quibus seducta est, exsultationem et tripudium adversariorum de eius castigatione : quibus omnibus minae a Domino olim nuntiatae in opus sunt deductae (2,11-17). Verum spes non est abiicienda; quare urbs monetur, ut lacrimis et precibus Deum obtestetur suamque miseriam ei supplex pandat; urbs obsequitur et afflictione multiplici exposita misericordiam Domini efflagitat (2,18-22).

In hoc altero carmine describuntur accuratius quam in priore adversitates illae quibus respublica est exstincta. Pariter magis effertur dolor et lamentatio de ruina, insolentia hostium et maiore vi admonitio Dominum suppliciter implorandi proponitur. Quare in hoc carmine apta habetur singularum partium gradatio et consentaneus ad plura et graviora processus.

a) **Multiplex poena divinitus inflicta 2, 1-10.**

Quam terribile iudicium Deus in Iudam devolverit, declaratur tribus

modis : caligine densa, praecipitatione de coelo, interitu arcae foederis v. 1 « *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion; proiecit de coelo in terram inclytam Israel et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui* »! — caligo rerum adversarum imago est, uti lux laetitiae et felicitatis. Olim gloria Dei populo apparuit et gloria Dei in nube lucida obtexit tabernaculum foederis; nunc autem tenebris involvit urbem et saeva tempestate in ira sua eam afflixit; filia Sion i. e. urbs Ierusalem erat gloria Israel et insigne decus (hebr.), fulgens quasi sidus lucidum in coelo i. e. pulchritudine sua eminens super omnes urbes regni; sed de coelo, de culmine dignitatis et potestatis (*Thom.*), de altissimo dignitatis gradu (*Mald.*) deiecta est in imam miseriae et contemptus conditionem. Talem enim aspectum praebent ruinae et domus combustae et moenia diruta, si haec cum aliis civitatibus adhuc incolumibus comparantur. Pro regia dignitate et principatu iam ceteris est abiectior. Modus loquendi aptatur ad Is. 14,12 : quomodo cecidisti de coelo, lucifer, qui mane oriebaris; sim. Abd 4 : si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus (*Calm.*). Neque illa gloria sanctitatis quam urbs e templo et arca foederis iure sibi attribuit ei quidquam profuit; Deus enim nulla ratione habita arcae supra quam in medio cherubim adesse et quandoque in nube lucida suae praesentiae documentum edere dignabatur, urbem et templum vastationi hostium permisit. *Scabellum pedum* est arca foederis; vide 1 Par. 28,2. Ps. 98,5 (*Sa, Lap. Men. Tir. Schn. Troch.*); de medio enim cherubim duorum quae erant super arcam testimonii Deus se praecepturum et locuturum promiserat Ex. 25,22. Sensu latiore potest sanctuarium ita vocari, ut Ez. 43,7 : locus solii mei et locus vestigiorum pedum meorum (*Theod. Ol. Thom. Alb. Bon. Mald.*); ita *Chald.* quoque domum sanctuarii explicat et *S. Ephr.* templum ubi steterunt pedes angeli. Non est *recordatus*, non rationem habuit, ita dicitur cum allusione ad vanam fiduciam qua sibi olim blandiebantur sperantes Deum nunquam traditurum esse hostibus sanctuarium suum (cf. Ier. 7,4 seq.).

Impletum est igitur quod minatus erat vates verbis Domini : faciam domui huic, sicut feci Silo et proiiciam vos a facie mea (Ier. 7,14. 15) : v. 2 « *praecipitavit Dominus nec pepercit omnia speciosa Iacob; destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda et deiecit in terram; polluit regnum et principes eius* »; — hebr. *absorbuit* vel devoravit i. e. funditus perdidit Dominus *omnia domicilia* vel campos herbosos Iacob; de voce נְאוֹת vide Ier. 9,10; 25,37 (arva); interpretatio *speciosa* quam LXX quoque et *Chald.* exprimunt declaratur ex נָאוָה Cant. 1,5; 2,14; 4,3. Ruina describitur tribus : in domiciliis vel campis de-

letis, in munitionibus vel arcibus deiectis, in regno et principibus profanationi traditis; cum enim solium regni Iuda esset solium Iahve super Israel vel solium regni Iahve (cf. 2 Reg. 7,26. 1 Par. 17,24; 28, 5), regnum erat speciali ratione sacrum Deo, et reges et principes dignitate quadam sacra erant insigniti, uti theocratiam decebat; quare regnum et principes dare in potestatem gentium erat eos profanare, spoliare dignitate theocratica, sicut dicitur Is. 43,28 : contaminavi principes sanctos. LXX non regnum, sed *regem eius* praebent; pariter *Syrus* reges eius. Sacra haec regis regnique dignitas commendatur eo quod reges Iuda uncti Domini vel christi Domini appellantur. Proinde sicut in v. 1 ita hic quoque ira Dei quanta fuerit praecipue in eo ostenditur quod ne iis quidem pepercit quae ipsi consecrata erant.

Atque quomodo ruinam illam effecerit, describitur v. 3 « *confregit in ira furoris sui omne cornu Israel; avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici et succendit in Iacob quasi ignem flammae devorantis in gyro* »; — primo enim omne id quod est *cornu* i. e. robur, fulcrum, abscidit et amputavit (hebr.); cf. Is. 3,1 ; dein manum suam potentem qua eousque populum labantem protexit ac sustinuit, cum hostes irruerent subtraxit, opem et praesidium abstulit et vastissimo incendio omnia absumpsit. Subtracto igitur auxilio et humano et divino flamma vorax libere grassata est. Dexteram *Dei* explicat *Theod.* : « ingruentibus enim hostibus noluit adiuvare; sed videbatur generoso duci similis qui facile possit hostes fundere et manus in tergum vertat et inimicis concedat victoriam »; pariter *Chald.* : non est auxiliatus populo suo a facie inimici; sim. *Thom. Sa, Men. Tir. Calm. Schn. Troch. Then. Keil;* alii autem dexteram Israel intelligunt, quam Deus verterit retrorsum, debilitarit ita ut hostibus resistere non valerent (*Mald. Mar. Naeg.*); haud male ita verti censet *Lap.* quoque; at prior explicatio erit praeferenda, cum pronomen suffixum in v. 4 indubie ad Deum sit referendum, ergo hic quoque; dein locutio est haud infrequens de dextera Domini, de manu Domini, qua suos protegit, hostes percutit (cf. Ex. 15,6; 33,22. Ps. 17,36; 20,9; 43,4 ; 59, 7; 76,11 etc.); unde propius adiacet de ope divina cogitare negata, si audis dici Dominum dexteram subtraxisse ; adde quod hac acceptione apta habetur gradatio, quae vix cernitur in altera. Bene dicitur *rab.* p. 55 : avertit dexteram suam quae fuit eousque scutum super Israel, uti legitur : dextera tua magnificata est in fortitudine, dextera tua, Domine, percussit inimicum (Ex. 15,6).

Immo Deus tamquam bellator cum hostibus pugnavit contra Israel; olim quidem hostes Israel, Aegyptii, clamabant : Dominus pugnat pro eis contra nos (Ex. 14,25); at nunc impletum est quod Dominus mi-

natus erat : et debellabo ego vos in manu extenta et in brachio forti (Ier. 21,5) v. 4 « *tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiae Sion, effudit quasi ignem indignationem suam* »; — *firmavit,* ita LXX quoque; *Syrus, Sym.* erexit dexteram suam (unde hiphil verbi נצב legisse videntur); hebr. *stetit dextera sua ut hostis* i. e. pugnat contra eos dextera sua; omni armorum genere utitur; eminus sagittis, cominus gladio eos impetit; ita prostravit quaecumque sunt deliciae vel oblectamenta oculorum (hebr.). Cum verbum הָרַג etiam sensu latiore usurpetur, uti Ps. 78,47, non solum de occisione iuvenum erit cogitandum, sed de interitu et perditione rerum omnium quibus oculi delectantur. Furor Dei est ignis consumens et devorans; de ea locutione vide Ier. 6,11; 10,25; 42,18. Ez. 22,31; « ostenditur in ea poenae magnitudo : quantum ad copiam sive numerum *effudit,* et quantum ad acerbitatem *quasi ignem,* vel quantum ad speciem quia civitas combusta fuit » (*Thom.*).

Destructionem urbis et templi quod erat centrum regni et cultus divini etiam in subseq. per singula lamentatur v. 5 « *factus est Dominus velut inimicus, praecipitavit Israel, praecipitavit omnia moenia eius, dissipavit munitiones eius et replevit in filia Iuda humiliatum et humiliatam* »; — hebr. *absorbuit* vel deglutivit i. e. penitus destruxit Israel et *omnia palatia eius... multiplicavit in filia Iuda luctum et moerorem* i. e. plurimum tristitiae et lamentationis ei creavit (cf. *Mald. Mar. Calm.*); eodem sensu explica versionem latinam : viros ac mulieres magno numero humiliavit et afflixit in Ierusalem. Et quod magis lamentatione dignum est, ne sanctuario quidem parcebatur, in quo quam maxime confisi erant (Ier. 7,4) v. 6 « *et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum, et in opprobrium et in indignationem furoris sui regem et sacerdotem* »; — hebr. proprie vim vel violentiam intulit tugurio suo quasi horto, i. e sicut hortus inutilis et infructuosus destruitur (*Alb.*); igitur locum habitationis suae repulit; demolitus est tabernaculum suum, מוֹעֵד proprie locum *conventus;* unde templum designatur voce priore tamquam habitatio Dei, voce altera tamquam locus ubi coetus sollemnes celebrantur et populus se Deo sistit et Deus cum populo suo bona sua communicat. Templo destructo familiare illud commercium sublatum est; id in membris quoque sequentibus exprimitur cessatione festivitatis et sabbati. Hebr. *et abiecit* vel respuit *in ira indignationis suae regem et sacerdotem;* eo ipso quod sollemnitates abstulit et earum memoriam delevit (hyperbolice dictum est ad dolorem significandum), etiam eos

respuit et despexit quorum erat templo et festis providere. Uti scil. David rex thesauros collegit et Salomon rex ex iis templum aedificavit, ita postmodum quoque regibus videtur cura incubuisse templi sustentandi et instaurandi (cf. 4 Reg. 12,4 seq. 15,35; 18,16; 22, 4 seq. 2 Par. 29,3). Quemadmodum igitur templum et festivitates, ita regnum quoque dissolvit Dominus i. e. integram theocratiam ruinae devovit et ignominia affecit.

Prius membrum varie concipitur. Quomodo comparatio cum horto sit accipienda obscurum est. LXX habent *sicut vineam*, ubi forte cogitare licet de destructione vineae quam Deus praedicit Is. 5,5. Alii in comparatione cernunt exprimi quam *facile* Deus firma templi moenia deiecerit, sicut si quis hortum devastet et sicut hortus vastatus triste quid prae se ferat, ita ruinas templi (*Naeg.*); alii durum illud ac barbarum designari censent quod in vastatione horti habeatur; alii vertunt alio modo : vastavit habitationem suam quae erat veluti hortus; at verba hanc versionem non admittunt. *Then.* ita : vastavit hortum tabernaculi sui vel id quod ratione habita tabernaculi erat veluti hortus i. e. atria templi quae atria poetice dicantur *veluti hortus* palatii regis Domini; quae explicatio nimis est subtilis neque obvia. Alii tentarunt vertere : transtulit velut horti tugurium suum i. e. sicut tugurium horti quod collectis fructibus deseri et deiici soleat (*Mald. Vat. Lap. Calm.*). Alii supplent : sicut hortum qui direptus est sepe remota (*Tir.* sim. *rab.* p. 14. 56) vel : sicut qui hortum aliquem in agrum fructiferum vult convertere omnes eius plantas aut exscindit aut evellit (*Men.*), quae omnia longius petita sunt. Demum sunt qui שֹׂךְ *sepem* interpretentur ; abripuit suam ut horti sepem; at cum ס et שׂ quandoque inter se commutentur, hoc ἁπ. λεγ. erit explicandum sicut סֹךְ quae vox ubique tugurium, casam significat et Ps. 76,3 de sacra domo Dei usurpatur (in *vulg.* : et factus est in pace locus eius : hebr. et factum est in Salem tentorium eius).

Profanationem sanctuarii etiam distinctius delineat v. 7 « *repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae; tradidit in manu inimici muros turrium eius; vocem dederunt in domo Domini sicut in die sollemni* »; — hebr. potius fastidivit, abhorruit altare; taedio affectus est de sanctuario suo; ad quod fastidium iam illud refertur : numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista? et : holocautomata vestra addite victimis vestris et comedite carnes (Ier. 7,11.21)! En quomodo templum et altare repudiet propter populi iniquitatem! Hebr. *tradidit in manum hostis muros palatiorum eius;* cum in antecedentibus et in subsequenti quoque membro sermo sit de templo, etiam *palatia* referri oportebit ad templum (*Alb. Bon. Thom. Lap. Schn. Keil, rab.* p. 14); intelliguntur aedificia sanctuario adnexa, gazophylacia in atriis (cf. 3 Reg. 6,5 seq. Ier. 35,4; 36,10. Ez. 41,5 seq. 42,1 seq.). Sicut in magna sollemnitate carmina et cantica laudis in templo audiebantur (2 Par. 5,13; 7,3), ita iam ibi perstrepunt iubilationes et clamores hostium de victoria parta, qua

exsultatione profana in loco sacro palam fit Deum repulisse templum, ut olim tabernaculum Silo (cf. Ier. 26,6).

Simul cum templo urbs sancta est destructa et combusta (4 Reg. 25,9. Ier. 52,13) v. 8 « *cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion, tetendit funiculum suum et non avertit manum suam a perditione; luxitque antemurale et murus pariter dissipatus est* »; — firmo consilio et deliberate opus demolitionis Dominus peregit, quae destructio ut ad normam fieret exactissimam, *extendit regulam* scil. vastationis, ut plane destruatur et complanetur quasi ad filum (*Lap.*) et solo aequetur ad libellam (*Calm.*); de locutione vide ad Is. 34,11; impletum est itaque quod Deus minatus erat : et extendam super Ierusalem funiculum Samariae et delebo sicut deleri solent tabulae et delens vertam et ducam crebrius stylum super faciem eius (4 Reg. 21,13). Neque medio in opere cessavit nec manum removit donec perficeret; ad emphasin augendam haud raro duplici modo, affirmatione scil. et sententia negativa, eadem res asseritur; verum hic praeterea connotatur Deum qui quandoque minas suas non opere complevit, uti cum Ninivitis, talem favorem urbi suae non praestitisse; id quod ad dolorem augendum apte innuitur. Et quomodo manum non averterit, dicitur hebr. : *et fecit lugere propugnaculum et moenia; pariter diruta sunt;* vallum et moenia miserandum praebent aspectum, dum scil. eversa et dissipata iacent et ita moerere, languere, tabescere videntur, prout verbum hebr. אמלל significat.

Quae moesta conditio et desolatio pluribus proponitur v. 9 « *defixae sunt in terra portae eius, perdidit et contrivit vectes eius, regem eius et principes eius in gentibus, non est lex et prophetae eius non invenerunt visionem a Domino* »; — hebr. portae *submersae* sunt (*Mald.*) vel ruderibus obrutae et sepultae in terra. In portis saepe iudicia et comitia celebrabantur (Deut. 21,19. Ruth. 4,1. 11), in portis magnam partem fortitudo et securitas urbis consistebat; quare speciali luctu donantur; revocatur in memoriam quot et quantis praesidiis urbs munita et clausa fuerit, quae tamen omnia ille ipse qui dedit everterit ac confregerit. Et sicut munimenta regni externa destruxit, ita regem quoque et principes expulit et ad gentes eiecit; iam tota illa institutio quam Deus lege sua condidit prostrata iacet, cum ordo civilis et sacerdotalis et tota reipublicae ratio sit dissoluta. In cuius rei signum simulque ad Dei indignationem testandam ne prophetae quidem accipiunt visionem a Domino qua plebem miseram transmigrantium solentur. Cum enim antea noluerint obedire monitis prophetarum, iure oracula prophetarum iis subtrahuntur. At hanc privationem non adeo diu durasse, ex Ier. 42,4 seq. colligitur; insuper in Baby-

lonia iam exsistebant prophetae Ezechiel et Daniel. — Deploratur igitur totam formam theocraticam esse dissolutam, omnia instituta et civilia et sacra esse amota et abolita. Quare summus luctus ac dolor occupat eos qui superstites sunt v. 10 « *sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion; consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis; abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem* »; — eorum deflet miseriam, ut *Thom.* notat qui sunt miserabiles et quorum dolor ac moestitia alios magis ad commiserationem provocare solet, senum et virginum. Illis enim aetate maior conciliatur reverentia, has autem flos ac venustas iuventutis commendat. Signa exhibentur summi doloris et luctus; cf. Iob 2,8. 12. Mich. 1,10. Prae moestitia lugubrem habitum assumunt. Olim filiae Sion frustra reprehensae sunt quod elevatae sunt et ambulant extento collo et vanissime se ornant; nunc impletum est quod illis superbis ac mollibus Dominus minatus erat (Is. 3,16-4,1. *Mald. Mar.*).

b) **Commiseratio de miseria 2, 11-17.**

Tantae stragis testis propheta non potest non intimis visceribus commoveri et qui iam oracula de clade futura suis est lacrimis prosecutus (Ier. 9,1), multo magis deflet et lamentatur ruinam quam iam oculis cernit completam v. 11 « *Defecerunt prae lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meum super contritione filiae populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi* »; — « videns propheta nimiam contritionem gentis suae ingenti dolore turbatus fletu maximo deplorat, ita ut oculi prae lacrimis deficiant » (*Rhab.*). Dolorem declarat oculis iam vi et copia lacrimarum exhaustis et quasi consumptis et maxima viscerum aestu et quasi ebullitione, in quibus scil. sedes esse concipitur affectuum; vide Is. 16,11. Ier. 31,20. Quare luctum exhibet expressum sensibus externis internisque et in iis residentem. Qua moestitia crucietur, significat in effusione iecoris; iecur enim tamquam pars viscerum ex praecipuis una quasi pro sede vitalis vigoris habebatur (cf. Prov. 7,23); unde prae moeroris magnitudine ipsam fere vitam effundi ac exstingui perhibet; vide locutionem haud absimilem Iob 16,13. Effusione iecoris hyperbolice ingentem dolorem significari iam *Mald. Sa, Mar. Lap. Malv. Men. Tir.* docent; solum defectum alacritatis et fortitudinis declarari *Naeg.* haud recte censet, nam ea locutione hominem quasi dissolvi et vim vitalem effundi dicitur. Maxime autem commovetur vates miserabili sorte parvulorum, quam pluribus prosequitur v. 12 « *matribus suis dixerunt : ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi*

vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum »; — quis enim non intime tangeretur inedia et ploratu tenerae illius atque innocentis aetatis? frustra rogant cibum; fame consumpti iacent in plateis quasi essent gladio hostili interempti; alii in matrum complexu et sinu prae inedia vita funguntur. Haec ex ultimo obsidionis tempore, quando iam fames in urbe praevaluit (4 Reg. 25,3. Ier. 52,6) petita sunt, quibus exemplis ad commiserationem aptissimis simul explicatur ad quale culmen calamitas pervenerit.

Unde infert miseriam urbis cum nulla alia posse conferri neque ulla comparatione verbisve ullis satis explicari v. 13 « *cui comparabo te vel cui assimilabo te filia Ierusalem? cui exaequabo te et consolabor te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui* »? — « desolationis vehementiam dupliciter manifestat, quia scil. inaestimabilis, secundo quia est irremediabilis; prius ostendit quia nullus alius dolor isti comparabilis est nec in acerbitate nec in quantitate » (*S. Bon.*). Neque potest plaga leniri consolatione ex comparationibus aliorum (*Thom.*) quibus simile quid acciderit; est enim solatium qualecumque misero habere socium in poenis (*Lap. Tir.*). At sicut nulla aquarum copia mari potest comparari, ita nullus est dolor qui cum dolore Sionis conferri possit (*Mald. Lap. Tir.*); mare mole et amaritudine super omnes aquas praecellit, et sicut omnia flumina intrant in mare, ita omnia malorum genera illata sunt Iudaeae (*S. Bon.*); sed, ut *Calm.* notat, eius locutionis vis qua malorum oceanus, doloris inundatio, cruciatuum mare significatur, qualibet explicatione infirmatur potius quam declaratur.

Hebr. in primo membro est *kethib* אעודך; legi oportet *qeri* אֲעִידֵךְ; cum עיד in *qal* sit inusitatum; unde: *quid testimonii tibi dabo?* cf. Iob 29,11 et de eadem constructione grammaticali 1 Reg. 21,10. Sensus esse videtur: quale testimonium de te dicam? quibus utar verbis ut vere et rite de misera tua conditione cuius testis ego sum aequalibus et posteris testimonium perferam? Hic sensus et verbo ipsi maxime consentaneus est neque minus congruit cum subsequentibus et est efficax ad doloris magnitudinem declarandam. Duae aliae explicationes potissimum feruntur: quale exemplum afferam vel quomodo per testes probabo reperiri calamitatem quae similis sit tuae (*Vat. Mald. Mar. Lap. Then.* et sim *rab.* p. 15. 60); vel: quale testimonium propheticum tibi dabo i. e. quo sermone, quo documento te docebo, monebo, castigabo (*Naeg.*), te consolabor et confortabo (*Schn. Troch. Keil*); at dubito num verbum hanc induat significationem quae exemplo simili demonstrari nequit. LXX τί μαρτυρήσω σοι;

Iam subditur praedictae desolationis ratio, ut ait *S. Bon.*, v. 14

« *prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas et eiectiones* »; — bene dicitur *tui*, quibus scil. populus applaudebat et adhaerebat (vide Ier. 5,31 ; 23,16; 27,9. 16) qui non a Deo missi erant sed quos populus fecit somniare (Ier. 29,8 hebr.) i. e. quos populus plausu, laudibus, praemiis inducebat ad ea vaticinanda quae grata erant; « loquimini nobis placentia, videte nobis errores » (Is. 30,10)! Isti prophetarunt vana et *insulsa* (hebr. cf. Iob 6,6)[1] i. e. perniciosa et quae sale veritatis et doctrinae non erant condita, sed quae potius nauseam creant. Et quid defuerit, declaratur : peccata populi non reprehendebant, sed « confortaverunt manus pessimorum; his qui Dominum blasphemant dicunt : locutus est Dominus : pax erit vobis, et omni qui ambulat in pravitate cordis sui dixerunt : non veniet super vos malum » (Ier. 23,14. 17. 18). Si enim veri fuissent prophetae, avertissent populum ab iniquitate, uti Ier. 23,22 hebr. asseritur; quodsi fecissent, utique miseram populi conditionem et *captivitatem avertissent;* de dictione vide Iob 42,10. Ier. 32,44; 33,7. Ez. 16,53 etc. LXX praebent secundum hebr. ἐπιστρέψαι αἰχμαλωσίαν σου. Oraculis eorum populus deceptus et in exsilium demum eiectus est; ita in ultimo membro : *viderunt tibi onera* i. e. oracula plena minis *vana* et fallacia, falsa et inania, dum scil. falso prophetabant adversa multa fore ut hostibus ingruant qui urbem aggredi auderent; populo autem revera talia vaticinabantur quibus tandem effecerunt ut in exsilium eiiceretur. Quod membrum illustratur Ier. 27,10. 15 : mendacium prophetant vobis, ut longe vos faciant de terra vestra et eiiciant vos. Quomodo *onera* in hostes confinxerint, exemplum habes in Hanania : adhuc duo anni dierum et confringam iugum Nabuchodonosor (Ier. 28,2. 11); *eiectiones* autem populo vaticinabantur, dum mentirentur : non veniet rex Babylonis super vos (Ier. 37,18) et dum populum suis oraculis non ad poenitentiam adducerent sed in malo confirmarent.

Ita deceptione pseudoprophetarum factum est quod Ieremias haud semel praedixit fore urbem in derisum et opprobrium (Ier. 18,16; 19,8) v. 15 « *plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Ierusalem : haeccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae* »? — gestus sunt insultantium et irridentium cf. Ier. 25,9. 18; 29,18; 49, 13; 51,37; caput movere vide Iob 16,5. Ps. 21,8. Is. 37,22. Urbem

---

1. תָּפֵל Ez. 13,10 seq. 22,28 dicitur de tectorio, calce tectoria. Sunt qui hic quoque de tali aedificatione prophetarum explicent : talia construunt quae statim pluvia cadente deleantur : sim. *rab.* p. 60 : at id non congruere ad *videre* patet; cf. p. 13.

scil. irrident, quia olim gloriabatur tamquam domina terrae, tamquam a Deo suo locupletata et exornata, quae fundata sit cum exsultatione universae terrae (cf. Ps. 47,3). Uti gentes vicinae antea res prosperas urbis cum invidia prosequebantur, ita nunc eius ruinam cum insolenti exsultatione, irrisione, odio implacabili et vindicta v. 16 « *aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt et fremuerunt dentibus et dixerunt: devorabimus; en ista est dies quam exspectabamus; invenimus, vidimus* »! — diducto ore te irrident (*Vat.*) et maledictiones pleno ore in te effutiunt; dentibus stridere, fremere est furentium et subsannantium; vide Ps. 34,16; 36, 12. Iob 16,10 (*Mald.*). Quanta cum exsultatione videant ruinam urbis, laetis produnt clamoribus: *devoravimus* hebr.; gloriantur quod opem tulerint in urbis ruina efficienda; cf. 4 Reg. 24,2; maximo vindictae desiderio iam dudum hunc diem desiderarunt; nunc tandem cum adsit eorum furor et vindictae appetitus satiatur; quare cum gaudio in voces erumpunt: invenimus scil. quod adeo appetebamus; videmus iam quae diu cupiebamus! cf. Ps. 34,21. Mich. 4,11. Bene notat *Lap.: invenire* est rem consequi et votorum compotem fieri, ut patet Prov. 19,8; *videre* est re concupita frui et pasci; et secundum *S. Bon.* ostendunt indignationem crudelitatis et impiae iucunditatis.

Verum ne sistant in causis humanis, sed ut oculos attollant ad altiores causas Deumque contemplentur monet vates, iustum vindicem venerentur quem diu monentem et minitantem audire noluerint; v. 17 « *fecit Dominus quae cogitavit, complevit sermonem suum quem praeceperat a diebus antiquis; destruxit et non pepercit et laetificavit super te inimicum et exaltavit cornu hostium tuorum* »; — cf. Ier. 23,20; talem quippe ruinam iam olim rebellibus minatus erat Lev. 26,29 seq. Deut. 28,36 seq. 32,24 seq.; similiter prophetae Osee, Amos, Isaias, Michaeas exsilium annuntiarunt. Sed cum *Dominus* ruinam immiserit et castigaverit, spes simul conceditur veniae; nam in illis oraculis antiquis iam spes et promissio continetur instaurationis neque Deus is est qui laetetur in perditione suorum sed qui castiget ut erudiat et salvet. Unde eo versu iam praeparatur subsequens petitio.

c) Obsecrandus est Deus 2, 18-22.

Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit (1 Reg. 2,6) ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo (Deut. 32,39); quare Sion monetur, ut ad Deum recurrat quia cum ipse inflixerit malum, etiam ipse solus salvare potest. Docet vates quomodo poenam subire debeant simul pandens qua via adsit spes rerum me-

liorum v. **18** « *Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiae Sion; deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem, non des requiem tibi neque taceat pupilla oculi tui* » ! — explica : *clamat* cor... ipse enim dolor quem sciunt a Domino inflictum clamor quidam est; talem dolorem ut intimis animorum recessibus persentiscant et continuo ploratu effundant coram Domino monet; ita scil. docet praeparari locum orationi per lacrimas, ut *Thom* ait. Hebr. *murus filiae Sion, deduc quasi torrentem lacrimas* etc.; ita LXX quoque. Proinde vult ut quae perdiderint acerbissime defleant ita manifestantes illa a se maximi aestimari; quo dolore utique se praeparant Deumque movent, ut damna sarciat et ablata restituat. De dictionibus vide 1,16. Ier. 13,17; 14,17. Atque quantum boni in hac doloris coram Deo explicatione contineatur, repetita ostenditur adhortatione v. **19** « *consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum* » ! — nocte quoque qua homines quiescere solent et oblivisci molestias, Sion *clamet;* omnia sua desideria, aerumnas, gemitus penitus effundat, totum cor penitus explicet coram Deo, ergo instanter et constanter Domino res suas et suspiria commendet et explicet. Cor dicitur effundi quando nihil reservatur quod non profundatur et aperiatur coram Deo (*Tir. Lap.*). Auxilium eius ferventer imploret, id quod manibus ad eum sublatis indicatur, *pro anima parvulorum* i. e. ut intuitu tantae miseriae et poenae qua animi parentum iam crudelissime discissi sint deinceps misereatur. Ita rite explicant *Tir. Lap. Men. Naeg.;* alii concipiunt flagitari, ut vita parvulorum fame iamiam morientium servetur (*Schn. Troch.*); verum vide v. 11 neque apte nunc consilium daret pro tempore quod iam praeterlapsum est.

Ex explicatione data sensuque apto elucet primum membrum in v. 18 nulla egere mutatione textus hebr.; insuper textus hebr. versione LXX eo loco omnino fulcitur neque *S. Hier.* alium legit textum, at aliter explicavit. *Syrus* aliter iungit : clamat cor eorum ad Dominum murorum filiae Sion. Neque defuerunt qui textum mutandum esse censerent; in quo tamen negotio varias inierunt vias. Iam *Houbig.* textu offensus emendat : clamat cor eorum, Domine, ad *virginem* filiam Sion; virginem rescribit pro muro! neque enim putat ferri posse, ut moenibus dicatur : fundite lacrimas; « minuitur profecto sacrorum codicum maiestas, dum absurda haec in sacros scriptores conferuntur ». At nonne sat simile est quod habet Isaias : ulula porta (14, 31)? et quod legitur Hab. 2,11 : lapis de pariete clamabit et lignum quod inter iuncturas aedificiorum est respondebit? Audaces igitur eiusmodi metaphorae non statim sunt repudiandae, praecipue in magna affectuum commotione. Alii emendarunt : clamat cor eorum ob *fundamenta* (אַדְנֵי; cf. Ex. 26,19. Cant. 5,15. Iob 38,6) murorum; tu filia Sion descendere fac...; sed cum *fundamenta* moenium in terra absconsa

certe a Chaldaeis non sint effossa et disiecta, minime est cur de fundamentis lamenta tollant! *Then.* pro muro emendat חָנָּם : clamavit cor eorum ad Dominum — *frustra!* at statim sequitur adhortatio, ut clament; ergo clamor non potest immediate antea declarari frustraneus! *Ewald* rescribi vult : *clamores cordis tui ad Dominum* (cf. Ps. 77,2. *Naeg.*). Sed hiscè omnibus carere possumus.

Atque statim Sion adhortationi obsequens preces fundit ad Dominum, quibus docet propheta aequales quomodo orandum sit; v. 20 « *vide Domine et considera, quem vindemiaveris ita; ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmae? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta?* v. 21 *iacuerunt in terra foris puer et senex, virgines meae et iuvenes mei ceciderunt in gladio; interfecisti in die furoris tui, percussisti nec misertus es;* v. 22 *vocasti quasi ad diem sollemnem qui terrerent me de circuitu et non fuit in die furoris Domini qui effugeret et relinqueretur; quos educavi et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos* »! — en, ita effundit Sion cor suum coram Domino, uti iussa erat v. 19. De *vindemiandi* verbo vide ad 1,22; hebr. *cui fecisti ita?* non scil. alienis, sed tuo populo electo, peculio tuo, cui promissiones adeo praeclarae factae sunt. Unde Sion in memoriam revocat Domino quem adeo punierit esse suam ipsius plebem, quam amaverit, quam vocaverit sponsam suam (Ier. 2,2). Et ad quantum gradum miseriae pervenerint, sequentibus interrogationibus effertur. Ita vero ponuntur : decetne, estne aequum ut in tantam nos miseriarum abyssum protrudere patiaris, ut matres filiolos comedere cogantur, ut in ipso sanctuario sacerdotes Deo sancti et legati Dei prophetae ab hostibus trucidentur? Hac itaque interrogatione id quod revera factum est eo modo recolunt, ut ex Deo cum dolore quaerant num non exhibeat nimium severitatis cum permiserit eos adeo obrui miseriis? Ita rem bene concipiunt *Sa, Schn. Troch. Naeg. Keil.* Quod alii explicant : num aliquando tale facinus auditum est? non congruit tempori *imperfecto* quod in hebr. legitur. Modo loquendi potius indicari videtur eos illorum facinorum horrore ita esse perculsos ut non auderent rem ut factam enarrare, sed solum rogare : decetne ut talia fiant? quousque nos affligi et conteri patieris? Ceterum tamquam culmen malorum illis iam a Moyse erat propositum : comedes fructum uteri tui etc. Deut. 28,53 seq. sim. Lev. 26,29. Id iam eventu completum est in obsidione Samariae 4 Reg. 6,28; etiam evenisse in obsidione Ierusalem per Chaldaeos facta colligitur infra quoque 4,10. Bar. 2,3. Idem iis minatus erat Ieremias 19,9. Hebr. טִפַּח in v. 22 vertit *S. Hier.* educare; hoc vero loco טִפֻּחִים *ad mensuram palmae* : parvuli qui unius palmae mensuram habent. Probabilius etiam hic notio *educandi* vel *enutriendi* voci est vindicanda : comedentne

parvulos quos enutrierint (cf. *Mald. Vat. Mar. Calm.* et recentiores); cum טִפַּח dicat palmam, verbum inde derivatum forte significat manu gestare, manu fovere, ut ita notio ad curam parvulorum sit translata.

Dein in v. 21 omnem aetatem et sexum misera caede concidisse lamentantur neque Dominum ullam poenae mitigationem indulsisse, verum undique eum quasi ad celebrem sollemnitatem convocasse *terrores* contra urbem (*Mald. Mar.*); cf. Ier. 15,8; 49,5 : misi super civitates repente terrorem; inducam super te terrorem. Neque quisquam illorum terrorum erat expers; nemo eos poterat effugere. Mater Sion orbata est liberis; vidit eos ab hoste interimi. Ita Sion cor suum effundit coram Domino; hanc miseriam ut Deus videat et consideret efflagitat; sperat enim et confidit fore ut eo aspectu ad commiserationem flectatur; neque enim populum suum abiicit neque in aeternum irascitur. Quare Sion nomen *Iahve* v. 20 invocat, quo scil. nomine foederis pignus aeternum atque inviolabile continetur (vide ad Os. 2,20; 12,5. Ioel 2,32).

3. *Carmen tertium. Cap.* 3.

ARG. — Vates quasi in se ipso totam calamitatem expertus sit a Domino afflictus variis imaginibus depingit quomodo Deus iudex et ultor animadverterit : dicit se virga Domini percussum, in tenebras expulsum, corpore confractum, circumseptum munimentis, ut non possit evadere, compedibus obstrictum, tamquam a feris discerptum, sagittis transfossum, ludibriis et amaritudine satiatum, moestitia obrutum et omni spe destitutum (3,1-18). At tandem ad orationem assurgit; inde novam concipit spem quam variis considerationibus alit et fovet : non esse factam consummationem; inde iam cerni Dei misericordiam; Deum esse perpetuo fidelem, numen tutelare populi electi, esse benignum sperantibus in se; quare cum silentio et patientia salutem Dei esse exspectandam; etiam castigatione hominem erudiri et poenis a Deo ad meliora promoveri; Deum enim iustum nullo modo delectari iniustitia et oppressione; at mala eiusmodi ab eo permitti ad vindictam et poenam peccatorum (3,19-39). Quare humili deprecatione Dominus est adeundus : oportet confiteri iniquitates admissas, quas utique Dominus severe castigavit et nos tradidit opprobriis inimicorum. Sed assidue et cum lacrimis Dominum oportet implorare, donec misereatur, eique incessanter quanta Sion sustineat ingerendum est; hisce iungenda deprecatio, ut salvet et iudicet causam populi et eam tueatur ab adversariis quos pro sua sanctitate persequatur et deleat (3,40-66).

Fere eodem modo rem breviter complectitur *Malv.* : « huius capitis in universum partes praecipuae sunt tres : expostulatio de perpessionibus gravissimis quae Iudaeis obvenerunt, versibus 18; deinde narratio spiritualium certaminum et felicis victoriae quam reportat pius animus ex certaminibus per fidem, inde ad v. 42 usque; postremo oratio piorum ex certaminibus suis fide emergentium, ad finem usque capitis ». Tria in hoc capite advertenda sunt quibus etiam prae antecedentibus eminet : magna quadam dicendi ubertate et maxima varietate imaginum calamitas Sion et populi describitur; at multo excellentius est quod consideratione Dei misericordis et fidelis vates assurgere docet ad spem et hanc spem variis firmisque rationibus alit et auget et quod denique docet quam assidue et ferventer sit ad Dominum clamandum. Unde hoc carmine vates et ostendit quid pii corpore et animis passi sint et eos erudit qua mente res adversas subire oporteat, quae spes sit concipienda, quanto studio et quibus precibus sit ad Deum misericordem confugiendum.

a) Calamitates multipliciter describuntur 3, 1-18.

Iam vates quae ipse perpessus est ac sensit interdum tangit. Et merito quidem. Calamitas enim urbis et populi eum summo afficit dolore et in communi adversitate quomodo ipse liber a molestia et vexatione evadere potuisset? At simul personam urbis et populi induit ea quae omnibus illata sunt in se uno quasi colligens ac repraesentans, simili modo uti breviter iam 2,11. Atque primo quidem effert se non solum afflictiones praedixisse, verum et oculis vidisse et magnam earum partem exsorbuisse (*Tir.*) v. 1 « *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius;* v. 2 *me minavit et adduxit in tenebras et non in lucem;* v. 3 *tantum in me vertit et convertit manum suam tota die* »; — dicit se videre i. e. experiri *afflictionem* (*Vat. Mald. Mar. Lap.*) quam Deus virga indignationis, punitione acerba, inflixit; quam miseriam in v. 2 tenebris confert : me duxit et deduxit in tenebras, in talem rerum adversarum noctem quae nullo lucis radio illustretur, sed quae sit plane caliginosa et horrida. Tenebris afflictionem describi est usitatissimum; vide Is. 8,22; 13,10; 47,5; 59,9. Ier. 23,12. Ioel 2,2. Am. 5,18. Mich. 7,8 etc. Atque quam diuturna sit afflictio et quam consulto immissa, in v. 3 depingitur : nulla alia re Deus occupari videtur quam ut continuo iteratis ictibus eum percutiat; itaque in quantum sit virga *indignationis* declaratur; « morem afflictorum sequitur qui solum suas plagas considerant » (*Thom.*).

« Hic ponit effectum divinae percussionis, sicut livor est effectus virgae » (*Thom.*) v. 4 « *vetustam fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea;* v. 5 *aedificavit in gyro meo et circumdedit me felle et labore*; v. 6 *in tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos* »; — primo afflictionem proponit qua corpus suum sit attritum : *attrivit carnem meam et pellem* (hebr.); immo tantas inflixit plagas, ut ossa quoque confringerentur. Ita percussum et laceratum carcere inclusit durissimo, dum scil. contra eum aedificaret eique circumdaret *venenum et molestiam;* parietes carceris quasi veneno et molestia constabant; iis igitur cinctus et inclusus est, quibus mors molestissima effici debeat; ad huius carceris mortiferi horrores accedunt *tenebrae* adeo densae ut ex ipso orco videantur accersitae ; unde iam eam videtur experiri sortem quae est eorum qui in sempiternum mortui et oblivioni dati sunt. Huius carceris horrores porro proponuntur v. 7 « *circumaedificavit adversum me ut non egrediar; aggravavit compedem meum;* v. 8 *sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam ;* v. 9 *conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit* »; — *circa me sepsit* (hebr.); sepe me cinxit ut evadere non possim ; omnis itaque spes emergendi ex carcere illo horrido ablata videtur; insuper membra contusa et confracta (v. 4) oneravit compedibus et vinculorum pondere; nihil prodest clamor meus, nihil querelae; nam occlusit aditum orationi meae ne ad se perveniret. Ita eum carceri mancipavit profundo, ut ne clamor quidem captivi et vinculis onerati audiatur; ipse quoque obicem ponit deprecationi ne ad aures suas perferatur. Qua re indicatur velle Deum omnino ut afflictio illata per aliquod tempus sine ulla mitigatione perferatur; unde nullam admittere orationem dicitur. Simile habes Ier. 7,16 : tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te (11,14; 14,11. Ez. 14,16). Cum itaque ne preces quidem admitterentur, validis se dicit tribulationibus coarctatum, quasi lapidibus quadris se conclusum (*Rhab.*); vias, semitas i. e. omnia consilia et tentamina et conamina evadendi ex carcere tenebricoso vel minuendi afflictiones Deus non solum obiectis impedimentis reddit inutilia, sed *pervertit,* depravat, in maius eius damnum maioremque poenam cedere facit, in graviorem afflictionem intorquet. — Ad dictiones vide Iob 19,8. Os. 2,6.

Immo Deus eum dirissime persequitur et vulneribus addit vulnera, ita ut nullam quietis partem concedat sed eum doloribus excruciet et inimicis irridendum exhibeat; acerbitas dolorum declaratur in saevitia ferocium bestiarum : v. 10 « *ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis*; v. 11 *semitas meas subvertit et confregit me*; *posuit me*

desolatam[1]; v. 12 *tetendit arcum suum et posuit me quasi signum ad sagittam;* v. 13 *misit in renibus meis filias pharetrae suae;* v. 14 *factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die;* v. 15 *replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio* »; — in urso crudelitas, in leone potestas designatur (*Thom.*); cf. Os. 13,7 : ego ero eis quasi leaena, sicut pardus in via; cf. Am. 5,19. Prov. 28,15 (*Lap.*). Cum in leone designetur animus invictus, terror et fortitudo, haud raro impetus hostiles leoni comparantur : Ier. 4,7; 5,6; 49,19; 50, 44. Ps. 7,3; 10,9; 21,14; 34,17 etc. Hebr. v. 11 *recedere fecit vias meas* a verbo סור (iam *Lap.* et recentiores) i. e. idem quod : me a recta via repulit; me in insidias protrusit et me *discerpsit : ἀπ. λεγ.* פשח ex aramaico explicatur : in frusta secare, dilaniare (cf. *Levy,* Chald. Woerterb. II p. 304; legitur vox in paraphrasi chald. 1 Sam. 15,33. Ps. 7,3). Ita dilaniatus et discerptus est etiam שׁוֹמֵם *vastatus*, destructus, perditus. Neque una hac laceratione Deus contentus est, verum contra dilaniatum tendit arcum suum et repetita sagittarum iaculatione eum vexat et transfigit; in eo quod eum quasi scopum et metam ponit, iaculatio exprimitur quae crebro et certatim fiat (*Calm.*); cf. Iob 6,4; 16,14; sagittis quippe poenae divinitus inflictae saepius comparantur Deut. 32,23. Ps. 37,3. Et quam acerbe iis sit transfixus, dicitur in v. 13. Renes enim simul cum corde Hebraei tamquam sedem vitae et domicilium affectuum considerant; cf. Ier. 11,20; 12,2. Iob 19,27. Ps. 15,7; 72,21. Prov. 23,16 etc. Hebr. sagitta vocatur Iob 41,20 *filius arcus;* h. l. filius pharetrae (sim. Iob 5,7). Eum in modum laniatus et sagittis transfixus non commiserationem invenit, sed insuper opprobriis et dicteriis proscinditur; cf. Ier. 20,7 : factus sum in derisum tota die; omnes subsannant me. Quare undequaque aerumnis impetitus et cinctus se vere dicere potest in v. 15 satiatum amaritudinibus et inebriatum absinthio; cibi igitur et potus instar sibi esse dira supplicia et opprobria; ergo impletum est, quod Deus minatus est Ier. 9,15 : ecce ego cibabo populum istum absinthio et potum dabo eis aquam fellis (23,15. Deut. 29,18; 32,32).

Quod in v. 14 legitur : factus sum in derisum omni populo *meo*, non caret difficultate. Ita enim Ieremias populi in se sustinens personam loqui non potest. Ergone de suis solum aerumnis sermonem instituit? Ita ***Mald. Sa, Calm.*** concludunt. At quae a v. 3 dicuntur, ita conformata sunt ut ad solas Ieremiae aerumnas referri nequeant, nisi maximam assumpseris exaggerationem. Singulae fere metaphorae ex vaticiniis Ieremiae de supplicio po-

---

1. Etiam LXX ἠφανισμένην; ergo subito vox civitatis infertur. In hebr. *vastatum* (*Mar.*).

puli depromptae esse videntur; v. g. de manu Domini percutiente Ier. 6,12; 15,6; 16,21; de contritione 4,20; 5,17; de obsidione 4,16; de tenebris 4,23; de vinculis 27,2; de leone 4,7; de sagittis 5,16; de opprobriis 18,16 etc.; de absinthio et felle 9,15; 23,15. Quare ex his iam colligere licet iisdem metaphoris non unius prophetae, sed maiorem calamitatem nobis proponi. Sed si populi miseria describitur, illud *meo* עַמִּי *populo meo* non est aptum. At lectio haec et apud LXX *Sym. S. Hier. Chald.* veteres reperitur. Ergo illud י est satis antiquum. Iam *Ibn Ezra* י hoc loco tamquam superfluum considerari posse concedit. At hoc modo nodum solvi non posse constat. Alii עַמִּי tamquam formam pluralis apocopatam vendunt (ita *Ewald*, Lehrbuch § 177 a; *Then.*); sed num talis forma merito statui possit, satis dubium esse videtur. Unde satius erit cum multis codicibus apud *de Rossi* scribere עַמִּים : et factus sum derisui omnibus populis, prout *Syrus* quoque habet. Id enim sensu exigitur. Incredibile enim videtur Ieremiam post ruinam cum ipso eventu omnia eius oracula fuerint comprobata, toti populo fuisse derisui; neque quidquam iuvat cum aliquibus (*Troch.*) provocare ad Ier. 41 seq. 43,2; cum ibi de aliis rerum conditionibus agatur. Aliis placet Ieremiam loqui nomine piorum, qui reliquis sint contemptui; forte quia ipsi quoque pii communi calamitate sint obvoluti? Verum eos esse *omni populo* derisui quis credet? Rem utique minuit *Chald.* cui adstipulatur *Keil*: omnibus protervis populi mei; sed ita id quod praecipuum est textui inseritur, quae res sane in explicatione non est laudanda.

Immo v. 16 « *et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere,* v. 17 *et repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum* v. 18 *et dixi : periit finis meus et spes mea a Domino* »! — hebr. v. 16 *comminuit lapillo dentes meos, obruit me cinere* (cf. *Vat. Mald. Mar. Lap. Calm.*); etiam LXX, *Syrus, Aq. Sym. Chald.* exprimunt lapide vel silice dentes esse confractos, id quod interpretes explicant de pane duro, lapidoso vel ac si silicem pro pane accepisset i. e. dure tractatus est veluti si cui famelico non panem porrigeres, sed lapidem; haud absimile habes Ps. 101,10 : quia cinerem tamquam panem manducabam et potum meum cum fletu miscebam. Adeo se afflictum depingit ac si quis rabie famis actus silicem masticare vellet dentesque sibi contunderet. In signum maximi luctus cinere est opertus vel volutatur in cinere; cf. Ier. 6,26. Ez. 27,30. Mich. 1,10. Tantis et tot oppletus miseriis omnem a se recessisse felicitatem, nihil boni vel commodi sibi praesto esse conqueritur; unde secum reputasse ait periisse omnem fortitudinem (hebr. *Vat. Mald. Mar. Lap. Calm.*) i. e. omnem vim vitalem omneque praesidium neque ullam spem sibi relinqui, cum ipsum Deum sibi adeo videat adversum. Declarat igitur in ea rerum difficultate omnibus praesidiis humanis ablatis exstitisse desperationis periculum; depingit scil. in se quali sensuum affectuumque

perturbatione facile multi agitati sint. Verum in subseq. remedium indicat quo animorum desperatio sanetur. Habes simile in Ps. 72,13 : et dixi : ergo sine causa iustificavi animam meam, cui querelae mox ibidem obviam itur. Hisce indicatur quoque humanis subsidiis reparationem et instaurationem nullatenus fieri posse, quae igitur si concedatur, ad Dei gratiam ac benevolentiam erit unice referenda.

LXX habent v. 17 : *καὶ ἀπώσατο ἐξ εἰρήνης ψυχήν μου*; qui dictionis modus conformis est ei quem constanter in antecedentibus observatum videmus : et repulit a pace animam meam. Unde idem modus etiam in hebr. erit restituendus et scribendum יזנח pro *mas.* תזנח; praeter hanc conformitatem ipso usu verbi haec suadetur mutatio; notione enim *reiiciendi* verbum saepius adhibetur; ita supra 2,7 et Ps. 43,2; 44,10; 60,3. 12; 88,15; 89,39; 108,12 etc.; quod alii vertunt *repulisti animam meam* a tranquillitate, admitti nequit, quia haec subitanea allocutio ad Deum neque cum antecedentibus neque cum subseq. apte cohaeret. Alii verbum notione accipiunt intransitiva : pertaesum est animam meam salutis i. e. ita me vitae taedet, ut iam nolim experiri ullam felicitatem (*Then.*); quae tamen notio verbi dubia est, cum unicus locus qui pro ea afferri potest Os. 5,8 aliam quoque explicationem admittat. Quod autem *Keil* contendit 2 Chron. 11,14 hiphil verbi adhiberi sensu intransitivo oppido falsum est; legitur enim ibi : nam repulerat eos Ieroboam הִזְנִיחָם a sacerdotio. — Vox נצח in v. 18 a LXX vertitur νῖκος significatione scil. ex aramaico petita; probabilius erit vox capienda, ut Is. 63,3. 6 de vigore vel vi vitali, ad quem locum iam *Ibn Ezra* p. 18 remittit. Alii vertunt : periit *fiducia* mea (*Ges.* Thes. p. 905; *Then. Naeg.*). In verbo נצח notiones coniungi firmitatis et durationis perpetuae certum est usu vocis perpenso; saepe quoque apud LXX et in *vulg.* vertitur *finis*, uti h. l. id quod explicant : actum est de me, effluxit tempus constitutum vitae meae. Etiam rabbinos aliquos vocem explanare vel de aetate vitaeque tempore vel de stabilitate et bono rerum successu adnotant *Mald. Vat. Lap.*; versionem *vulg.* concipit *Tir.* ad normam locutionum : periit spes mea, periit fuga a me etc. i. e. nullus mihi erit finis miseriarum.

b) Cur spem concipere oporteat 3, 19-39.

« Existimabam ut cognoscerem hoc; labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei » (Ps. 72,16); sicut psalmista docet apud Deum in oratione quaerendam esse solutionem quaestionis cur saepe affligantur pii, impii autem prospere agant, et sicut psalmista in illa animi lucta ad Deum supplex confugit, ita vates quoque, postquam satis superque dolori indulsit, praeclare ostendit quomodo in ipsa hac ruina oporteat se Deo committere et bene de eius misericordia sperare. Docet itaque qua ratione miserias subire deceat. Primum est, ut in oratione ad Deum misericordem confugiant v. 19 « *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis!* v. 20 *memoria memor ero et tabescet in me anima mea*; v. 21 *haec recolens in corde meo ideo sperabo* »; — hebr. *recordare afflictionis meae et vagationis*

meae i. e. quomodo sim a domo mea expulsus et vagans inter inimicos; de voce מרוד vide ad 1,7; de absinthio et felle vide ad v. 15; ita scil. ex v. 1. 15 verba depromens totam miseriam complectitur eamque Deo proponit orans ut eius misereatur. Se autem in v. 20 profitetur continuo memorem calamitatis; unde animus deiiciatur et prae aerumna tabescat; sed v. 21 ex ipso cumulo miseriarum spem concipit fore ut Deus flectatur ad misericordiam. Ita nexum optime concipit *Tir.*; cum enim vi promissionum divinarum certissimum sit populum non iri abiectum, verum fore reparationem et instaurationem, ipso culmine et fastigio malorum (quo scil. maius et magis calamitosum nequit cogitari) spes misericordiae subministratur. Iste nexus facilis est magisque obvius quam si *haec* retuleris vel ad *recordare* (*Mar.*) vel ad rationes spei quae in subseq. proponuntur (*Sa, Lap.*).

Eodem modo textus hebr. concipi debet; primo enim in v. 19 זכר per modum imperativi accipi debet, prout acceperunt *Syr. S. Hier. Aq. Chald.* et plerique recentiorum. Pauci solum infinitivum explicant referentes ad v. 20 : recordatur... recordatur anima mea (*Then.*); sed obstat ipsa forma grammaticalis, cum infinitivus constructus et dein absolutus ponatur, quae mutatio esset satis mira. Porro tanta cum emphasi id efferri quod ex antecedentibus iam satis superque patet scil. *se* recordari miseriae, pariter esset mirum et insuper inconcinnum. Hebr. v. 20 : *recordando recordatur et deprimitur anima mea* vel deiicit se, humiliatur (*Vat. Mald. Malv.* et plerique recentiores); quem sensum *S. Hier.* quoque expressit. Alii תִּזְכֹּר accipiunt 2 pers. imperf. : recordando recordaberis, ita ut precatio ex v. 19 continuetur; ita iam *Syrus*; hanc acceptionem meliorem vocat *Mald.*, eam proponunt *Mar. Calm. Naeg.* et etiam *rab.* p. 74. At haec acceptio excluditur membro altero; nam : recordaberis et deprimetur anima mea, dici nequit; ita autem esset intelligendum secundum formam verbi, ut animi deiectio describeretur tamquam consequens ex membro priore. Huic incommodo mederi voluit *Naeg.* vertens : ut anima mea quiescat, vel consolatione se leniat; at verbum שׁוּחַ vel שִׁית eam habere notionem probari nequit; e Prov. 2,18 (inclinata est ad mortem domus eius, *vulg.*) et Ps. 44,26 (humiliata est in pulvere anima nostra, *vulg.*) prior illa significatio indubie colligitur, quacum notiones vocum שׁוּחָה, שְׁחוּחָה concordant. LXX praebent καταδολεσχήσει ἐπ' ἐμὲ ἡ ψυχή μου; unde שִׂיחַ legisse videntur.

Spem conceptam praeclaris rationibus fulcit et auget v. 22 « *misericordiae Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius*; v. 23 *novi diluculo, multa est fides tua*; v. 24 *pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum* »; — misericordia Domini factum est, ut non plane interierimus; quare in eo ipso quod adhuc superstites sumus, documentum habemus et pignus insigne eius erga nos miserationum, quas nunquam nobis deesse indicat; valet enim illud : sed tamen consummationem non faciam (Ier. 4,27); cf. Is. 1,9. Et quantae sint Dei miserationes, pulcherrime describitur v. 23 hebr.

novae sunt singulis matutinis; nunquam veterascunt; uti lux diei quotidie nobis affertur, ita novae apparent et inexhaustae exsistunt singulis diebus miserationes Dei (cf. *Mald. Vat. Mar. Malv. Calm.* et recentiores), hae autem prodeunt, quia *fidelitas* Dei est magna, ampla, copiosa. Fidelitas Dei seu veracitas est fons ille et thesaurus inexhaustus ex quo novae gratiae perpetuo nobis promanant. Praeclaro modo declaratur frequentia beneficiorum divinorum ac sollicita ac prompta Dei in nos beneficentia. Qua consideratione intime motus vates in v. 24 exclamat : pars mea i. e. sors et portio et hereditas mea est Dominus; ille est omne bonum meum quod toto animo et affectu complector; cf. Num. 18,20. Ps. 15,5; 72,26; 118,57.

Illud *novi* v. 23 in *vulg.* non est verbum *cognovi*, sed refert hebr. חֲדָשִׁים; quare etiam, ut *Lap.* censet, *novi* est retentum in *vulg.*; sed cum in latino *miserationes* praecedant, explicari oportet *novae*. *Mald.* ita legendum esse omnino affirmat, « quia sic Hebraei legunt et sic emendata habent exemplaria et sic LXX quoque transtulerunt » scil. καινὰ εἰς τὰς πρωΐας. *Lucas* brugensis inter alia haec habet : « nostri interpretis versionem esse *novae*, non *novi*, vetera manuscripta loquuntur, quae epanorthotes secutus id approbavit : *novae diluculo*; existimarim pro *novae* minime intellecto verbum *novi* substitutum fuisse ». In commentario *Rhab.* omnino apparet *novi* accipi tamquam adiectivum : « loquitur propheta ad primitivam in Ierusalem ecclesiam laudans speciem eius quae post diluculum resurrectionis Christi veterem hominem exuens *novi* hominis pulchritudinem ortu suo declarabat, cuius etiam multa est fides ». Et *S. Bon.* monet non esse hic verbum, sed nomen; « unde in hebraeis est *novelli*, quia iuxta ordinem alphabeti stare non potest ut sit *novi* pro cognovi ». Tamquam verbum accipiunt *Rad. Thom.*; lectionem graecam aliam praebet *Theod.*: renova eos velut diluculum matutinum. — Bene monent *Mald. Calm.* legendum esse *novae*; alii supplent *novi* effectus misericordiae singulis matutinis (*Tir.*), *novi* fructus misericordiae (*Men.*), *novi* dies quotidie clari et laeti ex tuae misericordiae affluentia nobis illucescunt (*Lap.*); *Bayle* vertit : elle se renouvelle chaque matin; ta fidélité est immense.

Hanc spem aliis considerationibus fovet ac perficit v. 25 « *bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum;* v. 26 *bonum est praestolari cum silentio salutare Dei;* v. 27 *bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua* »; — primo enim commendat spem ex eo quod Deus pro sua benignitate eos benevole suscipit eisque sua effundit bona qui in eum sperant et qui sedula cura et sollicitudine eum quaerunt, colunt, ab eo opem efflagitant. Est bonus sperantibus in eum quia beneplacitum est Domino super timentes et in eos qui sperant in misericordia eius (*Rhab.*). Secundo eum praedicat felicem qui patienter, sine murmuratione, sine querimoniis exspectet salutem a Deo dandam; qui igitur hac certa spe confortatus et Dei voluntati plene subiectus non murmurat de tribulationibus, sed Dei beneplacito acquiescit, ut concedat liberationem et felicitatem, quando

et quomodo ipsi placuerit. Atque ut ad hanc animi patientiam, submissionem, ad hoc affectuum silentium perveniatur, monet tertio quantae utilitatis sit iugum portasse ab adolescentia vel *in adolescentia* (hebr.) i. e. iam in iuventute assuefieri iugo. Iugum cum dicatur in universum sine ullo addito, intellige eodem modo generatim de omni re qua affectus ebullientes et truces et animi commotiones vitiosae reprimuntur et homo servituti divinae mancipatur; proinde iugum timoris Dei (*Thom.*), iugum disciplinae (*S. Bon.*), iugum obedientiae legis et mandatorum Dei (*Chald. Mald. Mar. Lap. Men.*), iugum adversitatum (*Theod. Mald. Lap. Tir. Malv. Schn. Troch.*), quarum multiplicem utilitatem *Calm.* hisce describit: « superbiam coercent, animi robur et constantiam augent, ipsos probant, misericordes, lenes, mansuetos, sapientes, cautos efficiunt ». Indicat igitur vates iugo in adolescentia quam utile sit rebus adversis et lege divina coerceri impetus animorum, reprimi malas concupiscentias, expoliri ac perfici virtutes. Unde praeludit doctrinae de amore crucis quo sancti novi foederis Christi vestigia prementes flagrarunt.

Iam qui ita didicit in iuventute se Deo subdere et tolerare, ille etiamnum in summa adversitate cum patientia cunctis castigationibus se subiiciet quas Deus ultor infligit vel ab aliis inferri sinit v. 28 « *sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se*; v. 29 *ponet in pulvere os suum; si forte sit spes*; v. 30 *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis* »; — talis quippe servat animi quietem inter aerumnas; silet, tranquillus est, fugit turbam, finem malorum et remotionem iugi a Domino impositi inquieto et turbulento studio minime quaerit, *si* vel *quia* Dominus iugum *imposuit super ipsum* (hebr. cf. *Vat.* et recentiores); in textu lat. magis exprimitur ipsum iugum illud patienter in se suscepisse, levasse super se sibique imposuisse. Deinde sub iugo constitutus se Deo plane submittit, humiliat se usque ad terram, more supplicantis se abiicit in terram; ore in pulvere posito sicut summa demissio et habitus supplicantis depingitur, ita pariter omnis murmuratio eo signo excluditur. Ita autem animum induit humilem et patientem, ut simul se spe et fiducia roboret ad patientiam. Haec in v. 29. Immo talis patientiam prae se fert prorsus eximiam et singularem v. 30; opprobria scil. quiete fert et pacate; « alapa enim non solum dolorem, sed ignominiam pudoremque insignem infligit » (*Lap.*). Quo exemplo proposito vates docet quomodo populus eas ferre debeat iniurias et contumelias quae iam ipsi iusto Dei vindicis iudicio pro peccatis infliguntur. In hac patientia bonum contineri insigne, iam v. 26-28 declaravit et in subseq. quoque prosequitur.

Porro quibus se rationibus solentur animosque erigant, itaque quomodo in mediis contumeliis ex fide vivere oporteat, vates praeclare docet v. 31 « *quia non repellet in sempiternum Dominus*, v. 32 *quia si abiecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum*, v. 33 *non enim humiliavit ex corde suo et abiecit filios hominum* » ; — primo enim certissimum est Deum non in perpetuum repudiare populum quem elegit; dein si afflixit, pariter certum est eum iterum misereri et ita quidem ut misericordia longe superatura sit afflictionem; unde dicit : miserebitur secundum copiam et divitias immensas miserationum; cf. Iṣ. 49,15; 51,6; 54,8. Quod ut confirmet, addit Deum non affligere vel deprimere *ex corde suo* i. e. quasi delectaretur poenis inflictis, sed castigat quasi invitus et coactus; proprium enim eius est misereri; summum enim bonum natura sua in id propensum est, ut bonum diffundat; est quasi ei violentum et contra naturam affligere ; cf. Ez. 18,23 : numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat? Deus enim non laetatur in perditione vivorum (Sap. 1,13; *Mald.*); quem in finem *Rhab.* bene recitat Sap. 11,24-27. Habes hic insigne divinae bonitatis documentum et doctrinam Deum castigare animo paterno, qui semper paratus sit parcere, ubi quis animo sincere resipiscat (cf. *Lap. Calm.*); ad quod demonstrandum *Alb.* verba affert Gen. 6,6 : tactus dolore cordis intrinsecus.

Quibus in adversitatibus etiam illud solatio est, nihil fieri nisi Deo vel disponente vel permittente; quare nulla adesse potest ratio querelae vel murmurationis; v. 34 « *ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terrae*, v. 35 *ut declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi*, v. 36 *ut perverteret hominem in iudicio suo, Dominus ignoravit* »? — hebr. lege per interrogationem : *nonne Deus videt?* Ita enim legi oportere, ex subseq. v. 37. 38 colligitur, qui versus pariter per interrogationem leguntur et ita lecti antecedentibus ad unum sensum completum iunguntur. Dicit itaque vates, Deum utique videre et animum intendere ad tria illa. Eodem modo explica lat. : num Deus ignorat, si captivi pedibus conculcantur, si coram oculis eius ius viri invertitur, si homo in lite sua forensi decipitur et opprimitur? Iniurias itaque quae vel bello committuntur vel in iudicio, dum ius opprimitur iniustitia et iniquitate, Deus utique novit et videt; ergo eas fieri sinit. Latinum *ut contereret* etc. explica : quomodo conterant vel vinctos conteri etc., uti quandoque in *vulg.* 3 pers. sing. sensu plurali (gallice *on*, germanice *man*) adhibetur; cf. Is. 15,5. Eandem doctrinam res adversas fieri non sine Dei nutu ac permissione ulterius declarat v. 37 « *quis est iste qui dixit ut fieret Domino non iubente?*

v. 38 *ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona?* v. 39 *quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis* »? — i. e. quis audeat dicere fieri quidquam sine Dei providentia et permissu? *nonne ex ore Altissimi egreditur malum et bonum?* hebr.; cf. Am. 3,6 : si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? vide Is. 45,7. Deus iudex iustus et vindex iniquitatis immittit flagella ad peccata punienda. Quam vere id dicatur ratione habita excidii urbis et punitione populi, omnia pene prophetarum oracula testantur. Sed in eo ipso quod Deus percusserit et quod ipse hostibus vim et potestatem largitus sit, reperitur causa consolationis. Ab eo enim cuncta ad salutem nostram attemperantur (*Lap.*). Unde consequitur v. 39 hominem dum *vivat* i. e. gratia et benevolentia Dei vivis concessa quamdiu frui possit, non debere murmurare, non debere *gemere* (hebr.) nisi de peccatis suis; si ergo suspiria trahere vult, ea trahat non de rebus adversis sibi quasi iniuste obvenientibus, sed de peccatis, de vera scil. malorum causa et de unico malo quod omni modo non sit nisi malum. Hebr. verte : *quid gemit homo vivens?* (gemat) *unusquisque pro suo peccato!*

Sententias illas v. 34 ut contereret... pendere ex v. 36 iam veteres nonnulli rite perspexerunt; ita *S. Bon. Thom. Sa, Lap. Men. Tir. Calm.;* idem recentiores communiter statuunt. At sunt qui adiungant ad antecedens : abiicere ex corde et humiliare : non ita eos abiecit, ut contereret etc. (*Alb. Mald. Malv.* et e recentioribus *Then.*). At in priore acceptione tres hi versus ab eadem littera exorti optime inter se concluduntur; insuper sensus ad hunc contextum melius convenit; hic enim quaeritur de origine et causa adversitatum; Deum non abiicere a se populum suum iam in v. 31-33 dictum est; praeterea ad interrogationem in v. 37 positam ille quem exposui sensus necessario praerequiritur. Dictionem illam ***Deus non videt*** vel ***Deus ignoravit*** esse legendam per interrogationem bene statuunt *Schn. Troch. Naeg. Keil* idque ex conformatione cum seq. iam efficitur. Qui sententiam retinent affirmatione expressam, non videre vel ignorare exponunt : homines conteri... Deus non approbat, practice ignorat, non facit, ei displicet, ne cogitat quidem id facere (cf. *S. Bon. Thom. Vat. Lap. Tir. Calm.*) et sim. *rab.* p. 23; alii verba hebr. ***non vidit*** exponunt : non elegit (rab. p. 79; *Then.*). Verbum ראה coniungi cum ל ad aliq. attendere animum, exemplum habes 1 Sam. 16,7 et Ps. 64,6; quare minime opus est cum aliquibus explanare : quod attinet ad id, ut contererentur etc. — Fuerunt etiam qui sententias in v. 34-36 acciperent tamquam ab obiicientibus dictas : Deo omnino non curae esse talia fieri; vel Deum res humanas non curare (apud *Lap. Ros.*). At nullo vestigio proditur inseri verba impiorum quae dein a v. 37 seq. refutentur; neque ad tale carmen satis accommodatum esse videtur, ut eiusmodi disceptatio instituatur.

c) Dei misericordia est imploranda 3, 40-66.

Dixerat homini gemendum esse de suis peccatis, ex quibus res adversae potissimum oriuntur et infliguntur; quare pergit monere v. 40 « *Scrutemur vias nostras et quaeramus et revertamur ad Dominum!* v. 41 *levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos!* v. 42 *nos inique egimus et ad iracundiam provocavimus; idcirco tu inexorabilis es* »; — hebr. *scrutemur vias nostras et exploremus;* quod Ieremias saepius monuit agnitionem et confessionem peccatorum primum esse ad resipiscentiam gressum (cf. Ier. 3,23), id hic quoque graviter inculcat; et si peccata sua agnoverint, attollant mentes et manus ad Deum; cf. Ier. 31,9 : in fletu venient et in deprecationibus reducam eos (hebr.); peccata sua fateantur et iuste se esse punitos et Deum iuremerito iam non pepercisse palam dicant; hebr. *nos peccavimus et rebelles fuimus et tu non ignovisti.* Quod ante ruinam toties sed frustra monuit, ut scil. ad Deum reverterent, denuo postquam experti sunt quam malum et amarum esset relinquere Deum magna vi effert; cf. Ier. 3, 7. 10. 14. 22; 4,2; 8,4.

Post confessionem peccatorum Dei misericordiam ita docet implorandam, ut primo exponant quibus poenis a Deo sint afflicti; suam igitur summam miseriam Deo precando explicant declarantes quomodo non ignoverit, ut eum ad ignoscendum moveant v. 43 « *operuisti in furore et percussisti nos; occidisti nec pepercisti;* v. 44 *opposuisti nubem tibi ne transeat oratio;* v. 45 *eradicationem et abiectionem posuisti me in medio populorum* »; — hebr. explica v. 43 *obvolvisti te ira;* iram quasi velamen vel tentorium sibi obtendit, ira se quasi circumvolvit (cf. *Vat. Lap.*); sicut alibi Deus lucem quasi vestimentum induere vel in luce habitare dicitur, ita tamquam ultor et iudex severus amictus et obvolutus apparet furore et ut talis *persecutus es nos* (hebr.); neque admisit orationem : obvolvisti te nube ne pertransiret oratio. Cum scil. tempus veniae a Domino esset constitutum, noluerunt ei obsequi (cf. Ier. 26,2 seq. 27,12 seq.): unde id evenit quod minatus erat : verterunt ad me tergum et non faciem et in tempore afflictionis suae dicent : surge et libera nos! (sed tunc respondet Deus :) ubi sunt dii tui quos fecisti tibi? surgant et liberent te (Ier. 2,27. 28)! En, quomodo non admittat orationem! Confusione et opprobrio sicut vates praedixit (18,16; 19,8) iam maxime sunt oppleti v. 45 : *tamquam ramenta* et abominationem fecisti nos inter populos; סְחִי proprie est *abrasio* i. e. sordes quae abraduntur, purgamenta (*Vat. Mald. Mar. Lap. Calm.* et recentiores) ea quae everruntur, qua voce alludi-

tur ad minas in Deut. 28,63 : ut *everramini* de terra נִסַּחְתֶּם (cf. Ez. 26,4 : et *radam* pulverem eius). Antea in eam conditionem hostes redigebantur : ut lutum platearum delebo eos (Ps. 17,43) ; verum iam ipse populus factus est tamquam purgamenta et peripsema. Unde omnium irrisione onerantur et conviciis v. 46 « *aperuerunt super nos os suum omnes inimici;* v. 47 *formido et laqueus facta est nobis vaticinatio et contritio;* v. 48 *divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiae populi mei* » ; — de v. 46 vide ad 2,16, ubi idem fere versus legitur; etiam in vaticiniis suis Ieremias nonnulla repetere solet. Hebr. v. 47 : formido et fovea sunt nobis, *vastatio* et conquassatio; שֵׁאת scil. uti iam explicant *Vat. Mald. Mar. Malv. Calm.* et recentiores; ἀπ. λεγ. vertit *Syrus* גומצא foveam, *Chald.* tremorem רתיתא; LXX et *Aq.* habent ἔπαρσιν; igitur hi legerunt cum *sin* שְׂאֵת. Lectionem lat. *vaticinatio* aliqui mendum pro vastatione existimant (cf. *Vat. Mald.*) ; explicant : vaticinatio eventu completa est ; vel pseudovates ruinam attulerunt. De irrisione inimicorum et de propria miseria lacrimas fundit : rivos aquarum deducit (descendere facit) oculus meus; vide 1,16 ; 2,11. Ier. 9,1. 18 ; 13,17 ; 14,17.

Quam doloris acerbitatem et lacrimas Deo proponit, ut eum ad misericordiam flectat v. 49 « *oculus meus afflictus est nec tacuit eo quod non esset requies;* v. 50 *donec respiceret et videret Dominus de coelis;* v. 51 *oculus meus depraedatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meae* » ; — hebr. v. 49 oculus meus *se effundit,* defluit (cf. *Vat. Mald. Mar.* et recentiores) idque continuo, sine cessatione; cf. Ier. 14,17 ; nec est ei requies a lacrimis vel remissio aut relaxatio; neque eam oculis concedere vult vates, donec Deus oculo misericordiae (*Thom.*) respiciat de excelso habitaculo suo; cf. Is. 38,14. « Instantiam orationis et perseverantiam nos habere propheta docet » (*Rhab.*). Abundantiam fletus declarat quoque in v. 51 : oculus meus *dolore affecit* animam meam (hebr. *Vat. Mar. Malv.* I et recentiores) vel afflixit animam meam (*Calm.*); lacrimae copiose effusae non, uti fieri solent, dolorem animi leniebant, potius augebant. In textu lat. עלל notione *vindemiandi* est expressum ; vide 1,12. 22 ; 2,20 ; unde depraedatus est i. e. iugi suo fluxu instar praedonis animam, vitam scil. sucum omnem et vires absumit et exhaurit (*Tir. Mald. Lap.*). Dolorem concipit maiorem de sorte misera virginum quibus si non parcitur cumulum malorum exsistere declaratur; cf. 1,4. 18; 2,10. 21. Ex hisce locis, in quibus summa miseria luctu et afflictione virginum declaratur, simul conclude non esse filias urbis meae cum aliquibus (*Mald. Mar. Men.*) intelligendas de vicis et oppidis Iuda quae sint filiae metropoleos Ierusalem.

Uti est instanter rogantis, vates denuo conditionem miseram Deo ob oculos ponit, ut iterata lamentatione opem divinam efflagitet v. 52 « *venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis;* v. 53 *lapsa est in lacum vita mea et posuerunt lapidem super me;* v. 54 *inundaverunt aquae super caput meum; dixi : perii* » ; — cf. 1,9 : expandit rete pedibus meis, qua imagine saepius utitur Ezechiel (12,13; 17,20; 19,8; 32,3. Os. 7,12) etiam de Sedecia et principibus eius. Si dicit gratis, sine causa, id intellige eo modo quo dicitur Is. 52,4 : Assur absque ulla causa oppressit eum i. e. tanta ruina iis est inflicta non propter ea quae in Chaldaeos peccarunt sed quae in Deum deliquerunt. Unde inimici pro sua parte mensuram modumque vindictae transgressi sunt, prout Is. 10,7 et 47,6 quoque dicitur. Insuper adverte voces referri lamentantium quorum est uti exaggerationibus. Hebr. v. 53 succiderunt vel *perdiderunt* in foveam animam meam (*Mald. Vat. Mar.* et recentiores) i. e. me perdiderunt et proiecerunt in cisternam coenosam eamque ne possim evadere lapide occluserunt; ibique magis magisque in coenum lacus immergebar, donec tandem aquae exundarent super caput, ita ut me iamiam morte esse suffocandum existimarem. Allusio est aperta ad Ier. 38,6; vide quoque Ps. 68,2. 3; 87,5-8. Eam iterum conditionem depingit ex qua populus subsidiis humanis eripi nullo modo potest; si causae humanae spectantur, ruina reparari nequit. Quare ad Deum unicum salvatorem confugere oportet.

Verum ex promissis populo Dei datis ipsae afflictiones maximae in se continent rationem sperandae opis divinae; unde sicut in v. 19, ita hic quoque v. 55 « *invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo;* v. 56 *vocem meam audisti; ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus;* v. 57 *appropinquasti in die quando invocavi te; dixisti : ne timeas* »! — cf. Ps. 87,10-14; 129,1. 2; certam spem et fiduciam exprimit : vocem meam audis, cui adiungit precationem : ne abscondas, ne obvolvas aurem tuam; LXX μὴ κρύψῃς; quam precationem denuo roborat et fulcit repetita affirmatione spei et fiduciae : prope es quando te invoco; nam Ps. 144,18 : prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate; Is. 58,9. Immo spem eam eo magis concipere potest quia Deus pro hoc tribulationis tempore iam eos consolatus est dicens : *noli timere;* ita enim vates iam annuntiavit 30,10 : tu ergo ne timeas, serve meus Iacob, neque paveas Israel; idemque 46,27. 28 et iam apud Isaiam 41,10. 13. 14; 43,1. 5; 44,2. 8. Soph. 3,16 etc.; unde solatium pro tempore calamitoso iam erat subministratum iisdem verbis quae vates ad animos erigendos in memoriam revocat.

Porro cum psalmista rogat, ut Deus iudicet causam suam eamque ab oppressoribus vindicet (cf. Ps. 42,1 ; 73,22; 118,154) v. 58 « *iudicasti Domine causam animae meae, redemptor vitae meae;* v. 59 *vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me; iudica iudicium meum!* v. 60 *vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me!* v. 61 *audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me;* v. 62 *labia insurgentium mihi et meditationes eorum adversum me tota die;* v. 63 *sessionem eorum et resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum* »! — fervor orationis etiam in crebriore Domini compellatione exprimitur; hebr. v. 58 proprie *litigasti lites animae meae, redemisti vitam meam* i. e. ita egisti et agis ad meam causam tuendam; lites cum inimicis meis tu ipse pro me ad exitum perduxisti; vidisti *iniuriam meam* (hebr.) i. e. mihi illatam! vidisti omnem *vindictam* eorum, omnia eorum consilia vel machinationes contra me; pariter audisti omnia eorum dicteria et opprobria et quaecumque adversarii in me insurgentes vel labiis suis protulerunt vel intimis animorum recessibus volverunt et moliti sunt. Omnem eorum agendi rationem, proprie sedere eorum et surgere, *vide,* adverte animum ad cuncta quae agunt (*Mald. Mar. Lap. Tir.*), ut scil. omnia ad severam trutinam revoces et in eos vindictam exerceas; nam continuo ego illis sum materia cantionum et risus, *eorum cantilena;* cf. v. 14. *Sedere et surgere* dictio est ad omnem vitae actionem designandam (cf. Deut. 6,7; 11,19. Ps. 138,2. Is.37,28); « vita omnis inter actionem et otium distribuitur eaque pro universa hominis vita usurpantur; hos intuere a primo surgendi tempore usque dum cubent, sedeantne an stent, otiosi sint an aliquid agant, mihi illudere et scommatibus famosisque carminibus me incessere nunquam desinunt » (*Calm.*).

Quare efflagitat, ut deiectis adversariis Dei causa qui est pariter triumphus populi Dei superior evadat v. 64 « *reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum;* v. 65 *dabis eis scutum cordis, laborem tuum;* v. 66 *persequeris in furore et conteres eos sub coelis Domine* »! — retribues illis, prout operibus suis merentur; dabis illis *operimentum* vel tegumentum cordis (*Vat. Mald. Mar.* et recentiores) vel velamen i. e. obcaecationem cordis, ut scil. videntes non videant, ut apertis quasi oculis in ruinam ruant. Adnotant *Lap. Men.* adesse in hebr. paronomasiam inter מַנְגִּינָה v. 63 scomma et מְגִנָּה obvelatio, ut scil. ipso quasi sono retributio et ius talionis declaretur. In hebr. v. 65 concluditur exclamatione : *maledictio tua eis!* legitur scil. hebr. תַּאֲלָה; noster interpres lat. legisse videtur תְּלָאָה labor (Ex. 18,8. Num. 20,14; vide ad Mal. 1,13). Hebr. v. 66 et conteres eos *de sub coelis*

Iahve, ut qui sint nunc sub coelis Domini de hoc loco auferantur; cf. Deut. 9,14 : ut *conteram* eum et deleam nomen eius *de sub coelo*. Hanc autem precationem eodem sensu accipe quo hodiedum quoque oramus : ut inimicos Ecclesiae tuae humiliare digneris! Ceterum vide quae ad Ier. 18,21-23 dicta sunt et quae latius prosequitur *Cornely,* Introd. II 2 p. 120-123.

4. *Carmen quartum. Cap. 4.*

ARG. — Comparatione instituta inter pristinam felicitatem et praesentem ruinam vates deflet calamitates incolarum, infantium, nobilium, principum, et miseriam eorum qui fame interimebantur mulierumque; causam assignat in peccatis sitam (4,1-10). Nam propter iniquitatem prophetarum et sacerdotum et caedes commissas Dominus iram suam in urbem effudit populumque dispersit. Ita ultio capiebatur quoque de vana fiducia quam ponebant in auxilio hominum; verum uti hostes Sionem disperserunt, ita quoque visitabuntur qui nunc de rebus adversis Sionis exsultant (4,11-22).

a) **Quantopere deiecti sint a pristina felicitate 4, 1-10.**

Populus erat peculium Dei et regnum sacerdotale (Ex. 19,5. 6); Deus eum exaltavit; quomodo ponam te in filios, ut sis mihi in nomen et in laudem et in gloriam (Ier. 3,19; 13,11); at quantum apparet mutatus obsidione et expugnatione per Chaldaeos facta! v. 1 « *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* »! — color, heb. כֶּתֶם quam vocem *S. Hier.* alibi vertit obrizum (Iob 31,24), tincturam (Iob 28,19), aurum (Cant. 5,11); vide quoque Prov. 25,12. Is. 13,12. Dan. 10,5. LXX h. l. vertunt argentum; ex usu vocis videtur esse synonymum auri. Hebr. disiecti sunt *lapides sancti*... Sunt qui aurum et lapides de auro templi et de eius aedificio interpretantes profanationem sanctuarii, combustionem eius et ruinam expressam cernant (*Rhab. Mald. Mar. Lap. Tir. Men.*) ; sed cum in toto reliquo carmine de solo populo et de variis populi ordinibus agatur, in auro et lapidibus sanctis ipsum populi splendorem pristinum et consecrationem qua Deo sacer exstitit melius agnoscemus, ad quam acceptionem etiam v. 2 adducimur. Ita fere intelligunt *S. Ephr. Theod. Thom. Sa, Calm. Loch, Schn. Naeg. Keil* et etiam *rab.* p. 28. 88, quamvis *Chald.* de sanctuario verba exponat. Aurum retinet fulgorem, lapides sancti honorem sibi vindicant et reverentiam! Unde ratio admirationis exsistit,

cur iam evenerit contrarium. In ipsa metaphora optime declaratur excellentia et dignitas ad quam Deus populum evexit; eodem fere modo etiam Ier. 2,2 : sanctus Israel Domino, primitiae frugum eius. Cum in v. 2 generatim de toto populo sermo sit, de filiis Sion, etiam h. l. non opus est aurum speciatim de principibus, lapides sanctos de sacerdotibus explicare. Sed cum *Thom.* explicatio metaphorae quaerenda est in v. 2 « *filii Sion inclyti et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli* »! — hebr. *pretiosi, aequiparati auro* i. e. tanti aestimabantur quanti aurum; de voce סלא vide Iob 28,16. 19; prior vox *pretiosi* refertur ad lapides sanctos vel gemmas sanctas quae erant in ornamento pectorali summi pontificis, altera ad aurum; unde chiastice hi duo versus inter se iunguntur, qua re alterum esse explanationem prioris suadetur. Pro vasis testaceis reputantur, tamquam res vilis abiiciuntur. Hac ipsa comparatione adhibita monet vates de suis oraculis prioribus 18,4. 6 seq. 19,10; 22,28.

Iam flebilem hanc mutationem exemplis describit. Pro pristina felicitate rerumque omnium affluentia afflicti sunt fame et penuria durissima : mater Sion iam non potest alere filiolos; crudelior esse cogitur in suos quam ipsae bestiae feroces quae tamen catulos nutriunt v. 3 « *sed et lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos; filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto* »; — hebr. תַּנִּין vel *qeri* תַּנִּים canes aurei (Schakale; cf. Ier. 9,10; de qua voce egi ad Is. 13,22. Mich. 1,8. Iob 30,29); hebr. *depromunt* vel *extrahunt* mammillam; vocem חלץ usurpari ideo aliqui dicunt quia bestiae quaedam habeant thecam vel operimentum quo mammas includant (*Vat. Lap.*); id Bochartus de bellua marina, cete, asserit veteribusque notum fuisse ait papillas in mammis receptas tamquam in vaginis condi (cf. Hierozoicon, I lib. 1 cap. 7 col. 46; Francof. 1675). Sed immensa tribulationis magnitudine effectum est ut incolae Sionis ipsius naturae obliti essent (*Theod.*); matres bestiis quasi ferociores cernuntur quia iam non alunt et alere possunt filiolos, cum ipsae fame sint consumptae. Struthio ponit ova in deserti arena, ea relinquit, abit, nullam eorum curam habet; Iob 39,15 : obliviscitur quod pes conculcet ea aut bestia agri conterat; duratur ad filios suos quasi non sint sui. Haec famis incommoda ulterius declarantur v. 4 « *adhaesit lingua lactentis ad palatum eius in siti; parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis* »; — ab iis incipit quorum miseria maxime movet ad commiserationem et qui innocentes dira subeunt supplicia. Dicitur panem *frangere*, quia panes plerumque ita coquebantur ut placentae tenues et fere rotundae efficerentur. Ceterum

panem dici pro cibo et victu notum est. Eadem penuria premuntur natu maiores v. 5 « *qui vescebantur voluptuose interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora* »; — qui cupediis cibisque delicatioribus antea utebantur, iam in plateis fame necati prosternuntur; qui antea *gestabantur* (hebr.) in cocco, in pretiosis stragulis cocco indutis, nunc iacent in sterquiliniis, vilissima quaeque ad vitam sustentandam vel requiem capiendam avide arripiunt; in sterquiliniis cubant, viles ciborum reliquias conquirunt anxie. Alii stercora etiam de veste vili et sordida accipiunt.

Iam cur tanta rerum in peius mutatio? Graviter monet vates, ut in ea tristissima conditione magnitudinem iniquitatis agnoscere haud vereantur v. 6 « *et maior effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum quae subversa est in momento et non ceperunt in ea manus* »; — urbs Sodomitarum subito subversa interiit neque in eius ruina manus hominum *ceperunt* i. e. *laborarunt* (hebr. *Mald. Sa, Lap. Men. Keil*); melior scil. eius fuit conditio cum eius quoque peccatum fuerit minus. Laudatur quippe repentina subversio, sicut mors repentina quae minus habet doloris (*Mald.*), neque enim apud Sodomitas parvuli lenta tabe sunt consumpti neque matres coxerunt parvulos; acerbiora igitur tormenta experti sunt cives Ierusalem. Iudaeorum iniquitas comparatur perversitati Sodomitarum iam Deut. 32,32. Is. 1,10; 3,9. Ier. 23,14. Ez. 16,48 : non fecit Sodoma, sicut fecisti tu; similiter Christus ait tolerabilius fore et remissius terrae Sodomorum quam civitatibus Iuda (Matth. 10,15; 11,24. Luc. 10,12). Iudaei enim et legis et prophetarum institutione continuo edocebantur et beneficiis divinis ac castigationibus perpetuo eruditi perfracte rebellabant; vide simile apud Ier. 3,8 seq. cur scil. Iuda plus peccarit quam Israel. — Ad dictiones vide Gen. 19,21. Deut. 29,22. Is. 13,19. Ier. 49,18; 50,40. Os. 11,6 : cepit gladius i. e. laboravit, girat, circumit.

Conditio lamentabilis porro cernitur in principibus v. 7 « *candidiores nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores;* v. 8 *denigrata est super carbones facies eorum et non sunt cogniti in plateis; adhaesit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum* »; — uti in v. 1 filii Sion generatim auro et gemmis sanctis comparantur, ita simili modo h. l. quales principes olim fuerint describitur. Hebr. נָזִיר explica : coronatus, electus vel selectus (נֵזֶר corona, diadema) eo modo quo Gen. 49,26 Ioseph dicitur *nazir* inter fratres suos i. e. electus, praecipuo honore dignus; item Deut. 33,16. In populo autem coronati, electi sunt principes et nobiles (cf. *Schn. Troch.*) quibus haud immerito sacerdotes accensebis (*Loch*). Prius quam splendidi olim fuerint et decore orna-

tuque venusti depingitur : « ad pulchritudinem requiritur aspectus decens (sapphiro pulchriores) et debitus color duplex, rubor et candor » (*Thom.*); hebr. rubicundiores *corpore quam corallia;* de voce פנינים vide Iob 28,18; ceterum veteres in varias abeunt sententias de eius notione; recentiores communius corallia rubra, alii margaritas vertunt. Hebr. *sapphirus excisio eorum* i. e. adeo erant elegantes ac politi ac si essent ex sapphiro excisi ac formati (*Mald. Mar. Lap. Men.* et recentiores) vel sapphiro erat similis polities eorum (*Vat.*) et forma ac species. At quae mutatio! iam vultus eorum et facies prae ipsa nigredine nigrescit, ita ut cognosci non possint; ad summam maciem deducti sunt, ita ut solum pelle et ossibus constare videantur; ipsa cutis est dura, rugosa, arida.

Satius erat gladio interfici et celere morte abripi quam lenta tabe et fame consumi et ad desperationem adigi v. 9 « *melius fuit occisis gladio quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terrae;* v. 10 *manus mulierum misericordium coxerunt filios suos; facti sunt cibus eorum in contritione filiae populi mei* »; — hebr. v. 9 *qui defluxerunt* lenta scil. tabe consumpti et quasi *transfossi sine frugibus campi* i. e. penuria victus enecati. Et quam horrenda fuerit plaga famis in v. 10 satis declaratur; ita in eis expleta est omnis ira quam Deus minatus erat Deut. 28,53.

b) **Causae poenarum exponuntur 4, 11-22.**

Postquam tempore obsidionis vel gladio vel miserrima fame interempti sunt multi, Deus ruinam complevit incendio urbis v. 11 « *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suae et succendit ignem in Sion et devoravit fundamenta eius* »; — in furore et ira indignationis Domini iam indicatur quod v. 6 erat dictum, scil. iniquitatem populi esse causam ruinae; eam enim indignationem peccatoribus Ieremias continuo denuntiavit, nisi resipuerint (Ier. 4,4 etc.); quomodo Deus urbem succenderit, in visione Ez. 10,6 praeclare symbolo declaratur. Eam poenam incendii vastissimi omniaque devorantis iam minatur Deus Deut. 32,22. Peccatis enim prophetarum et sacerdotum id effectum est quod incredibile esse videbatur, scil. Deum proiicere et delere et hostibus tradere domum suam et locum illum in quo se nomen suum i. e. gloriosam suae maiestatis manifestationem esse positurum in sempiternum et fore oculos suos et cor suum promiserat (3 Reg. 9,3); v. 12 « *non crediderunt reges terrae et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Ierusalem;* v. 13 *propter peccata prophetarum*

eius et iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum »; — de falsa Iudaeorum fiducia vide Ier. 7,4 seq. 26,8 et 21,13 : quis percutiet nos? quis ingredietur domos nostras? Urbs natura et arte erat munitissima; id iam elucet ex audacia Iebusaeorum 2 Reg. 5,6 seq.; tempore quoque posteriore variae munitiones, turres, moenia addebantur ab Ozia, Ioatham, Manasse 2 Par. 26, 9; 27, 3; 33,14; etiam tentamina illa repetita quibus usus est Sennacherib ut cives se dederent ostendunt obsidionem urbis et expugnationem ab Assyriis existimatam esse rem laboris temporisque nimii (cf. Is. 36,2 seq. 37,9 seq.). Porro non erat incognitum gentibus vicinis urbem saepius miro Dei interventu esse servatam et eius impugnatoribus rem male cessisse (cf. 4 Reg. 19,35. 2 Par. 20,22 seq. Ps. 45. 47). Quibus omnibus efficitur locutionem in v. 12 minime esse adeo hyperbolicam, sicut aliqui censent (*Naeg.*). Auctores et fautores malorum praeprimis esse pseudoprophetas et sacerdotes accusatio est in oraculis Ieremiae frequens 1,18; 2,8; 5,31; 6,13; 8,10; 23,11; 26,7; 27,16 etc. sim. Ez. 13,2 seq. 22,25. 26. De caedibus patratis vide Ier. 2,34; 19,4; 22,17; 26,15. Cum sacerdotibus et pseudoprophetis caedes potissimum adscribantur hoc loco, a vero non aberrabis si etiam in caedibus a Manasse patratis malitiam et machinationes eorum plurimum valuisse existimaveris (4 Reg. 21,16).

Propter quae scelera omnibus abominationi erant, non solum suis civibus, verum etiam alienis ad quos eiecti sunt; v. 14 « *erraverunt caeci in plateis, polluti sunt in sanguine, cumque non possent tenuerunt lacinias suas;* v. 15 *recedite polluti, clamaverunt eis, recedite, abite, nolite tangere; iurgati quippe sunt et commoti dixerunt inter gentes : non addet ultra ut habitet in eis* »! — de iisdem est sermo de quibus in v. 13 quod eo conficitur quia in utroque versu de sanguine et de maculis a sanguine contractis mentio fit. Dicuntur errare caecorum instar i. e. obcaecatione illa quae iniquitate inducitur et furore ac rabie qua in pios grassabantur sese sanguine illorum macularunt et in tantum sanguine effuso innocentium polluti erant, ut *eorum vestimenta* alii *attingere non possent;* ita ex hebr.; proinde quantopere illi fuerint sanguine contaminati exprimitur. Et in quantum caecus ille furor et crebrae caedes abominationi fuerint, declaratur v. 15 : iis enim acclamabatur vel saltem debuit acclamari idem quod leprosi clamare iubebantur lege, ne quis scil. propius accederet (Lev. 13,45 hebr.). Repetitis scil. vicibus abire et recedere iubentur; ne quid tangant tactuque suo contaminent prohibentur; quibus verbis fastidium, horror, contemptus significatur. Etiam inter gentes eorum scelera innotescebant; *quando fugiebant, vagabantur* hebr.

i. e. timidi incertis sedibus huc illuc vagabantur (*Mald.*), ita ut in iis impleatur illud : in gentibus quoque illis non quiesces neque erit requies vestigio pedis tui (Deut. 28,65); ne gentes quidem eos consistere sinunt *: dicunt* (dicitur) *in gentibus : non ultra commorabuntur* (hebr.) i. e. non permittimus eos inter nos habitare. Eodem modo explica verba latina : alieni ad quorum regionem confugerunt de iis ira commoti cum increpatione et iurgiis dicebant : iam non unus ex eis inter nos commorabitur! Versio *iurgati sunt* explicatur verbo נָצָה; sed ad contextum congruum est explicare a verbo נָצָא Ier. 48,9 : avolarunt vel fugerunt (cf. *Vat. Mar. rab.* p. 27 et recentiores). Atque hisce vexationibus quas experiuntur a gentibus Dominus assentitur; in iis eius iudicium et ultio cernitur v. 16 « *facies Domini divisit eos; non addet ut respiciat eos; facies sacerdotum non erubuerunt neque senum miserti sunt* »; — i. e. vultus Dei eiusque ira eos dispersit; iam non benigne eos respicit, sed eos relinquit et tradit hostibus vexandos, qui hoc munere bene funguntur : nam neque dignitatis sacerdotalis neque senectutis ulla tanguntur reverentia aut miseratione. Nulla habita ratione dignitatis aut aetatis omnes servorum instar adhibentur.

Quemadmodum in v. 6 iniquitatem populi, in v. 13 peccata accusavit sacerdotum et pseudovatum, ita nunc vanam illam et fatalem reprehendit fiduciam quam in auxiliis humanis posuerant. Ita veras ruinae causas pandit; cognitio autem mali primus est ad salutem gressus. Quoties eos dehortatus est Ieremias ne spem collocarent in foederibus cum extraneis, ne opem sperarent ab Aegyptiis? cf. 2,18. 36. 37; 27,3 seq. 37,6; at frustra. Nunc saltem rem experti fateantur se stulte et impie egisse; v. 17 « *cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem quae salvare non poterat* »; — quanto desiderio opem praestolati sint Aegyptiorum, *defecerunt* (i. e. contabuerunt prae assiduitate prospiciendi et acri exspectatione) satis declaratur; vide Ier. 37,6 seq.; *in specula nostra* intenti spectavimus ad gentem quae non salvat (hebr.), vel in exspectatione nostra anxie exspectavimus. — LXX quoque habent ἔτι ὄντων ἡμῶν; sim. *Syrus;* quare hebr. legendum erit secundum *qeri* עודינו vel melius uti *rab.* p. 95 scribitur עֹדֵנוּ. *Chald.* solum habet : adhuc deficiunt oculi nostri, eodemque modo *Keil* explicat *kethib; Naeg.* vertit ad urbem referens : adhuc consistebat.

Quam vana fuerit spes, eventu et exitu declaratur v. 18 « *lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum; appropinquavit finis noster; completi sunt dies nostri, quia venit finis noster* »; — hebr. *venati sunt gressus nostros ne iremus in plateis nostris* (*Mald. Mar.*

Lap. Calm. et recentiores) i. e. Chaldaei qui undique urbem cingebant et omnes exitus observabant erant quasi venatores sedulo invigilantes ne rex et principes aliique fuga sese subducerent. Ita undique cincti et ab omni via et exitu prohibiti fatebantur instare finem et de rebus suis et regno esse conclamatum. Et quam frustra Sedecias et principes fugam capessere tentarint in memoriam revocat v. 19 « *velociores fuerunt persecutores nostri aquilis coeli; super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis* »; — eos qui quam celerrime poterant fugiebant Chaldaei insequentes comprehenderunt; itaque velocissimos eos fuisse censendum erit, unde comparatio illa nata est, qua simul minae olim datae et a vate repetitae in memoriam iis revocantur (Deut. 28,49. Ier. 4,13). Sedecias rex fugit versus Iericho; ab Ierusalem versus Iericho proficiscentibus complures colles vel clivi obiiciuntur (via v. g. ascendit secundum montem olivarum, ascendit iterum pone Bethaniam; cf. *Socinus,* Palaestina und Syrien, Leipzig 1875 p. 269 seq.; accurate iter illud super colles et per valles faciendum describit *Ritter,* Erdkunde, 15. Theil p. 486); quare merito dicitur : super montes *ardenter,* acriter *persecuti* sunt nos; hebr. דלק quam vocem *S. Hier.* bene expressit Gen. 31,36 : exarsisti post me. Captus est autem Sedecias in deserto quod est iuxta Iericho, uti dicitur Ier. 52,8 vel 39,5 in campo solitudinis ierichontinae; cf. 4 Reg. 25,5 : et persecutus est exercitus Chaldaeorum regem comprehenditque eum in planitie Iericho.

Rege capto vana quoque Iudaeorum spes denuo confusa est v. 20 « *spiritus oris nostri christus dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : in umbra tua vivemus in gentibus* »! — hebr. captus est *in foveis eorum,* uti vertunt *Syrus*, *Vat. Mald. Malv.* et recentiores; *Chald.* in reti, *Calm.* in insidiis eorum. Uti ex antecedentibus iam elucet verba referuntur ad Sedeciam regem qui tamquam rex theocraticus appellatur *unctus Iahve*, sicut etiam Saul eo nomine vocatur 1 Reg. 24,7. 11; 26,9. 11. 16. 23; 2 Reg. 1,14. 16, et David 2 Reg. 19,21; Ps. 17,51; quod nomen regi theocratico saepius inditur 1 Reg. 12,3. 5; 16,6; 2 Par. 6,42; Ps. 19,7; 27,8; 88,52; Hab. 3,13 etc. Qualem spem in Sedecia posuerint, declarat eum vocans *spiritum narium nostrarum,* spiritum vitalem per quem spiramus, vivimus, qui nos tuetur et in vita et pace conservat (*Malv.*); insuper sperabant qui cum eo fugam arripiebant se cum illo ad gentes vicinas perventuros, ibi benigne habitum iri, sub eius *umbra,* protectione, auctoritate, se vitam degere posse quietam et felicem. Rege capto omnis haec exspectatio egregie concidit.

Cum in *vulg.* legatur *Christus dominus captus est in peccatis nostris*, non est mirum quod aliqui verba retulerint ad Christum; ita *Rhab. S. Bon. Sa;* etiam LXX habent χριστὸς κύριος; quare *Theod. Ol.* quoque unice de Christo explicant. Sed iuremerito plerique interpretes verba intelligunt de rege vel Iosia vel, uti intelligi debent, de Sedecia. *S. Hier.* quidem verba ad Iosiam regem refert (ad Zach. 13,11; *M.* 25,1515 et c. Pelag. II 22. 23; *M.* 23,560) « licet alii iuxta intelligentiam spiritualem hoc referant ad Dominum Iesum » vel « per anagogen »; de Iosia etiam accipit *Chald.; Thom.* rem in medio relinquit: « de Iosia vel de Sedecia vel melius de Christo »; alii de Sedecia ad litteram quem tamen ut typum Christi considerant (*Tir. Gord.*). Sed ratio typica frustra quaeritur in Sedecia, in eius inobedientia, in eius fuga quae fit contra Dei voluntatem et qua vaticinium Ieremiae eludere voluisse potius videtur. Verba nullo modo ad Iosiae sortem convenire manifestum est. Etiam *S. Hier.* aliis in locis hisce lamentationibus plangi eversionem Ierusalem et quadruplici alphabeto ruinas eius plangi aperte agnoscit (in Is. 63,3; *M.* 24,612; praef. in Ierem.). Ceterum vide quae de hoc loco notat *Cornely,* Introd. II 2 p. 405. *Ewald* verba de Ioachin dici vult.

Demum carmen absolvitur eo quod, ut *Thom.* ait, comminatur insultantibus et consolatur Iudaeos; ita hoc quoque carmen laeta spe et exspectatione instaurationis absolvitur; v. 21 « *gaude et laetare, filia Edom, quae habitas in terra Hus; ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis!* v. 22 *completa est iniquitas tua filia Sion, non addet ultra ut transmigret te; visitavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua* »; — Edomitas magno tripudio cladem urbis esse prosecutos certum est ex Ps. 136,7 et ex Ez. 25,12; 35,15; 36,5, uti olim quoque exsultarunt Abd. v. 11. 12. Unde propheta non sine magna ironia dicit: gaude et laetare! Sed calix furoris divini ad te quoque deferetur; pondus irae Dei senties; ebria fies, captiva, inops, vastata squalebis (*Calm.*). De ebrietate tamquam de maxima calamitate quam plenis haustibus e calice vini furoris Domini percipere debebit, vide Ier. 25,27; hanc ebrietatem et stupefactionem consequitur opprobrium; cf. Nah. 3,5. De terra Hus vide Ier. 25,20 et Iob 1,1. In Edom adumbratur quid omnibus Dei eiusque regni adversariis obventurum sit. Sed dum inimici Dei prosternuntur spes est pro populo Dei. Sion ex ruinis resurget: *finita est culpa tua* (hebr.) i. e. pro te finis iniquitatis et poenae a Deo est statutus; Sion restituetur neque in posterum altero exsilio populus Dei dispergetur; theocratia instaurabitur modo stabili. De qua instauratione vide Ier. 30,3-31, 37. Alia est sors Edom, cuius peccata ultione divina castigabuntur; peccata revelantur, dum puniuntur, dum ex poenis manifestum fit quam multa et quam magna fuerint peccata (*Mald.*). Concluditur ita-

que hoc quoque carmen magno illo omnium oraculorum documento : strage inimicorum Dei, victoria atque triumpho populi Dei.

5. *Oratio Ieremiae prophetae. Cap. 5.*

ARG. — Uti *Thom.* dicit, exponit vates in hac oratione populi miseriam et petit misericordiam; et miseriam quidem quantum ad mala. et quantum ad bona amissa. Calamitate in universum proposita ad singula quaedam descendit quibus quot afflictionibus premantur ostenditur. Bis quoque, in v. 7 et 16, peccatis populi haec omnia esse adducta confitetur. Demum Dei misericordiam quam ab initio imploravit etiam in fine efflagitat. Itaque iuremerito *oratio* appellatur in textu latino haec miseriarum coram Deo expositio. — Inscriptio haec non legitur in hebr. neque apud LXX; legitur apud *Syrum* et in versione arabica : oratio Ieremiae.

Convertit se vates ad orationis remedium (*Thom.*) Deum deprecans ut ad sui populi miseriam animum advertat : v. 1 « *Recordare Domine, quid acciderit nobis; intuere et respice opprobrium nostrum* »! — « ideo recordari vel meminisse postulatur, ut cito auxilium indigentibus conferat » (*Rhab.*). In quibus consistat opprobrium, in sequentibus declaratur. Primo enim quaecumque possidebant, iam ab inimicis et alienis occupata sunt v. 2 « *hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos* »; — regio, agri, campi, pascua quibus hereditas populi constabat in alienorum sunt potestate; domus arbitrio hostium relictae sunt, qui domus Ierusalem destruxerunt 4 Reg. 25,9. Ier. 52,13 et reliqua domicilia per terram pro lubitu iure victoriae vel occupabant vel destruebant vel quibus volebant dono dabant. Edomitas partem terrae occupasse, patet ex Ez. 35,10 seq. 36,10. Ad hanc spoliationem accedit quod omni protectione ac defensione carent v. 3. « *pupilli facti sumus absque patre; matres nostrae quasi viduae* »; — i. e. veluti pupilli qui non habent protectorem vel praesidium (*Chald. Alb. Sa, Mar. Lap. Calm.*); pariter matres viduae reputantur, quia etsi mariti vivant tamen protectionem ac defensionem praebere non possunt. Unde pupilli et viduae dicuntur tamquam qui omni auxilio sunt destituti et omnium oppressioni et iniustitiae expositi. Quod alii regem appellari *patrem* volunt, non potest usu hebr. demonstrari.

Cum igitur protectione sint destituti, pro lubitu alienorum opprimuntur v. 4 « *aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus* »; — cum omnia ab hostibus capta sint et occupata, etiam pro rebus maxime obviis et necessariis pretium solvere debent;

durum explicat iugum multaque vectigalia a Chaldaeis imposita iis qui in terra remanere poterant; simul quanto dolore sese subiecerint, in voce *nostram, nostra* satis declaratur. Quae vectigalia et tributa imposita ut solvant dure premuntur et coguntur v. 5 « *cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies* »; — hebr. proprie : *super cervices nostras persecutionem passi sumus* (*Mald. Vat. Mar. Calm.*) i. e. vis nobis infertur, ab hoste urgemur ad duros labores, saevissimis iniuriis laborare cogimur; ita *Calm.* sim. *Mar.* : nobis ut baiulis utebantur, vel generatim : durum servitutis iugum portamus (*Mald. Vat. Troch. Keil*). En, duram cervicem suam et ferream nolebant flectere et iugo Domini subdere; nunc ab hostibus quasi bruta urgentur. Alii explicant : deducebamur captivi vinculis collo iniectis, id quod ad verba latina quidem satis quadrat, at non ita ad contextum, quia in hac oratione de tali abductione non instituitur sermo. Alii explicant de fugitivis qui se imperio Chaldaeorum in Palaestina constituto (Ier. 40,5) subducere volebant et quorum cervicibus persecutores acriter imminerent vel in quorum cervicibus starent inimici.

Nihil iis restat nisi servitus; nam ut victum sibi comparent vel Aegyptiis se subiicere debent relicta Palaestina, vel Chaldaeis, si in Palaestina manere volunt; v. 6 « *Aegypto dedimus manum et Assyriis ut saturaremur pane* »; — qui nolebant subdi Chaldaeis in Aegyptum migrabant; cf. Ier. 41,17. 18; « nostram ipsi vitam Aegyptiis et Assyriis vendere aut locare cogimur, ut arctam nobis annonam comparemus » (*Calm.*). Textum hebr. explica : versus Aegyptum manus extendimus, versus Assur etc.; Assur saepius sensu generaliori ponitur, ut non solum Assyria sed etiam regnum babylonicum quod successit tamquam heres regni assyrii intelligatur; ita quoque Ier. 2,18. — Aliter LXX : Αἴγυπτος ἔδωκε χεῖρα, Ἀσσοὺρ εἰς πλησμονὴν αὐτῶν, quam versionem *Gietmann*, de re metrica Hebr. p. 19. 59 adoptandam esse censet et secundum eam scribendum in textu hebr. (natenu... lesoba lahem), sensu autem eo quo Ex. 7,4 dicitur *dare* manum i. e. immittere manum in aliquem ad affligendum vel ostendere contra aliquem potentiam. Qui sensus apte fluit et ad v. 5 consentaneus est : Aegyptus oppressit et Assur quam maxime ut suam expleret voluptatem. Quae emendatio etiam eo forte commendatur, quod in v. 9 demum de difficultate procurandi panem mentio fit. — Totam hanc miseriam ex peccatis procreari fatentur v. 7 « *patres nostri peccaverunt et non sunt, et nos iniquitates eorum portavimus* »; — culpam agnoscunt *nationalem;* ex v. 16 elucet non totam culpam reiici in maiores; verum iniquitates illas quibus tandem ruina est adducta constitui et delictis maiorum et suis ipsorum peccatis; impleverunt enim filii mensuram

patrum; quomodo, luculenter patet ex libro Ieremiae. Ceterum in rebus temporalibus et in calamitatibus civilibus omnino valet illud : ego sum Dominus Deus tuus... visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me (Ex. 20,5. Deut. 5,9), ad quae verba *Estius* adnotat visitare Deum peccata parentum in posteros peccata maiorum suorum imitantes aut certe a parentum peccatis non omnino recedentes, ut videlicet parentum iniquitas sit occasio quaedam punitionis posterorum, qui posteri proprie quidem affligantur propter peccata propria sed occasionem gravioris punitionis praebente parentum iniquitate. Ceterum vero aliquo sensu posse culpam reiici ad maiores, vide ad Ier. 15,4; 16,11. 12.

Simul cum afflictionibus indignitatem rei sentiunt quod ii qui ab ipso Deo in libertatem olim vindicati erant tamquam populus Deo sacer et regnum sacerdotale (Ex. 19,6) iam subiacent arbitrio et tyrannidi servorum regis alieni v. 8 « *servi dominati sunt nostri; non fuit qui redimeret de manu eorum* »; — describitur, ut *Alb.* ait, indignitas angariantium : qui nos opprimunt *servi* sunt; nam etiam satrapae et principes *servi* sunt et appellantur regis regum. Possunt ita appellari omnes alieni spectata dignitate theocratica populi Dei et ratione habita oraculorum, quibus Israel caput gentium, gentes autem servi et ancillae Israel vocantur (cf. Is. 14,1; 49,23. Ier. 31,7 hebr.). Sunt qui de agmine captivorum quibus praesint servi accipiant; at vide ad v. 5 et ad seq. v. 9 « *in animabus nostris afferebamus panem nobis a facie gladii in deserto* »; — *in animabus* i. e. ita ut animam, vitam nostram quasi pretium solvere debeamus, igitur cum magno periculo vitae nostrae victum nobis comportamus et comparamus; Chaldaei enim per regionem vagantes impune Iudaeos qui relicti sunt vexant vel etiam occidunt; pauperes enim relicti sunt (4 Reg. 25,12. Ier. 39, 10; 52,16) et quis posset vel vellet Chaldaeos in ius vocare si aliquos agricolas interemissent? praeterea agricolae illi et vinitores, plebs pauperum relicta, protectione carebant; quare latrones gentesque vicinae impune messem eorum diripiebant, ita ut non sine vitae discrimine agrorum vinearumque proventum colligerent vel in pascuis gregum versarentur. Explica *gladium deserti* de armatis in campis vel pascuis praedam agentibus vel de latronibus. Unde impletur in illis : servies inimico tuo quem immittet tibi Dominus in fame et siti et nuditate et in omni penuria et ponet iugum ferreum super cervicem tuam (Deut. 28,48). Atque panis tanto cum vitae periculo comparatus ne ad famem quidem pellendam satis est! tanta est afflictio angariatorum (*Alb.*) v. 10 « *pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis* »; — cf. 4,8 : aruit cutis et facta est quasi

lignum; denigrata est super carbones facies eorum. Hebr. *cutis nostra fornacis instar inflammata est propter exustiones famis,* vel pellis incaluit (*Vat. Mald. Mar.* et recentiores); ergo fames urens et comburens describitur, qua cutis rugosa fit, scinditur, et desiderium quo urgentur ad famem explendam comparatur flammis incensi clibani.

Ad has calamitates accedunt alia iniuriarum ac contumeliarum genera, quae singulis populi ordinibus inferuntur. Primo id commemoratur quod a milite libidinoso mulieribus infertur et quod maritis et patribus ingentem affert dolorem et feminis moerorem maximum v. 11 « *mulieres in Sion humiliaverunt et virgines in civitatibus Iuda* »; — i. e. oppresserunt, eis vim intulerunt; impletur itaque, ut *Thom.* monet, illud Deut. 28,30. 32 : uxorem accipias et alius dormiat cum ea; filiae tuae tradantur alteri populo videntibus oculis tuis et deficientibus. Dein quam indigne habiti sint primores v. 12 « *principes manu suspensi sunt; facies senum non erubuerunt* »; — hebr. *manu eorum* i. e. hostium manu, ab hostibus suspensi sunt; ita iam *S. Ephr. Vat. Mald. Sa, Mar. Lap. Men.* rite explicant et e recentioribus *Loch, Schn. Troch. Then. Naeg. Keil.* Aliis placet explicare : manu suspensa sunt eorum cadavera, ut scil. mors redderetur magis ignominiosa, uti exempla habentur Gen. 40,19. 1 Reg. 31,10. 12 (*Calm.* et *rab.* p. 33); immo non defuerunt qui vellent principes suis ipsorum manibus necem sibi laqueo conscivisse rerum omnium desperatione. Cum ex Deut. 21,23 maledictus sit a Deo qui pendet in ligno, hoc genus mortis speciali lamentatione vates deflet; cf. Num. 25,4. Ios. 10,26. 2 Reg. 21,6. 9. Quod hic vertit *S. Hier.* facies senum etc. transtulit Lev. 19, 32 honorare personam senis. Cum in v. 14 de aetate provectis sermo sit, satius erit hoc loco *senes* accipere tamquam dignitatis nomen quo principes et magistratus honorari et appellari solebant, uti seniores populi etc.

Neque ulli aetati parcebant v. 13 « *adolescentibus impudice abusi sunt et pueri in ligno corruerunt;* v. 14 *senes defecerunt de portis, iuvenes de choro psallentium* »; — hebr. v. 13 *adolescentes molam portant* vel baiulant (cf. *Vat. Mald. Malv. Sa, Mar. Lap. Calm.* et recentiores) i. e. ad servitia dura et vilia adiguntur; molere, in pistrino laborare labor erat omnino gravis cui vilissima mancipia addicebantur; cf. Ex. 11,5. Iud. 16,21. Is. 47,2; « mola constabat duobus lapibus molaribus rotundis superpositis, catillo et meta; grana foramine quod in medio catillo erat immittebantur et inter utrumque lapidem molebantur; lapis superior duobus insertis ligneis paxillis huc illucque manibus vertebatur, farina in subiecta tela colligebatur » (*de Hummelauer,* ad Iud. 16,21; Comment. p. 284). Unde quod de pueris

dicitur *in ligno* corruerunt, aliqui capiunt de ligneo manubrio quo molam volvere adacti sint, donec prae lassitudine corruerint (*rab.* p. 33. *Vat. Sa, Lap.*); at melius plerique de fascibus et oneribus lignorum accipiunt ad quae comportanda ab hostibus cogebantur ita ut oneri succumberent. Alii de plagis baculo inflictis exponunt (*Mald. Tir.*); *Chald.* lignum de patibulo ligneo explicat. Longius progreditur *Calm.* qui putat mutare textum et scribere בשלו pro כשלו i. e. *pueros veru coxerunt* esse versionem non spernendam quam aliqui probaverint; vide 4,10. *S. Hier.* vocem molae, molere sensu accepit obscoeno, uti quoque Iob 31,10, quam notionem vox hebr. hoc loco certe non habet, prout iam ex membro parallelo constat; vocem eo sensu ab Hebraeis figuraliter intelligi in locis Is. 47,2 et Iud. 16,21 *S. Hier.* refert ad Is. locum (*M.* 24,454). Quare merito opinatur *Calm.* etiam hanc versionem nostro loco Iudaeos habere auctores; at *rab.* p. 33. 103 vox de labore molendi explicatur. In ea oppressione et calamitate coetus, comitia, quae in portis celebrabantur, sermones familiares ad quos habendos etiam in portas convenire solebant (cf. Gen. 19,1. Iob 29,7), et laeti iuvenum chori omnino cessabant; hebr. *cessant a portis, ab instrumentis pulsatilibus,* qualia erant cithara, nablium; vel cessant a carminibus ad fidium sonum decantandis, a cantu fidium (cf. *Ges.* Thes. p. 848). Proinde impletum est illud : auferam de loco isto in oculis vestris et in diebus vestris vocem gaudii et vocem laetitiae (Ier. 16,9; 25,10) atque etiam, ut *Thom.* adnotat prius illud : adducet super te gentem procacissimam quae non deferat seni nec misereatur parvuli (Deut. 28,20).

Unde omnia complectens lamentatur v. 15 « *defecit gaudium cordis nostri; versus est in luctum chorus noster;* v. 16 *cecidit corona capitis nostri; vae nobis quia peccavimus* »! — ultimo verbo vates indicat ad quid tandem omnem hanc enumerationem et lamentationem valere velit. Impletum est quod Dominus minatus erat : convertam festivitates vestras in luctum et omnia cantica vestra in planctum (Am. 8,10. *Thom.*); denique *cecidit corona :* omnis gloria nostra, omnis dominatio, felicitas, laetitia, ornatus evanuit. Ita accipe *coronam* sensu amplissimo, non de solo regno, neque de sola urbe quae sit corona civium, neque de solis corollis floreis quibus festis diebus, nuptiis, conviviis vulgo uti solebant. Culparum conscientia moti quibus tantam advexerunt sibi ruinam dolore salubri animi implentur [1], cuius testis quoque est habitus exterior v. 17 « *propterea moestum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri,* v. 18

1. De verbis : vae nobis quia peccavimus, exstat sermo *S. Ephr.* t. 2 op. syr. p. 350.

propter montem Sion quia disperiit; vulpes ambulaverunt in eo »; — prae lacrimis oculi caligaverunt; vide 2,11. Tamquam culmen et fastigium doloris indicatur moeror de monte Sion vastato, igitur de sede et centro theocratiae quae iam collapsa sit et diruta, uti Michaeas praedixit : causa vestri Sion quasi ager arabitur et mons templi erit in excelsa silvarum (3,12. *Thom.*). Et quanta sit vastitas eo declaratur, quod ibi vulpes non latent, sed manifeste ambulant (*Alb.*), libere et suo quasi iure tamquam in sua regione versantur. Moestitiae quae in antecedentibus est descripta aliquid sublime et sacrum additur nunc quia dolor ille ad rem sacram, ad ruinam theocratiae transfertur. Docet itaque vates praeter privatas calamitates praeprimis rerum sacrarum cultusque divini vastationem esse maxima animorum consternatione multisque lacrimis prosequendam piis Israelitis.

Mentione facta Sionis montis simul habetur transitus optimus ad orationem. Nam monti Sion promissiones Dei potissimum adnectuntur; unde etsi nunc solium Dei typicum et umbratile est dirutum, eo ipso quia solium Dei verum est aeternum et fidelitas Dei immutabilis, etiam solium suum in Sion iterum suo tempore restituet idque stabiliet in aeternum, prout Davidi pollicitus est (2 Reg. 7,14 seq.). Quare « convertit se ad orationem, ut consolationem ad tantam desolationem adhibeat » (*Alb.*) v. 19 « *tu autem Domine in aeternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem;* v. 20 *quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum* »? — « primo confitetur ipsam maiestatem quantum ad aeternitatem substantiae et quantum ad durationem regalis gloriae » (*Thom.*); cf. Ps. 101,13; cum igitur Dei regnum sit aeternum, subiungitur petitio, ne regni sui in populo suo constituti obliviscatur, ne id per longius tempus videatur abiecisse ac dereliquisse. Ad rem notat *Rhab.* : « enumerata multitudine tribulationum quas supra retulit propheta aeternam Dei potentiam et maiestatem solii eius verbis supplicibus commemorando praedicat, quatenus cum humili petitione ad miserandum provocet et ad celerationem opportuni auxilii, ne diu sub hostium dominatione constituti penitus desperatione deficiant. Quod autem dicit : quare oblivisceris..., more humano loquitur, quod quasi oblitos omnino spernere videatur qui eis cito non auxiliabitur ». Bene quoque *Ol.* : « restitues nos tibi aliquando utpote aeternus ».

Cum itaque Deus populum suum non possit abiicere, efflagitat vates ut Deus gratia sua praeveniente se benigno vultu ad populum convertat eumque ad se reducat quippe qui quamvis potuerit per se recedere a Deo tamen per se non possit reverti ad eum v. 21 « *converte nos Domine ad te et convertemur; innova dies nostros sicut a princi-*

pio! v. 22 *sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer* »; — praeclare exprimitur in ipsa precatione a Deo debere initium conversionis poni, Deum sua gratia illuminante et movente debere hominem invitare et ad se attrahere; cf. Ier. 31,18. Dein petitur, « ut sicut a principio primos patriarchas, Abraham, Isaac, Iacob, plena fide et dilectione sibi fecit esse devotos, ita et ipsos eodem munere sibi fideles ac devotos facere dignetur » (*Rhab.*); ut scil. innovet amicitiam et foedus, sicut in diebus priscis; vide ad Is. 1,26. Ier. 30,20. Mich. 7,14. Quae petitio tandem ea ratione Deo commendatur quia fixum atque constitutum est apud ipsum, ut populus non in perpetuum abiiciatur; is enim est sensus hebr. כִּי אִם *nisi* repuleris nos, vel : *an enim prorsus nos reiecisses, iratus esses nobis nimis?* videlicet id fieri nullo pacto potest, ergo cito adiuva nos et erue nos! Bene affert *Thom.* ad illustranda haec verba : numquid proiiciens abiecisti Iudam aut Sion abominata est anima tua (Ier. 14,19)? Id fieri nequit; ergo certissima nobis exsistit spes fore, ut in gratiam recipiamur.

Absolvuntur itaque lamentationes hae ea consolatione et spe ad quam in animis excitandam vates querelas omnes et significationes doloris et culparum agnitionem et confessionem dirigi voluit. Viam ostendit qua ex calamitatibus emergere possint; quid utilitatis et doctrinae ex eis capiendum sit iterato inculcavit; demum laeta spe omnia concludit. Cum ultimus quoque versus huic spei addat rationem valentissimam ex eo petitam quod fieri nequeat ut Deus populum suum in aeternum proiiciat, inanis est Iudaeorum superstitio, ut ait *Calm.*, qua superiorem versiculum v. 21 hic in codicibus suis ad lectionem publicam destinatis repeti iubent, ne totus liber mali ominis sententia verbisque tristibus claudatur.

Ex v. 21 et Zach. 1,3 concilii tridentini patres colligunt doctrinam de gratia Dei ad conversionem praeveniente (sess. 6 cap. 5); idque aptissime; nam reditus et conversio, de quibus vates loquitur, est instauratio foederis cum Deo, est innovatio amicitiae, est redintegratio sacri illius connubii quo sponsa Domini Domino pacto sempiterno coniungitur; vide ad Os. 2, 19. Ier. 31,31 seq.

COMMENTARIUS

IN

BARUCH

PROLEGOMENA

I. — De libri auctore.

Libellus nomine Baruch inscriptus ab antiquissimo tempore in sacrorum librorum collectione subsequebatur librum Ieremiae. Eius ordinis et collocationis testimonium exhibet versio graeca quae τῶν LXX nominatur et versiones ex ea derivatae antiquae, uti versio itala, versio coptica. Idem confirmatur eo quod Epiphanius recensens numerum et ordinem librorum sacrorum quos Iudaei post reditum ex exsilio babylonico habuerint simul cum Ieremia explicite Baruch enumerat (haer. 8,6; *M.* 41,213); cui consonum est quod libellus adhuc saeculo tertio die expiationis in synagogis legebatur (cf. Const. Apost. 5,20; *M.* 1,896). Libellum exstitisse hebraice apud Iudaeos eo quoque conficitur quia Origenes eum sicut alios libros sacros hebraicos asteriscis distinxit atque obelis; insuper in textu syro-hexaplari aliquoties adnotatum legitur quomodo textus hebr. hoc illudve non praebeat; demum certum est Theodotionem quoque libellum hunc vertisse; quibus constat libellum apud Iudaeos notum fuisse (cf. *Kaulen,* Einleitung p. 315). Neque omittendum est psalmum undecimum ex iis qui salomonici dicuntur et apocryphi sunt, verba et sententias referre ex libello Baruch; unde cum illi psalmi iudicio eruditorum orti sint inter an. 63-48 ante Christum (cf. *Cornely,* Introd. I p. 205. *Schürer,* Geschichte d. jüd. Volkes im Zeitalter I. Ch. 2 ed. II p. 590) etiam testimonium ferunt libellum nostrum Iudaeis fuisse notum.

Amplissimum vero et gravissimum testimonium libello perhibetur usu illo constanti et auctoritate divina qua a primis Ecclesiae temporibus apud S. Patres et scriptores ecclesiasticos pollebat. Apud quos quia cum libro Ieremiae coniungebatur non raro verba eius et sententiae sub nomine Ieremiae afferuntur. Usum in Ecclesia primitiva disce hisce exemplis : Athenagoras, Legat. 9 (*M.* 6,908); S. Irenaeus, advers. haer. 5,35 (*M.* 7,1219); Clemens alex. Paedag. 1,10; 2,3 (*M.* 8,357 nomine Ieremiae affert 4,4 et 433. 436 : παγκάλως ἡ θεία λέγει γραφή et affert 3,16-19); Hippolytus c. Noet. 2,4. 5 (*M.* 10,808. 809 : οὕτω γέγραπται et recitat 3,36-38); Commodianus, carm. apol.

v. 371 (*Dombart*, Vindobonae 1887 p. 139; t. XV ex Corpore script. ecclesiastic.); S. Cyprianus, testim. 2,6 (*M.* 4,701); S. Ephraem, serm. adv. Iud. in op. syr. t. III p. 213; Origenes, hom. 7 in Ex. (*M.* 12,342); S. Athanasius, de S. Trinit. dial. 3,7 (*M.* 28,1213) etc.; alia eaque plura testimonia proferam ad 3,38 infra in commentario. Ceterum de usu libelli ecclesiastico vide *Cornely*, Introd. I p. 71 seq. II 2 p. 426; *Kaulen*, Einleitung p. 317, quem usum utpote evidentissimum, cuius multa exempla etiam affert *Reusch*, Erklaerung d. Buches Baruch, 1853 p. 3-21, ipsi quoque protestantes concedunt. Ita *Fritzsche* (Kurzgefasstes exeg. Handbuch zu den Apokryphen, 1851 p. 174) : a tempore Irenaei et deinceps frequentissimus est eius usus praesertim propter 3,35-37 apud Patres graecos et latinos. Aliorum testimonia affert *Cornely* l. c. II 2 p. 427.

Hisce omnibus quibus sua libello conciliatur auctoritas accedit testimonium gravissimum in ipsa libelli inscriptione enuntiatum : et haec verba libri quae scripsit Baruch filius Neriae filii Maasiae (1,1). Quibus verbis ille designatur Baruch, de quo Ier. 32,12 et 36,4 seq. 43,3; 45,1 socius scil. Ieremiae eiusque in scribendis oraculis amanuensis. Atque hac inscriptione declarari verum libelli auctorem certum est. Nam tali libri de se ipso testimonio fides est adhibenda, nisi aliunde ex rationibus vel internis vel externis aliud clare evincitur. Iam vero tantum abest ut illud testimonium ex ulla parte infirmetur, ut rationibus valentissimis roboretur. Nam libellus talis omnino est qualem eum iure exspectamus, si et Baruch auctorem et temporis conditionem perpendimus. Baruch enim, socius Ieremiae eiusque amanuensis, certe ita scribere censendus est, ut quae in oraculis Ieremiae praecipua sunt aliqua imitatione exprimantur totumque dicendi genus colore quodam illius oraculorum imbuatur. Atque haec in libello revera adverti negat nemo, affirmant multis omnes. Nam oratio illa qua populum docet peccata sua coram Deo confiteri omnino exacta est ad normam quam Ieremias praescripsit : Deum iuste punivisse; omnes ordines, reges, principes, sacerdotes, pseudoprophetas peccasse, iisque merito confusionem faciei fieri; populum non audivisse vocem Dei a die qua educti sint ex Aegypto nec vocem prophetarum, sed abiisse in sensum cordis sui pravi diisque servisse; quare Dominum vigilasse et adduxisse mala. Haec autem iterum iterumque a Ieremia dici et moneri in aperto est positum (cf. 2,6 seq. 3,24; 5, 5. 19; 6,15; 7,25; 11,4. 7 seq. etc.). Eos aperiunt sensus poenitentiae quos Ieremias docuit; dein explicite profitentur se non obedivisse praeceptis per Ieremiam traditis; 2,21-26 cf. Ier. 7,34. 27,8. 11 seq. 8,1 seq. 7,14; 26,6. Spem quoque reditus eo modo exprimunt quo

solet Ieremias; 2,34 et Ier. 24,6; 30,3. 19; Bar. 2,35 et Ier. 31,33; 32,40; Bar. 3,3 et Lament. 5,19; Bar. 3,6 et Ier. 3,22; Bar. 3,8 et Ier. 18,16; 19,8.

Porro, uti Ieremias vaticinia per alios prophetas data quandoque recolere solet, ita Baruch quoque oraculis utitur ex Deuteronomio depromptis (1,20; 2,2. 16. 29 seq.), locos Iobi (3,15 seq.), Isaiae (4, 36; 5,1. 5 seq.) simili modo adhibet et in suum transfert usum, sicut apud Ieremiam advertitur.

Dein ea quae libello traduntur ad tempus illud cui libellus adscribitur quam maxime apta sunt et consentanea. Assignatur annus quintus postquam Ierusalem urbs est incensa a Chaldaeis 1,2; intelligi autem ultimam illam calamitatem per Nabuchodonosor inductam, de qua 4 Reg. 25,4 et Ier. 39,1 seq. 52,4 agitur, patet tum ex ipsa voce *succenderunt eam igni*, tum ex 2,3 : ut manducaret homo carnes filii sui (cf. Lament. 2,20; 4,10), tum ex 4,15 seq. Iam ad tempus illud congruit, ut ex monitione Ieremiae 29,7 orent pro rege eiusque filio, quia in pace illorum erit pax ipsorum. Illi tempori quam maxime consentanea est memoria illa recens malorum quae perpessi sunt, quae mala iterum iterumque commemorare atque describere vatem haud piget; item memoria peccatorum et inobedientiae in Deum; item precatio ut inveniant gratiam ante faciem eorum qui se abduxissent; nam ex Ieremia 29,10 edocti sunt longius fore exsilium. Sed pari modo necessarium erat tempori illi, ut sicut sensus verae poenitentiae excitaretur, ita spes quoque reditus et instaurationis secundum Dei promissa foveretur, quod utrumque libello egregie praestatur. Cum exsules, uti Ps. 136 quoque demonstratur, maximo tenerentur urbis Ierusalem amore et desiderio, allocutio illa metropolis ad filios eiusque gemitus 4,9-29 eo tempore ad animos percellendos et ad verae pietatis sensus traducendos magnopere accommodabantur. Neque minus apte illis postquam in se experti sunt quid damni iniquitate allatum esset, inculcatur quantum possideant in lege Dei thesaurum, quantum emolumentum et qualem omnium bonorum fontem. Quare si eo tempore populus Dei erat edocendus, consolandus, erigendus, dubium non est quin libello hoc id muneris modo quodam praeclaro praestitum sit. Demum nihil in eo invenitur quod non vero Dei propheta dignum sit, quod non pie, graviter, vere et ad rem apte dicatur. Itaque ex rationibus internis nihil iure potest afferri quo inscriptio libri falsitatis argueretur; ergo hoc iam titulo pro vera et genuina habenda est.

Aliqui moverunt quaestionem, fueritne Baruch solum scriptor libri Ieremia dictante an vero sensu auctor. Eum scripsisse librum Ieremia

dictante censent *Sanctius* et *Cornelius a Lapide* et id quidem quia 1,1 dicatur : et haec verba libri quae scripsit Baruch et quia ita facilius veriusque explicetur, cur tot Patres libellum sub nomine Ieremiae allegent. At Baruch esse auctorem et *scribere* sensu et notione communi de vero dici auctore certum omnino est. Neque desunt Patres qui librum sub nomine Baruch in medium afferant. Cur alii sub nomine Ieremiae, inde facile intelligitur quia libellus adiunctus erat libro Ieremiae et unum quoddam cum illo numerabatur, uti ex Epiphanii loco supra allegato patet. Idem concludere licet ex Origene (apud Eusebium, h. e. 6,25; *M.* 20,581 et *M.* 12,1084). Ad quod etiam inserviunt verba S. Augustini : « hoc testimonium (Bar. 3,36 seq.) quidam non Ieremiae sed scribae eius attribuunt qui vocabatur Baruch, sed Ieremiae celebratius habetur » (Civit. Dei 18,33; *M.* 41, 592). Pluribus de ea quaestione *Lansselius* agit (in Bar. 1,1).

Quodsi Baruch librum composuit, eum scripsit hebraice. Atque hebraice fuisse scriptum quamvis hodie non supersit nisi versio graeca iam ex illis constat quae dicta sunt de versione a Theodotione facta, de signis origenianis, de notis in textu hexaplari, de testimonio Epiphanii. Huic indoles quoque versionis graecae plene concordat. Totum enim dicendi genus per integrum libellum magnopere hebraismis refertum est atque quod bene notari oportet non solum iis quibus homo natione Iudaeus sed graece loquens ex lectione τῶν LXX assuetus esse facile potuit, verum iis qui sola versione ex hebraeo facta explicantur; ita v. g. repetitio pronominis demonstrativi post relativum : 2,4 οὗ... ἐκεῖ i. e. אֲשֶׁר... שָׁם; idem 2,13. 29; 3,8; eodem modo 2,26 οὗ... ἐπ'αὐτῷ; 2,17 ὧν... αὐτῶν. Ita cur *μανακ* positum sit 1,10 ex מִנְחָה declaratur; ἐργάζεσθαι i. e. servire עָבַד 1,22; 2,22. 24; βόμβησις i. e. הָמוֹן multitudo plebis; ὧν ἡμάρτομεν i. e. quia peccavimus אֲשֶׁר 1, 17; ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη i. e. כַּיּוֹם הַזֶּה 1,20; 2,6. 11. 26; καταβάλλομεν τὸν ἔλεον ἡμῶν κατὰ πρόσωπόν σου 2,19 i. e. תְּחִנּוֹן vel תְּחִנָּה precationem; σάκκος τῆς δεήσεως i. e. afflictionis עֲנוּת 4,20 etc.; de qua re exempla collegerunt sat multa *Welte* (Einleitung), *Reusch* l. c. p. 73 seq., *Kneucker*, das Buch Baruch, Leipzig 1879, p. 25 seq. Ceterum libellum ab origine esse scriptum hebraice plerique ex protestantibus quoque ultro concedunt (cf. *Kneucker* l. c. p. 21) et merito irridet *Davidson* « durum laborem » quo aliqui, ut Haevernick et Keil, omnes hebraismos removere studuerint (cf. *Cornely* l. c. II 2 p. 422).

II. — Quae potissimum obiiciantur.

Qui Baruch esse auctorem negant in sententias abeunt maxime di-

versas. Quarto saeculo ante Christum libellum ortum esse contendunt Dillmann (Jahrbücher f. d. Theologie 1858, p. 480) et Zündel (Kritische Untersuchungen über die Abfassungszeit d. B. Daniel 1861, p. 188 seq.). Tempori Ptolemaei Lagi et Philadelphi librum adscripsit Grüneberg (exercitatio de libro B. 1797); Ewald alia et alia proposuit : aetati Artaxerxis Ochi librum adscripsit (Geschichte des V. Israel 3 ed. IV p. 265); sed alio in libro (die Propheten d. A. B. 2 ed. 1868) partem priorem 1-3,8 ultimo tempori dominationis persicae, alteram 3,9-5,9 primo tempori dominationis graecae c. an. 320 attribuit; immo ad 4,15. 34 notat cogitari posse de expugnatione urbis Ierusalem a Pompeio facta anno 63. Haevernick (commentatio de libro B.) librum ortum esse vult tempore Machabaeorum et 4,5-5,9 describi oppressionem Iudaeorum per Antiochum Epiphanem factam. Reuss priorem libelli partem remittit ad tempus primorum Ptolemaeorum, alteram ad tempus quod interiacet inter finem bellorum machabaicorum et initium dominationis romanae in Palaestina (Geschichte der heiligen Schriften A. T. 1881 p. 530. 632 seq.). Alii demum, ut Hitzig (Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie 1860 p. 262), Volkmar (Handbuch d. Einleitung in die Apocr.), Schürer (l. c. p. 723 et antea iam in Herzog's Realencyklopaedie I p. 501 2 ed.) et Kneucker l. c. p. 46 seq. libri argumentum referri volunt ad urbis expugnationem a Tito factam anno 70 post Christum, dum alii, uti Keil, Schrader, Vatke certum tempus assignari posse negant. Unde iterum deprehendis quam multiplicem et incertum exitum habeat error.

Verum cur Baruch esse auctorem negant, cur inscriptionem libri tempusque ibi assignatum fraudis arguunt et mendacii? Putant scil. varios deprehendi in libro errores, alia quae ad tempus in inscriptione declaratum minime conveniant. Ita 1,10. 14 supponi templum adhuc stare, assignari pontificem Ioakim in Ierusalem, Iechoniam utpote carcere inclusum non potuisse lectioni libri interesse, filium Nabuchodonosor nominari Baltassar, fieri non posse, ut ad preces pro Nabuchodonosor et filio fundendas admonerentur, exsilium babylonicum nequaquam adeo durum fuisse quam in libro supponatur; varia deprompta esse ex libris Danielis et Nehemiae (cf. Keil, Schrader, Kneucker, Reuss).

Ut ab ultimo incipiam, utique oratio illa Dan. 9,7 etc. magnam habet cum oratione quam legimus apud Baruch similitudinem. Sed quaestio est, utrum Daniel a Baruch, an Baruch a Daniel aliqua sit mutuatus. Plerumque critici illi sine ulla investigatione hoc supponunt. At alii critici, uti Dillmann, Herzfeld, Ewald, contendunt orationem apud Danielem ex illa apud Baruch esse ortam et trans-

sumptam. Neutrum certis rationibus demonstrari potest, si solum utriusque verba inter se conferuntur. Ergo ex hoc capite nil sequitur contra Baruch. Verum id potius oportet considerari, si libellus Baruch lectus est apud exsules facillime declarari quomodo oratio illa usu et consuetudine sit recepta, indeque quomodo Daniel iisdem fere verbis animum dolentem coram Domino effuderit. Utramque orationem diligenter inter se contulit Reusch in fasciculo 6. anni 1852 Katholische Zeitschrift für Geistliche und Laien. — Immerito aliqua ex Nehemia deprompta esse asserunt; nam eadem quae apud Nehemiam leguntur, deprehenduntur quoque apud Danielem. Unde agitur solum de ratione quae adsit inter librum Baruch et Daniel, quae per se in neutram partem certo definiri potest, ergo frustra contra Baruch profertur.

Quodsi 1,10. 14 de ara Domini et de templo sermo est, id eodem modo concipi debet quo Ier. 41,5 urbe et templo incensis de domo Domini et de muneribus ibi offerendis mentio fit. Ipse enim locus templi locus erat sacer; muri praecipui et fortiores incendio non erant destructi; quare haud erat difficile ita templi ruinas reparare, ut qui remanserant ibi sacrificia offerre et coetus sollemnes peragere possent. Id autem revera factum esse narratione illa apud Ieremiam 41,5 seq. demonstratur. Quodsi autem obiiciunt Ioakim *pontificem* vel *sacerdotem magnum*, falso ingerunt in textum quod ibi non legitur; vocatur enim solum ὁ ἱερεύς; quare omnino sufficit assumere eum parvae Iudaeorum coloniae praefuisse et principem fuisse sacerdotum eorum qui etiamtum Ierusalem degebant. In qua re quid potest esse improbabile? Neque ullibi asseritur Iechoniam perpetuo fuisse in carcere inclusum neque ullo modo probabile est eum tam dura custodia esse servatum, ut aditus ad eum non pateret. Immo cum Iechonias ipse sit egressus ad regem Nabuchodonosor seque ei tradiderit (4 Reg. 24,12), omnino supponere possumus eum mitius esse habitum. Praeterea constat Iudaeos in Babylonia non fuisse inclusos carceribus, sed vitam degisse liberam (vide Ier. 29,5 seq. Dan. 13,4 seq.); cur igitur censendum erit Iechoniam perpetuo carcere esse inclusum? Porro si negant Nabuchodonosor filium habuisse Baltassar nomine, audacia negandi est quidem admiranda, at nemo adhuc ostendit quo iure negent. Num omnia eius temporis ita sunt explorata vel certis documentis probata, ut quot filios habuerit rex dicere possimus? Ex inscriptionibus Nabopalassar quas Strassmaier publici iuris fecit discimus nomen fratris iunioris Nabuchodonosor qui Nabusulisia appellabatur (Zeitschrift für Assyriologie IV p. 111). Quis antea de eo fratre iuniore aliquid compertum habuit? Nabucho-

donosor diu regnavit; quid igitur improbabile in eo est, filium primogenitum Baltassar mortuum esse ante patrem, ideoque alium scil. Evilmerodach in regno successisse? Nonne etiam fuerunt qui Sargon Is. 20,1 cum alibi non eius fiat mentio expunctum vellent? Satius est in veterum historiis modeste fateri nos plurima ignorare.

Magno pondere contendunt plane fieri non potuisse ut ad preces pro rege fundendas 1,11 admonerentur; immo Reuss l. c. p. 530 eiusmodi admonitionem eo tempore ne cogitari quidem posse (ist undenkbar) serio affirmat et Kneucker eam plane excludi censet iis quae 3, 10 et 4,30 seq. dicantur. At illi non legisse videntur quae rege Sedecia Ieremias scripsit exsulibus : quaerite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vestra (29,7). Quae admonitio multo magis valebat pro tempore, quo regno iudaico destructo omnis spes reditus mox futuri erat ablata. Et quomodo ei admonitioni obstet cap. 3 et 4, nemo dixerit. Nam ibi solum dicitur populum esse in terra aliena et enuntiatur illa spes reditus quae etiam apud Ieremiam non semel, sed saepe legitur, enuntiatur hostes populi Dei demum iri prostratum, id quod pariter Ieremias annuntiat. Sicut itaque apud Ieremiam admonitio illa et Chaldaei hostes vel inimici, exsilium longius et prostratio hostium futura minime inter se pugnant, ita haec apud Baruch minime licet proponere tamquam inter se excludentia, nisi quis sanae rationi nuntium remiserit. Porro *Kneucker* idem qui orationem pro Nabuchodonosor fieri potuisse negat, tamen ex altera parte asserit l. c. p. 35 exsilium non adeo durum fuisse, ut 2,13. 18. 29; 3,1 seq. 3,10 describatur. Si ergo miti modo habebantur, cur pro rege benigno non preces fundere poterant; vel cur non orare, ut ea regis benignitas conservetur? id quod 1,11. 12 dicitur? Neque tamen locis allatis exsilium crudele describitur, verum se ira Dei esse eiectos in terram alienam, se lugere cladem et exsilium et dolere de iniquitatibus, se iam non esse populum qui inter alios populos regnaque cum honore nominetur, sed esse quasi populum exstinctum atque deletum. Sed quid iis in vocibus falsi vel quod a temporis conditione recedat? Ceterum de his et aliis quoque vide infra in commentario.

Iam paucis quoque perlustremus quomodo opinionem de origine recenti persuadere conentur. Et Kneucker quidem priorem libelli partem omnino separat; nam orationem illam 1,15-3,8 ineptam esse censet quae populo praelegatur, quia sit confessio quaedam peccatorum et precatio; unde eam partem iam nullo modo congruere titulo : et *legit* Baruch; pariter ridet de eo quod libellus sit legendus in Babel et tamen etiam mittendus Ierusalem ibique legendus; id enim nulla ratione fieri posse ipsi est evidens (p. 16).

Postquam hoc praestitit, in id incumbit, ut ostendat cuncta quae in libello dicantur apte referri ad tempus Titi et destructionis urbis : urbem esse destructam 4,31. 33; Romanos nemini pepercisse 4,15; triumphum a Tito actum tangi 4,31-34 et 3,17. 18; spectacula a Tito variis in urbibus data, in quibus Iudaei vel inter se vel cum bestiis pugnare debebant indicari 4,31 seq.; nummum illum in memoriam Iudaeae captae excusum cerni in 4,8. 9; Iudaeos coactos esse Romae opera servilia praestare in thermis Titi aedificandis indicari 4,31. 32 (nota, quot et quanta hisce versibus imponantur!), ludos describi splendidos qui ad colosseum dedicandum celebrabantur, esse evidens in 3,16.17 (augenscheinlich); in 3,17. 18 tangi vel ea quae Vespasianus de fisco instituit vel alludi ad Domitiani studium et cupiditatem statuarum aurearum et argentearum; antea in iisdem vocibus vidit triumphum Titi!

Verum clariora indicia vir sagax detexit. In 4,32-35 « sine dubio » tanguntur incendia illa, de quibus Tacitus refert (hist. 1,2), tangitur eruptio Vesuvii et magna illa pestis quae sequebatur maximum illud incendium quo per 3 dies anno 80 urbs est vastata (Suetonius, Tit. 8). Etiam 1,10. 11 remittimur ad tempus imperatorum romanorum, quia pro iis teste Iosepho quotidie sacrificia fiebant. In 2,13 et sim. adumbratur illud quod a tempore Claudii a Romanis fieri solebat, scil. ut Iudaei quam maxime per orbem dispergerentur; in 2,21 audimus varias admonitiones quibus Titus per Iosephum cives hierosolymitanos ad deditionem exhortabatur; in 2,24. 25 describitur caedes in urbe facta per Idumaeos quos zelotae in urbem induxerant (Iosephus, bell. iud. 4,5, 1. 2); in 2,29 et 3,3. 4 cernuntur persecutiones Iudaeorum ex anno 73; in 2,21 seq. discordia illa nobis proponitur quae bello iudaico exstitit inter duas populi partes, alteram scil. pacis studiosam, belli alteram. Immo ne quid desideretur docemur a viro critico nil obstare quominus in 4,1-4 cernamus fieri dehortationem et dissuasionem ne Iudaei rei christianae nomen dent; quare valde esse probabile 4,3 ne tradas *alteri* gloriam tuam, illum alterum intelligi vel Christum vel imperatorem romanum qui etiam divinos honores sibi arrogaverit (l. c. p. 73); atque in universum 3,15 seq. et 3,35-4,4 depingi quam maxime Iudaeorum de sua religione iactantiam et superbiam quae exsulibus summopere propria fuerit. — En habes praecipua quibus *demonstrent* (!) librum Baruch ortum esse c. annum 80 post Christum. Quam arbitrarie cuncta dicantur et explicentur, plerumque iam simplici lectione versuum evidens est; ceterum vide comment.

Simili modo sed brevius argumentatur *Schürer* l. c. : cum de destructione Ierusalem per Chaldaeos facta cogitari nequeat, omnia quae dicuntur ad solam illam ruinam per Titum invectam referri possunt; ad illud tempus quoque optime congruit quod ad Nabuchodonosor adiungitur filius Baltassar, cum ita Vespasianus et Titus apte designentur. Unum obstare cernit quod scil. libellus eo tempore ortus apud christianos acceptus sit; at difficultatem sibi solvit dicens omnino idem (ganz dasselbe) factum esse de apocalypsi Baruch et quarto libro Esdrae. At quam egregie vir criticus vel

fallat vel fallatur, statim patet cum isti libri apocryphi et rarissime et brevi tempore apud paucissimos in usu fuerint. De qua re vide *Cornely*, Introd. I p. 67. 202. 211. Plane aliter de libro nostro ab initio rei christianae et ubique et constanter iudicatum fuisse testimoniis iam supra allatis ostensum est.

III. — De ipso libro.

Libri argumentum, uti supra iam monui ad exsilii tempus aptissime selectum est. Id enim in eo proponitur populo quod prophetae continuo monuerant et ad tales sensus exsules erudiuntur et provocantur quos iidem salutari Dei castigatione excitatum iri praedixerant et quibus mediis in tribulationibus pios Israelitas ut animos erigerent exhortabantur. Duabus partibus constat libellus quae arcte inter se cohaerent scil. sicut illud : declina a malo et fac bonum, vel sicut duae illae muneris partes Ieremiae destruendi et aedificandi. Priore etenim parte 1,15-3,8 humilis continetur peccatorum confessio et detestatio cum precatione veniae et imploratione auxilii divini; in altera parte 3,9-5,9 propheta veram iis ostendit salutis viam, verum omnium bonorum fontem in legis divinae observatione positum et spe praeclara animos exsulum confortat. Libello ipsi praemittitur, quo tempore sit exsulibus liber iste praelectus et qua occasione simul cum epistola exsulum sit transmissus ad populi reliquias in regione hierosolymitana degentes (1,2-14).

Cum itaque ex argumento apte cohaerente per se unum quoddam coalescat, frustra aliqui libellum in duo vel tria scripta diversa discerpere et alii aliique auctori adscribere tentarunt. Ita Fritzsche, Reuss, Schürer duo scripta duosque auctores assumunt; tribus autem indigent Hitzig, Kneucker, Hilgenfeld; tertio scil. quodam pro 1,3-14. Rationes autem petunt ex diverso dicendi genere linguaque graeca in ultima parte puriore; dein ex doctrina de sapientia qua ad alexandrinum philosophandi genus accedatur (Reuss) vel in qua saltem aliqua ex eruditione alexandrina reperiantur (Fritzsche) ; demum ex eo quod in parte priore praecipue Ieremias, in altera vero praecipue Isaias allegetur. Verum iis rationibus effici nihil vel saltem eas esse omnino leves, iam ex eo facile concluseris quod alii protestantes unum esse librum defendunt et affirmant; ita Keil, Schrader, Vatke, Davidson (cf. *Cornely,* Introd. II 2 p. 419). Atque revera rationes illae sunt leviores; nam dicendi genus in utraque parte est fere idem; hebraismi utrobique reperiuntur; ex argumento autem diverso etiam alium enasci dicendi modum per se patet. Aliter enim loquitur qui gemit et dolet et se reum fatetur et iuste punitum et veniam precatur;

aliter qui docet, spem excitat, consolatur, magnificas Dei promissiones magna animi exsultatione in memoriam revocat et celebrat. Unde quid mirum esse potest, si aliquid discriminis in utraque parte advertitur? plane mirum esset, si nihil deprehenderetur.

Doctrina autem de sapientia prorsus non petitur ex philosophia alexandrina, sed, prout ipsa verba et sententiae fere singulae clamant, ex divina revelatione in s. litteris, praesertim in libro Iob, contenta et expressa; vide singula in comment.; neque adsunt vestigia eruditionis alexandrinae. Tria se detexisse Fritzsche opinatur: 3,24 ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ, 4,7 δαιμόνια, 3,23 μυθολόγοι; en totus eruditionis apparatus! Mundum vel coelum, utpote Dei habitaculum vocari domum Dei minime opus est ad alexandrinos referre philosophos, cum iam Gen. 28,17 locus ille quo Deus se peculiari modo manifestat et gloriam suam ostendit, domus Dei appelletur; δαιμόνια vero debentur interpreti graeco, qui eum secutus est vocem hebr. interpretandi modum quem apud LXX non uno in loco deprehendimus; vide LXX Ps. 90,6; 95,5; 105,35. Deut. 32,17. Is. 13,21; 34,14; 65,10. Vox quoque tertia μυθολόγοι graeco debetur interpreti; ergo inquirendum est quam vocem hebr. eo modo reddidisse censeri possit. Iam Theodoretus vocem explicat οἱ παραβολικῶς εἰώθασι διαλέγεσθαι; atque revera Eccli. 20,19. 20 μῦθος, παραβολή inter se satis prope iunguntur; quare valde probabile est μυθολόγους eos intelligi sapientes qui more orientalium proverbiis, parabolis, aenigmatis utuntur ad suam sapientiam docendam. Ceterum adverte quod *Cornely* l. c. p. 420 notat eam vocem aeque parum auctoris sacri eruditionem alexandrinam probare atque similes expressiones a S. Hieronymo adhibitas (Is. 13,22 sirenes; Ier. 50,39 fauni; Ez. 8,14 mulieres plangentes Adonidem) demonstrent prophetis latinam vel graecam mythologiam cognitam fuisse.

Quis libellum graece verterit nescimus. Sunt qui censeant eundem qui librum Ieremiae verterit etiam hunc vertisse libellum (Ewald, Geschichte des V. Israel, IV p. 268); sunt enim in libello quaedam quae cum graeca versione Ieremiae omnino congruant; ita δεσμώτης 1,9; ἀποστολή 2,25; χαρμοσύνη 4,23 (vide Ier. 24,1; 32,26; 33,11; 48, 33); ita quoque sentit Fritzsche l. c. p. 173 neque abnuit Reusch p. 77. Alii id negant, ut Kneucker p. 84, qui insuper p. 77 duobus indiget interpretibus, quia eadem vox hebr. aliter in priore, aliter in altera parte sit versa; ita כִּי in priore parte communiter verti ὅτι, in altera plerumque γάρ, in verborum delectu, collocatione, in usu praepositionum, copulae, in ipsa sententiarum constructione

cerni discrimina inter partem utramque. At hisce omnibus duo interpretes non ostenduntur. Cogita enim quam diverso modo S. Hieronymus haud raro eandem vocem hebr. reddat in eodem quoque libro (cuius rei exempla multa attuli in Comment. Iob p. 85. 87. 99. 103,107 etc. etc.) et quam varie varias verterit s. Scripturae partes. Immo haud absimilia etiam in versione latina vulg. libelli nostri notari possunt; v. g. ἐπὶ 2,1 ad; sed 2,2. 7 super; βαδίζειν 2,18 incedere, 4,19 ambulare; ἀπειθεῖν 1,17 non credere (diffidere), 1,19 esse incredibilem (in alia versione : contemnere, esse contumacem); πορεύεσθαι τοῖς προστάγμασι 1,18 ambulare in mandatis, 2,10 ire in praeceptis (in alia versione : ire in praecepta, ambulare in praeceptis); δέησις 2,14 oratio, 4,20 obsecratio; δικαίωμα 2,17 iustificatio, 2,19 iustitia; ἐργάζεσθαι 1,22 operari, 2,21 opera facere; ἄβατον 2,4 desolatio, 2,23 sine vestigio; προσευχή 2,14 preces, 3,4 oratio; κολλᾶσθαι 1,20 adhaerere, 3,4 agglutinari; κτῆσις 3,18 acquisitio, 3,24 possessio; σύνεσις 3,14 intellectus, 3,23 prudentia; φρόνησις 3,14 prudentia, 3, 28 sapientia, ἐπάγειν 4,9 adducere, 4,29 inducere; 4,10. 14 superducere etc. etc.; ex quibus tamen nemo concludit plures exstitisse interpretes latinos. Unde idem dic de interprete graeco.

Versio latina quae in nostra vulgata legitur a S. Hieronymo neque adornata neque emendata est; ipse enim in praefatione ad versionem Ieremiae asserit: « librum Baruch notarii eius... praetermisimus » et in prologo ad commentarios in Ieremiam : « libellum autem Baruch qui vulgo editioni Septuaginta copulatur... et ψευδεπίγραφον epistolam Ieremiae nequaquam censui disserendam ». Quare versio nostra latina ex antiqua illa s. Scripturaé translatione quam Italam communiter vocant servata est; atque profecto omnes illas in se exhibet notas quae veteri illi versioni adscribuntur; vide *Cornely,* Introd. I p. 370 seq.; *Kaulen,* Einleitung p. 113. Modo valde accurato, immo servili sequitur textum graecum eumque neglecto etiam colore latino exprimit; v. g. dominabuntur 2,34 κυριεύσουσιν; inveterasti 3,11 ἐπαλαιώθης; coinquinatus es 3,11 συνεμιάνθης; longiturnitas vitae 3,14 μακροβίωσις; sub manu 2,4 ὑποχειρίους; a foris 2,22 ἔξωθεν. Verbis utitur peculiaribus et ex lingua vulgari et sermone provinciali depromptis; v. g. incredibilis 1,19; subiectibilis 1,18; minorare 2,34; superducere 4,10. 14; adinvenire 3,32. 37; gaudimonium 4,34; animaequior 4,5. 21. 27. 30; thesaurizare 3,18; saepe iungitur *in* cum ablativo, ubi accusativum exspectares 2,4. 12. 25.27; 3,7. 32; 4,35 etc. Quam arcte interpres inhaereat vestigiis textus graeci, etiam apparet eo quod articulum graecum exprimit pronomine *ille* 2,27; 3,26; *ipse* 3,

4; legitur manna 1,10, diplois, mitra 5,2; operari, opera facere i. e. servire 1,22; 2,21. 24; sine vestigio *ab* inhabitantibus eam 2,23; ponitur infinitivus more graeco 1,8. 20. 22; 2,22; etc.; plura hac de re, si tua interest, invenies apud *Kaulen,* Handbuch z. Vulgata, *Roensch,* Itala und Vulgata, *Kneucker* l. c. p. 143 seq.

Praeter textum illum quem in vulgata legimus exstat alius textus latinus, quem invenies apud *Sabatier,* Bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae, II p. 737. Duo isti textus haud multum inter se differunt neque sunt duae versiones, verum unius versionis latinae alia et alia retractatio vel ut loqui solent duae unius textus recensiones. Textus *vulg.* ita scil. est retractatus ut plerumque magis accedat ad textum graecum, dum alter haud raro dictionem sequatur elegantiorem magisque latinam, saepius etiam breviorem; v. g. 1,14 quem cum accepissent; 1,5 ieiunaverunt cum fletu adorantes Dominum; 1,13 si forsitan avertatur indignatio Domini et iracundia eius a nobis; 2,31 et dabo illis cor ad intelligendum et aures ad audiendum; 2,28 qua die mandasti ei; melius dicitur v. g. 1,7 qui inventus est; 1,8 quae fecerat; 1,9 postquam adduxit; 1,15 hodierna die; 1,20 fluentem lacte et melle; 2,7 venerunt nobis; 2,11 cum signis et prodigiis; 2,14 eripe; 2,16 prospice; 2,21 haec dicit Dominus; 2,26 domum in qua invocatum est nomen tuum; 2,33 a duritia cordis sui; 4,5. 27 constantes estote; 4,18 qui vobis haec mala intulit; 4,21 animum fortem habete; 5,6 exierunt a te pedestres etc. Atque quandoque etiam durior ibi legitur loquendi modus v. g. 3,34 splendificatae sunt stellae; 4,14 convicinantes Sion; 1,15 migratus est ab Ierusalem; 2,5. 10. 29 obaudire vocem; 3,25 non habet consummationem; 5,4 Dei cultura. Sententiae leguntur breviores v. g. 2,1. 7. 18. 21. 22. 27. 35; 3,32. 34; 4,2. 10. 28. 31. 37; 5,1; etc.; aliis tamen in locis adduntur quaedam v. g. 1,2 cuius libri verba sunt in subiecto; 1,7 Ioachim, sacerdotem *magnum;* 1,14 quem cum accepissent legerunt, in quo fuit scriptum hoc; 1,15 confusio ruboris in facie; 1,18 ire in praecepta et in mandata eius quae dedit ante faciem nostram; 2,9 in malis operibus nostris; 2,16 et annue nobis; post 3,8 legitur : et cum explicuisset librum orationis captivorum accipiens spiritus vocem Ierusalem locutus est dicens; 3,14 ubi sit longiturnitas, virtus et vita; 3,23 prudentiae viam et sapientiam; 4,24 cum magna laetitia et gloria; 4,33 in tuo casu Babylon etc. Saepius sensus exprimitur alius v. g. 4,25 filii patientes estote, quia per iram Dei persecutus est vos inimicus; 4,27 erit enim illi pro vestra captivitate memoria; 4,32 miserior qui accepit filios tuos; 5,9 praeibit enim Deus Israel cum laetitia in lumine maiestatis suae. Si autem textus uterque cum codicibus graecis

comparatur, hoc habebis iudice Kneucker : vulgata nostra praebet textum quendam mixtum cui praeter codicem vaticanum creberrime testimonium ferunt codices 62. 36. alexandrinus, 48. 231; ubi textus alter (quem vet. lat. in comment. nomino) recedit a vulgata plerumque refert textum receptum codicis vaticani et lectiones variantes codicum 106. 36. 62. alexandrini, 48. 51. 96. 231 (l. c. p. 147. 153). De istis codd. aliqua tradidi in Comment. Ier. p. 12; alia vide apud *Fritzsche*, libri apocryphi vet. test. graece, Lipsiae 1871 p. IX seq.

IV. — De epistola Ieremiae.

In vulgata adiungitur tamquam cap. 6 libro Baruch exemplar epistolae quam misit Ieremias ad abducendos captivos in Babyloniam; alias enumerantur apud veteres Ieremias et Baruch, Lamentationes et epistola Ieremiae, qui ordo etiam in plerisque codicibus graecis et in plerisque versionibus observatur. In hac epistola ii qui iamiam abducendi sunt in Babyloniam monentur ut caveant ab idololatria; quem in finem modo quodam facili et populari ostenditur idola nihil esse nihilque valere, ne sordes quidem a se arcere posse, neque se a latronibus vel incendio posse defendere; immo a suis cultoribus despici ritibusque coli abominandis et omnibus rebus atque ipsis bestiis esse viliora. Rationes variae quibus stupiditas idololatrarum exagitatur una illa concluduntur admonitione, ne timeant idola neve deos existiment.

Inscriptione epistola attribuitur Ieremiae. Id recte fieri ab omnibus quidem protestantibus negatur (cf. Keil, Fritzsche, Schrader, Reuss etc.); at cur illi inscriptioni non sit fides adhibenda, nulla ratio solida afferri potest. Nam, uti Ieremias cap. 29 epistola exsules docuit, uti cap. 10 vanitatem idolorum et stultitiam idololatriae exagitavit, ita omnino erat muneris sui prophetici eos qui iamiam abducendi erant in Babyloniam contra pericula praemunire iisque modo quam maxime evidenti et efficaci et ad omnium captum accommodatissimo ostendere quam ridicula sint idola. Id autem in hac epistola praestari ratione eximia negari non potest. Porro in ipsa idolorum descriptione ea efferuntur quae ipsis veterum monumentis aliorumque etiam scriptorum testimoniis vera esse omnino comprobantur. Cernuntur enim in monumentis idola eo modo quo 6,13. 14 describuntur, cernuntur portari pompa sollemni, uti 6,3 dicitur; quod 6,9 dicitur, ex ipsa quae dicitur bibliotheca Asurbanipal illustratur exemplo, cum magistratus aliquis decem talenta auri a rege pro statua dei assignati sibi subtraxerit; quod 6,42. 43 asseritur, ipso Herodoto teste

(1,199) comprobatur (cf. *Brunengo*, L'Impero di Babilonia e di Ninive I p. 71 ; II p. 330; *Vigouroux*, la Bible et les découvertes modernes 3 ed. IV p. 308); porro de deorum statuis aureis, argenteis, de insignibus deorum, fulgure scil. vel gladio flammante, de idolorum vestibus pretiosis gemmisque, de pompis et supplicationibus ea referunt quae cum hac epistola omnino consentiunt; vide *G. Rawlinson*, The five great monarchies, 2 ed. I p. 130; III p. 28; *Tiele*, Babylonisch-assyrische Geschichte, Gotha 1886, p. 531. 542. 544. Quae si perpenderis, mecum miraberis quod Reuss l. c. p. 634 audacter affirmat in hac epistola non idola describi babylonica, sed graeca.

Neque genus dicendi alienum est a Ieremia. Deprehenditur enim non tam concisum quam potius aliquantum diffusum, repetitionibus minime carens; in descriptione idolorum verba notionesque repetuntur ex Deut. (v. 34 et Deut. 23,21) et Isaia (cap. 40. 41. 44. 46) et ex ipso libro Ieremiae; v. g. v. 1 et Ier. 10,5; v. 5 et 5,24; v. 7 et 10, 14; v. 15 et 10,5 et comparatio illa a vase desumpta ei est familiaris; cf. cap. 18. 19; 22,28; 48,38; v. 24 et 10,14; v. 53 et 22,16; 30,13; v. 66 et 10,2 etc. Unde magna adest cum libro Ieremiae similitudo. At potestne ostendi epistolam hanc non esse primitus scriptam graece, sed versam ex hebraeo? Protestantes generatim hoc negant, illud affirmant. Verum est linguam graecam in hac epistola esse puriorem et modum loquendi elegantiorem quam in libro Baruch; sed eo solum conficitur interpretem fuisse magis linguae graecae peritum vel maiorem puritatem et elegantiam esse sectatum. Ceterum ea leguntur quibus omnino suadetur epistolam esse ex hebraeo translatam. Nam mutatio temporum verbi, usus temporis futuri iis in rebus quae fiunt et consuetudine recepta fieri solent, facilius explicatur in aliqua translatione ex hebr. cf. v. g. v. 10. 11. 33. 34. 67 (graece); item mutatio constructionis grammaticalis; ita in v. legitur προσκυνοῦντας αὐτά, in v. 6 autem σοὶ δεῖ προσκυνεῖν, id quod ex hebr. ל facile explicatur; pariter in v. 8 dicitur bene graece ψευδῆ ἐστὶ, sed statim subditur pluralis οὐ δύνανται λαλεῖν; idem cernitur in v. 68; id quod facile explicatur ex eo quod in membro priore hebr. verbum היה non erat positum, in altero autem hebr. numerus adhibebatur pluralis quem interpres fideliter expressit, dum in priore membro indolem linguae graecae sequebatur; simile quid cernis in v. 38 ὀρφανὸν εὖ ποιήσωσι, dum in v. 64 eadem dictio iungitur dativo, quod fideliter hebr. ל exprimit (cf. *Welte*, Einleitung, II 3 p. 156; *Cornely* l. c. p. 413). Porro v. 5 ἀφομοιωθέντες ἀφομοιωθῆτε modus loquendi est ex hebraismo notissimo ortus; v. 6 εἴπατε τῇ διανοίᾳ dicere in corde, pariter est hebraismus pro notione cogitandi apud se; v. 20 adhibetur καρδία ex

more hebr. de interioribus rei partibus; in v. 27 adest mutatio constructionis in hebr. frequens, ut prior pars sententiae infinitivo efferatur, reliqua autem verbo finito; v. 29 ἀποκαθημένη solum declarari potest ex LXX Lev. 15,33; 20,18. Is. 30,22. Lament. 1,17; in v. 39 constructionis mutatio ὡμοιωμένοι εἰσὶν τὰ ξύλινα... etiam facilius explicatur si versionem ex hebr. assumpseris; in v. 40. 44. 64 ὑπάρχειν post κλητέον omnino bene dici et intelligi potest, si καλεῖσθαι explicaveris ex hebr. קרא; in v. 48 βουλεύεσθαι πρὸς graece non est in usu, at respondet hebr. נועץ אל, uti etiam Fritzsche notat; porro si in v. 53 tibi mirum videtur quod in membro priore *rex,* in altero *pluvia* ponatur: regem non suscitant neque pluviam dabunt, poteris cum Reusch censere positum fuisse in hebr. מורה quae vox Iob 36,22 LXX δυνάστης redditur et quae etiam in hoc loco post regem non de imbre temporaneo sed de doctore vel dynasta fuerat interpretanda; in v. 54 ἀδίκημα quae vox ibi intelligi nequit potest concipi errore ortum esse eo quod pro hebr. עשוק lectum sit עשק; etiam in v. 59 cernitur mutatio constructionis quae facilius ex textu hebr. explicatur.

Hisce autem perpensis nemo negare poterit cerni vestigia satis multa, ut dicamus epistolam esse ex hebr. versam. Proinde ex dicendi genere nihil iure afferri potest quo vere demonstretur inscriptionem qua Ieremias auctor declaratur esse falsam et confictam. Atqui quamdiu hoc non certo probatur, standum est inscriptione, tamquam testimonio antiquissimo et ipsa receptione epistolae et ad librum Ieremiae apud LXX appositione sollemniter confirmato. Neque valet quod ex v. 2 (3) obiiciunt, contradici Ieremiae qui exsilium 70 annis circumscripserit, dum hic multo longius tempus, septem scil. generationum assignetur. Vide comment.; hic sufficiat dicere cum *Cornely* l. c. p. 413: « verum nescio annon ex hac antiphania eundem esse epistolae et vaticiniorum auctorem rectius concludatur; nam tam cognitus erat numerus annorum a Ieremia praedictus (cf. Dan. 9,2. Zach. 7,5. 2 Par. 36,21), ut iunior scriptor, si sese, uti supponunt adversarii, Ieremiam fingere voluisset, certe eundem numerum posuisset ».

Alii obiiciunt epistolam esse Ieremia indignam, esse ineptam quandam imitationem cap. 10 Ieremiae et cap. 29 (Keil, de Wette-Schrader, Reuss); at cur talis admonitio sit indigna Ieremia, is certe mirabitur qui legit cap. 40. 44 Isaiae et qui populi ad idololatriam inclinationem fatalem ex libro Ieremiae novit. Dein perpendi oportet, ne quis modo loquendi populari offendatur, prophetam sermonem dirigere ad populum, qui postquam nobilior pars iam antea sub rege Ioachin abducta erat remanserat et urbe capta in Babyloniam transfere-

batur. Quare vates plebem rudem « reliquum vulgus » (4 Reg. 25,11) alloquitur iisque eo modo qui pro ipsis maxime erat ad persuadendum aptus. Quod si attenderis, nullo pacto admonitionem hanc Ieremia esse indignam aestimaveris, e contra studium laudaveris et fervorem quo impulsus adeo efficaciter demonstret et persuadeat idololatriae stultitiam. Atque periculum haud exiguum institisse populo ex idolorum cultu quis negaverit? Unde occasio epistolae scribendae non modo non deerat, verum potius necessitate quadam ei offerebatur qui tanta cura et sollicitudine salutem populi sui exoptabat et promovebat.

V. — De commentariis.

Ex veteribus solum nominandi sunt *Theodoretus* et *Olympiodorus* (*M.* 81,760-780; 93,761-780); ille libellum Baruch excepta epistola explicat; ab hoc (*Ol.*) fragmenta quaedam in utrumque servata sunt. Sicuti b. *Albertus* exposuit Lamentationes, ita Baruch quoque et epistolam brevibus notis aliisque s. Scripturae locis allatis illustravit. Laude dignus est commentarius *G. Sanctii;* egregias notas scripsit *Petrus Lanssellius,* quae merito receptae sunt in bibl. Venet. tom. 19. De aliorum, uti *Maldonati, Malvendae, Cornelii a Lapide, Calmeti* etc. commentariis vide quae dicta sunt in Proleg. ad Ieremiam.

Ex recentioribus mentione laudandi sunt : *Fr. H. Reusch* (*R.*), Erklaerung des Buches Baruch 1853 ; *Trochon* (*Troch.*), Jérémie, Lamentations, Baruch, Paris 1883.

Ex protestantibus *Fritzsche* (*Fr.*) explicuit Baruch in primo fasciculo operis : Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zu den Apokryphen des a. T. Leipzig 1851, p. 167-220; dein *Kneucker* (*Kn.*), das Buch Baruch, Geschichte und Kritik, Uebersetzung und Erklaerung auf Grund des wiederhergestellten hebr. Urtextes, Leipzig 1879; in quo libro laude digna est diligens collectio lectionum variantium ex antiquis libri Baruch versionibus graeca, latina, syriaca, coptica, armena, arabica; in ipsa explicatione id potissimum agit *Kn.* ut inquirat et discutiat quae verba hebr. pro graecis sint ponenda; qua disquisitione suam hebr. versionem textus graeci et commendet et vindicet. Plane autem repudianda et reprehendenda est dissertatio de auctore vel potius auctoribus libri et de tempore de quo agatur in libello (vide supra p. 441 seq.).

LIBER BARUCH

Prooemium 1, 1-14.

Arg. — Librum hunc legit Baruch exsulibus in Babylone eodem mense ac die quo urbs ante quinque annos fuerat incensa. Lecto libro ad poenitentiam concitati colligunt pecuniam eamque per Baruch, qui vasa sacra argentea in terram Iuda reportabat, mittunt ad Ioakim sacerdotem, ut in loco sacro sacrificia offerantur; additur v. 10-14 epistola quam habitantibus in regione urbis mittunt et qua eos adhortantur, ut pro se et pro rege Nabuchodonosor orent et librum Baruch ipsi quoque legant.

« Primo auctor describitur, secundo fructus seu utilitas libri subiungitur » (*Alb.*) v. 1 « *Et haec verba libri quae scripsit Baruch filius Neriae filii Maasiae, filii Sedeciae, filii Sedei, filii Helciae, in Babylonia* »; — hebraicus dicendi color iam in eo cernitur quod libellus ab *et* ו incipit, uti Ios. Iud. 1 Sam. 1 Reg. Ez. Ion. (vide *de Hummelauer* ad 1 Sam. 1,1 et quae ego notavi ad Ion. 1,1); aliis placet libellum hunc ita copulari ad antecedentem librum Ieremiae (*Alb. Lyr. R.*); *Mald. Lans.* ita copulari cum titulo libri, id quod nequit admitti, cum ipsa haec inscriptio sit libri titulus. *Verba libri* eodem modo Ier. 36, 32 τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου. Stirps familiae Baruch pluribus recensetur membris hic quam Ier. 32,12, ubi solum vocatur filius Neri filii Maasiae; pro Sedei legitur gr. Ἀσαδίας i. e. חֲסַדְיָה 1 Par. 3,20 *vulg.* Hasadias; nomina Sedeciae, Helciae satis frequenter usurpata esse videntur; cf. Ier. 29,21; 36,12; 2 Par. 18,10. 2 Reg. 22,8. Ier. 1,1; 29,3; Neh. 8,4. 1 Chron. 6,30; 26,11. Mallem equidem *in Babylonia* referre ad v. 2, quo scil. locus et tempus designatur libri exsulibus praelecti, ita ut post libri titulum vel inscriptionem « et haec verba libri quae scripsit Baruch » statim per modum narrationis inseratur qua occasione primum lectus fuerit liber et quam utilitatem eius lectio habuerit; unde v. 2 « *in anno quinto in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldaei Ierusalem et succenderunt eam igni* v. 3 *et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniae filii Ioakim regis Iuda et ad aures universi populi venientis ad librum* v. 4 *et ad aures potentium, filiorum regum et ad aures presbyterorum et ad aures*

populi a minimo usque ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia ad flumen Sodi »; — qualis fuerit mensis satis determinatur, cum addatur *in tempore quo*... graecum ἔλαβον... explica per plusquamperfectum : ceperant et succenderant; eo modo posse aoristum graecum accipi et saepe eo sensu poni inter grammaticos constat; idem est usus hebr. perfecti, cum plusquamperfectum alio modo exprimi nequeat (cf. Gen. 2,2 : complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat אֲשֶׁר עָשָׂה etc.). Proinde liber lectus est anno quinto eodem die ac mense quo Chaldaei urbem captam incenderant; id autem contigerat mense quinto septima die mensis 4 Reg. 25,8, ex Ier. 52,12 mense quinto *decima* die mensis (vide ad h. l.).

Mensem igitur sufficienter determinari addito *in tempore quo* iam viderunt veteres interpretes; *Malv.* : qui mensis fuerit sequentibus verbis circumscribitur : quasi dicat : praecise quinto post anno et eodem tempore quo urbs conflagraverat; sim. *Lans. Tir. Calm. R. Loch;* atque eum sensum esse textus quoque originalis facile demonstratur ex locutione plane eadem quam habes Deut. 16,6 in lege pro tempore immolationis agni paschalis : in loco quem elegerit Dominus... immolabis phase vespere ad solis occasum ἐν τῷ καιρῷ ᾧ ἐξῆλθες ἐκ γῆς Αἰγύπτου; habemus h. l. eandem dictionem quam legimus in graeca versione Baruch; in hebr. additur ad solis occasum : מוֹעֵד צֵאתְךָ tempore egressionis tuae; adhibetur eadem vox מוֹעֵד quam *Kn.* quoque pro sua versione hebr. usurpat. Unde sicut Deut. 16,6 tempus vespertinum accuratius determinatur adiuncto tempore egressionis ex Aegypto, ita nostro loco dies septimus et mensis declaratur addito eventu urbis combustae; et prout ἐξῆλθες spectat eventum diu praeteritum, ita ἐνέπρησαν nostro loco. Similis est constructio et determinatio temporis Gen. 17,21 : Isaac pariet tibi Sara tempore isto in anno altero, לַמּוֹעֵד הַזֶּה. Dici autem *quo ceperunt et succenderunt* eo sensu : quo urbem *captam* succenderunt, ex hebraismo frequentissimo facile patet quo scil. paratactice collocantur ea quae grammaticali constructione subiiciuntur alteri membro. Quare immerito conqueruntur recentiores omitti mensem (*R. Fr. Kn.*); immerito quoque alii quia non determinetur mensis intelligendum esse mensem primum nisan volunt (*Alb. Lyr. Mald. Sa, Lap. Men.*); perperam quoque *Ewald* ex v. 8 mensem in v. 2 suppleri debere opinatur.

Tempus igitur et diem maxime opportunum selegit Baruch; erat quippe mensis et dies ille quo memoria ruinae urbis et templi quam maxime mentibus obversabatur; mense quinto populum fletu et ieiunio eventum illum recoluisse testis est etiam Zacharias, apud quem ita loquuntur 7,3 : numquid flendum est mihi in quinto mense vel sanctificare me debeo sicut iam feci multis annis? Quod in v. 3 habetur *et legit* pertinet ad antecedentia : in Babylonia in anno quinto in

septimo die mensis quo... legit Baruch; neque ullo pacto obstat particula *et* quae scil. indoli linguae hebr. debetur; crebro enim ponitur post verba et sententias absolute positas maxime tempus designantes (cf. *Ges.* Thes. p. 396) et nostro loco eo potiore iure quia longior praecedit sententia. Ita sensus quoque gignitur aptus. Lectus est liber populo uno illo die. Id facile intelligitur; id quoque ex versu 4. 5 seq. constat. Librum autem eo die scriptum esse simulque lectum difficile tibi persuaseris. Ergone dicendum est auctorem negligenter sententias construxisse, ita ut scripserit se librum composuisse in septimo die mensis et legisse, cum tamen dicere voluerit se eo die librum antea scriptum solum recitasse? Ita quidem aliqui iudicant (*R.*). At certe cum nemo malus praesumendus sit etiam aequum est ut de sacro auctore non statim vel negligentiam vel imperitiam praesumamus, praesertim si ex indole linguae qua utitur exsistit melior explicandi ratio ac facilior. Eam habes a me indicatam.

Quo modus hic iungendi et interpretandi magis fiat obvius, aliqua eius rei exempla adscribere haud piget : Gen. 40,9 legitur ad verbum in hebr. : in somno *et* ecce vitis coram me i. e. ecce in somno vitis erat coram me; Ex. 16,6 : dixerunt Moyses et Aaron ad omnes filios Israel : vespere *et* scietis quod Dominus vos eduxit e terra Aegypti i. e. vespere scietis, vespere re vera experiemini; Lev. 7,16 : et postridie *et* reliquiae eius comedantur i. e. et postridie reliquiae eius comedantur; eodem modo post plura verba Gen. 3,5 : scit Deus quod in die comestionis vestrae ex eo *et* aperiuntur oculi vestri i. e. in die... aperiuntur; Gen. 22,4 : in die tertio *et* elevavit oculos; Prov. 24,27 : postea *et* aedificas domum tuam i. e. postea domum tuam aedificabis. Atque ita temporis determinatione praemissa saepe poni ו *Ewald* docet (Lehrbuch § 344 b). Ad idem dicendi genus pertinet partem aliquam sententiae poni primo loco emphasis gratia et dein addita particula ו sententiam absolvi v. g. generans sapientem *et* gaudebit in eo i. e. pater sapientis gaudere potest Prov. 23,24; cuius rei plurima exstant exempla; Gen. 22,24 : et concubina eius *et* nomen eius Reuma et genuit etiam ipsa; Ex. 12,15 : omnis comedens fermentatum *et* exscindetur anima haec ex Israel; 2 Sam. 15,34 : servus patris tui *et* ego olim i. e. ego olim eram servus patris tui; 2 Sam. 22,41 : hostes meos *et* delebo eos; et similiter vide Ier. 6,19. Dan. 11,25. Ps. 25,11. Iob 36,7. 26 etc. Quare modus iungendi et vertendi quem supra proposui nihil difficultatis habet, idque eo minus quia longior praemittitur complexio verborum.

Intelligi annum quintum post urbem expugnatam et incensam, ergo post illam ruinam quam urbs subiit anno undecimo Sedeciae, ipsis his verbis clare dicitur et in subsequenti quoque oratione perspicue declaratur (2,2; ceterum vide quae supra p. 437 dicta sunt). Iudaeos autem in exsilio positos libertate satis magna usos esse, iam ex iis colligitur quae Ieremias monet : aedificate domos et habitate et plantate hortos et comedite fructum eorum, accipite uxores etc. (29,5); suis vixisse iuribus ex Daniele 13,5 seq. quoque liquet. Unde primores

et plebeios ad audiendam lectionem libri libere potuisse convenire facile conficitur. Iechoniam quoque interfuisse vel alios ad eum esse congregatos ne improbabile existimaveris! Nam cum Iechonias sponte se Nabuchodonosori tradidisset (4 Reg. 24,12) haud difficile intelligitur cur non adeo arcta custodia tentus sit vel cur facilius ad eum aditus patuerit (*Mald. Lans. Calm.*); « agebatur enim iam annus captivitatis 16., sensim ergo ei maior data est libertas, uti et reliquis Iudaeis » (*Lap.*), neque obstat quod tandem 37. anno transmigrationis suae dicitur elevatus et eductus e domo carceris (Ier. 52,31); etsi enim in custodia tenebatur, tamen subinde aditum ad eum esse permissum quis negare potuerit vel censere improbabile? praesertim cum Iudaei, prout ex v. 11. 12 patet, iam animos deposuissent rebelles et exsilii tempus quiete transigere apud se statuissent. Eo tempore insuper aliquid favoris illis esse praestitum a Chaldaeis, ex v. 8 quoque sequitur. Sed cur Sedeciae non fit mentio? Ille fortasse utpote qui rebellis fuerit sacramento iurisiurandi violato arctiore custodia tenebatur vel etiam forsan iam mortem obierat; post urbis regnique ruinam sua culpa adductam, post caedem filiorum, post effossionem oculorum catenis oneratus adductus erat in Babylonem; non est improbabile eum dolore et miseriis confectum mox diem obiisse supremum. Hisce iam manifestum est aliquos plane immerito contra libellum Baruch excipere et obiicere vel quod Iechonias captivus non potuerit lectioni interesse vel quod Sedecias omittatur.

Legere ad aures, graece ἐν ὠσίν dictio est hebr. sicut et dicere in auribus; vide Ier. 36,6. 10. 13. 14. 15. 4 Reg. 23,2. 2 Par. 34,30. Ex eo quod de universo populo mentio fit, aliqui rem ineptam confingunt quo scil. facilius librum hunc vilipendant; rem scil. proponi plane quae fieri nequierit universos exsules in unum convenisse locum. At non attendunt quod additur τῶν ἐρχομένων πρὸς τὴν βίβλον; id quod perspicue nihil aliud dicit quam quod iam *Ol.* vidit : legit omnibus illis qui ad audiendum convenerant; quanta fuerit ea multitudo non dicitur. Aderant praeter regem οἱ δυνατοὶ καὶ υἱοὶ τῶν βασιλέων; ergo hebr. probabiliter גִּבֹּרִים qui etiam 1 Par. 29,24 et 28,1 simul cum filiis regum nominantur : duces militares; dein filii regum, qui sanguine regio nati ad domum David pertinebant. Presbyteri i. e. seniores populi; ea enim voce hebr. הזקנים graece exprimi solet; vide v. g. Ier. 19,1; 26,17; 29,1. In textu graeco, in vulg. et apud Syrum id incommodi reperitur quod bis de omni populo mentio fit; in vet. lat. textus exhibetur melior : « legit ad aures Sedechiae (?) filii Ioachim regis Iuda et ad aures potentium *et* filiorum regum et seniorum et totius populi a pusillo usque ad magnum, universis habitantibus in

Babylonia ad flumen Suth ». A minimo ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου dictio est hebr.; vide Ier. 6,13; 31,34; 42,8; 44,12; de flumine Sodi, Σοὺδ nihil notum est; flumen, hebr. נָהָר de minoribus quoque aquis dicitur (2 Reg. 5,12. Iob 28,11); unde eo nomine forte canalis quidam Euphratis designabatur (*R.*).

De Sodi variae coniecturae propositae sunt. Aliqui eo nomine Euphraten designari volunt (*Sanct.*); *Calm.* idem opinatur ex hebr. זדו, זוד, זד superbus vel ebulliens; cf. Ier. 50,29, « quo nomine significari potuit Euphrates ». Aliorum quoque coniecturas *Calm.* refert, Bocharti, qui emendare vult Sur, cum Sura urbs ad Euphraten legatur, Grotii, qui vult esse ramum fluminis ubi urbs Soita inter Euphraten et Tigridem; urbis Σόειτα meminit Ptolemaeus (5,13. 19). Sodi aliud esse nomen pro Chabora aliqui coniectarunt (cf. *Lans.*), item *Kn.*; *Hitzig* vocem explicat fluvium nigrorum ex arabico et intelligit fluvium eum ad quem usque Arabes σκηνῖται extendebantur i. e. usque ad Araxen. Alia mitto. Verum quamvis de fluvio isto nil certi innotescat, tamen *Kn.* fidenter asserit, flumen istud in parte maxime septemtrionali Babyloniae esse quaerendum et auctorem utpote qui nihil sciverit colonos illos ex regione maxime dissita ad coetum sacrum in urbe Babylone celebrandum advenisse inepte narrare. En quanta levitate et impudentia erroris turpis arguunt auctorem, dum fateri debent se nihil scire de nomine Sod. Similiter ante annos non adeo multos « critici » riserunt de nomine Sargon apud Is. 20,1 etiam erroris insimulantes prophetam, cum iste rex apud nullum alium scriptorem nominaretur; at quis hodie nescit quot monumenta eius regis sint reperta, immo ipsa eius effigies! vide quae notavi ad Is. 20,1.

Censet *Sanct.* non unum aliquem coetum describi in quo lectus sit libellus, sed enumeratione illa declarari repetitis vicibus et variis occasionibus lectionem a Baruch esse factam. At praeter temporis determinationem adeo accuratam in v. 2 etiam ea quae de effectu et fructu lectionis sequuntur, eam opinionem non admittunt; v. 5 « *qui audientes plorabant et ieiunabant et orabant in conspectu Domini*, v. 6 *et collegerunt pecuniam secundum quod potuit uniuscuiusque manus* v. 7 *et miserunt in Ierusalem ad Ioakim filium Helciae filii Salom sacerdotem et ad sacerdotes et ad omnem populum qui inventi sunt cum eo in Ierusalem* »; — iam cernitur ille exsilii fructus quem prophetae speraverant (cf. Mich. 7,9. Ier. 3,21 seq.). Atque revera ad sensum poenitentiae excitandum libellus hic quam maxime factus est. Quam caram habeant urbis templique memoriam produnt eo quod pro sua quisque facultate pecuniam colligunt, ut in loco sacro in quo uno cultus sacrificalis exerceri potuit sacrificia pro se offerantur. Etiam urbe incensa multisque abductis alii multi in regione et in ruinis urbis nova sibi domicilia condebant, uti quoque ex Ier. 40, 7 patet; etiam templo destructo tamen eo in loco sacrificia esse oblata, pariter ex Ier. 41,5 indubie colligitur simulque eo loco manifestum est etiam templum destructum vel locum illum ruinarum templi

vocatum esse domum Domini; ibi enim narratur altero mense post templum incendio deletum venisse viros de Sichem et de Silo et de Samaria « et munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini ». Eodem modo urbem ruinis prostratam vocari Ierusalem et ad illas ruinas proficisci et eo loco habitare exprimi dictione ire in Ierusalem usuvenit multis locis (2 Par. 36,23. Esdr. 1,2. 3. 4. 5. 11 etc.) atque de se est res plane obvia, quo enim alio nomine locus ille designari potuit vel debuit? Quare ridiculi sunt qui ex dictione *in Ierusalem* eruere volunt supponi urbem in integritate constitutam. Modo loquendi *qui inventi sunt* reliquiae indicantur quae ceteris abductis remanserant paucae; vide Ier. 52,25. Cum Ioakim sacerdos nominatim prae aliis sacerdotibus efferatur, reliquorum princeps et caput fuisse videtur qui vices gesserit sacerdotis summi in exsilio degentis. Cum Salom et Helcias inter pontifices numerentur (1 Par. 5,39 hebr. 9,11), omnino probabile est Ioakim fuisse ex familia pontificis et fortasse in dignitate sacerdotis secundi (vide ad Ier. 52,24) esse constitutum vel in dignitate ducis in domo Domini, de qua vide Ier. 29,26. 1 Par. 9,11 hebr. 2 Par. 31,13. Neh. 11,11. In vet. lat. vocatur Ioakim sacerdos magnus, quae appellatio si de pontifice intelligitur constare nequit; nam eo tempore pontifex erat Iosedec qui patre Saraia in Reblatha occiso abductus est Babylonem; vide 1 Par. 5,39 hebr. 6,15 vulg. 4 Reg. 25,18. 21. Ier. 52,24. 27; in graeco solum ἱερεύς vocatur; item syr.; eum ex familia pontificia fuisse *Sanct. Tir.* bene ostendunt.

Secundum textum qui nobis offertur in vet. lat. et qui est facilior et clarior quam reliqui textus simul cum pecunia etiam miserunt : « ut acciperent vasa domus Domini quae ablata fuerant de templo terrae Iuda in Babylonia » quae vasa scil. Sedecias facienda curavit, postquam Nabuchodonosor abduxit Iechoniam et principes thesauris templi direptis et ablatis vasis pretiosis quae fecerat Salomon (4 Reg. 24,13. 2 Par. 36,10; sim. Ier. 27,16. 18; 28,3). Sedecias igitur initio regni sui pro vasis pretiosis ablatis alia argentea facienda curavit, ut ea non deessent quae ad cultum sacrificalem requirebantur. Id quidem alibi non narratur; at res est plane obvia. Similiter olim, ut *Lans.* monet, Roboam fecit scuta aerea pro aureis a Salomone acceptis sed a Sesac rege Aegypti ablatis. Haec vasa a Sedecia substituta in ultima expugnatione pariter erant in Babyloniam transportata. Sed Iudaei ea vasa pretii minoris redimere poterant, uti videtur, vel fortasse illa accipiebant favore quodam speciali a rege concesso. Unde etiam intelligitur, cur in v. 11. 12 adeo velint fundi preces pro rege eiusque filio. Plane arbitrarie aliqui critici (*Fr. Kn.*) hanc de vasis

Sedeciae narrationem ad fabulas reiiciunt audacissime asserentes Sedeciam talia vasa non confecisse, quia alibi eius rei non fiat mentio. Sed quam pauca nobis de multorum annorum rebus gestis ex paucissimis illis monumentis in libris Reg. Par. et apud Ieremiam servatis innotescunt! Porro nonne iam valde probabile est Sedeciam qui a rege Babylonis rex esset institutus ideoque sacerdotibus et dignitatis iudaicae studiosis assertoribus haud gratus ea re se voluisse illis commendare?

Textus qui communiter fertur in graeco et in vulg. eandem quidem rem refert, at non valde commode fluit v. 8 « *cum acciperet vasa templi Domini quae ablata fuerant de templo, revocare in terram Iuda decima die mensis sivan, vasa argentea quae fecit Sedecias filius Iosiae rex Iuda,* v. 9 *posteaquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam et principes et cunctos potentes et populum terrae ab Ierusalem et duxit eos vinctos in Babylonem* »; — ἐν τῷ λαβεῖν αὐτόν.... ἀποστρέψαι i. e. cum acciperet vasa ut ea reportaret in terram Iuda; cum verba haec aliter verti non possint clarum est αὐτόν non referri ad Ioakim sacerdotem (*Sanct. Mald.*), sed ad Baruch (*Lans. Lap. Men. Gord. Calm. R. Loch, Troch.*) et narratur occasio qua pecuniam miserunt Ierusalem. Quod autem dicitur decima die mensis sivan i. e. mensis tertii, non potest referri nisi ad *cum acciperet*, quia sane dies quo advenire deberet in Ierusalem non potuit adeo accurate vel determinari vel ei praescribi. Sed si vasa iam accepit Baruch die decima mensis tertii, cur non statim est profectus? cur libellum demum legit die septimo mensis quinti? habuit vasa per duos menses et tum demum profectus est. Cur ita, nos latet. Neque verba concipi possunt : ut ea referret *pro* die decimo sivan, ut scil. eo die adessent ad festivum cultum celebrandum. Nam qualis dies festus inciderit in diem decimum mensis tertii ignoratur vel potius scimus nullum eo die festum esse celebratum. Dies enim pentecostes fere incidit in diem sextum mensis tertii, ut *Lans.* adnotat; *Hitzig* quidem asserit festum pentecostes celebratum esse die 11 mensis sivan; at falso supponit primum manipulum esse oblatum in festo paschatis die 22 nisan, cum tamen id fieri debuerit die altero paschatis i. e. die 16 nisan (Lev. 23,11. 15). Cum in vet. lat. iste dies non appareat, forte perperam additus est, quamvis cui errori debeatur nequeat assignari. Ad v. 9 vide Ier. 24,1 et 4 Reg. 24,14; legitur gr. καὶ τοὺς ἄρχοντας καὶ τοὺς δεσμώτας (vet. lat. principes eius *vinctos;* vulg. *cunctos*[1]); sed planum est verti δεσμώτας ex hebr. מַסְגֵּר, uti LXX quoque vertunt ad

1. Notat *Lucas* brugensis : correctores praetulerunt hanc lectionem ei quae habet *et vinctos et potentes* quamvis graeco consentaneae.

Ier. 24,1 et 29,2, dum in loco parallelo praebent τὸν συγκλείοντα 4 Reg. 24,14. 16; de voce vide quae dixi ad Ier. 24,1. Pro δυνατούς legitur Ier. 24,1 πλουσίους; illud petitum videtur ex 4 Reg. 24,14 et hebr. גִּבּוֹרֵי הַחַיִל.

Sequitur v. 10-14 epistola quam exsules simul cum pecunia et vasis mittunt; v. 10 « *et dixerunt : ecce misimus ad vos pecunias de quibus emite holocautomata et thus et facite manna et offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri* » ! — explica : scripto dixerunt, uti legitur 2 Par. 2,11 : dixit autem Hiram rex Tyri per litteras; emere iubenter victimas ad holocausta et ad sacrificia pro peccato offerenda; ita ex graeco; *et facite* μαναά (ita aliqui codd. vulgo μάννα) i. e. hebr. מִנְחָה (cf. *Mald. Sa, Lans. Malv. Sanct. Lap.*); etiam 4 Reg. 8,8 (in aliquibus codd.) et Ier. 17,26 et Dan. 2,46 legitur μαναά pro hebr. *minchah*, uti iam *Mald. Sanct. Lap.* adnotant[1]; *Theod.* quoque monet manna θυσίαν Hebraeos appellare. Et de ara *Ol.* advertit : « etsi templum solo erat aequatum, tamen in eo loco sacrificabant; haud enim alibi fas erat quam Ierosolymis sacrificia offerri »; de locutione ἀναφέρειν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον vide LXX Ex. 29,18. 25. Lev. 3,11. 16; 4, 10. 31; 8,16 etc. Dein ostendunt exsules se didicisse quae Ieremias per litteras monuerat 29,7 : et quaerite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis; quare et alios pro rege Babylonis orare volunt scribentes v. 11 « *et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis et pro vita Baltassar filii eius, ut sint dies eorum sicut dies coeli super terram* »; — scil. ut sint longaevi, πολυχρόνιοι *Ol.;* locutio est proverbialis eique similis qua reges salutantur : rex in aeternum vive (3 Reg. 1,31. Neh. 2,3. Dan. 3,9; 5,10; 6,6. 21. *Calm.*) et qua eis adprecantur vitam diuturnam, constantem, tranquillam, felicissimam (*Lans.*). Habuisse Nabuchodonosor filium nomine Baltassar aliunde quidem nondum probare possumus; at inde non sequitur rem esse confictam, neque eo quod Evilmerodach post Nabuchodonosor regnum suscepit alius filius qui fuerit primogenitus sed mox morte abreptus excluditur; neque opus est contendere Evilmerodach fuisse binominem; nullo autem pacto hic Baltassar censeri potest idem qui Dan. 5,1 seq. nominatur.

Porro orari volunt v. 12 « *et ut det Dominus virtutem nobis et illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis et sub umbra Baltassar filii eius et serviamus eis multis die-*

---

1. Et saepius in versione Ez. 45,25; 46,6. 8. 12. 15. 16.21; etiam 4 Reg. 17,3 etc.

bus et inveniamus gratiam in conspectu eorum; v. 13 *et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccavimus Domino Deo nostro et non est aversus furor eius a nobis usque in hunc diem* »; — disparuerunt itaque falsae illae exspectationes quas olim impugnare debuit Ieremias (28,2; 29,16. 21), iam revera sibi persuaserunt longum tempus exsilii esse subeundum et serviendum Chaldaeis; unde solum petunt, ut Deus ad poenam eam tolerandam sibi det virtutem, dein ut oculos illuminet i. e. ut se erigat atque confortet et in mediis rebus tristibus alacritatem et vigorem tribuat; de hac dictione vide 1 Reg. 14,29. Dein rogant speciali modo, ut dum diu servire debeant regi babylonico, ab eo et protegantur et favorem ac gratiam inveniant. Sententias explica non paratactice; neque enim petunt, ut serviant multis diebus, sed ut quamdiu servire debeant, sub tutela ac praesidio sint eorum potius quam ut aliis regibus fortasse durioribus serviant (*Mald. Lap. Men. Tir.*). Demum in v. 13 eam animorum dispositionem produnt quam Ieremias pro exsilio docuit (cf. 3,25) et ante eum iam Michaeas descripsit: iram Domini portabo quia peccavi ei (7,9). Exsilii poenam a Domino inflictam agnoscunt; unde quod Ieremias toties monuerat de Deo auctore et ultore iam rite percipiunt. Simul praeclara haec animorum sensa testimonio sunt qualem fructum libellus Baruch inter exsules attulerit.

Libellum autem adeo eximium iudicant, ut eum ab aliis quoque legi velint v. 14 « *et legite librum istum quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die sollemni et in die opportuno* »! — graece : in die ἑορτῆς et in diebus καιροῦ; vet. lat. solum habet: in die sollemni. Cum Baruch mense quinto missus sit, dies festus ἑορτή videtur intelligi debere de festo tabernaculorum quae sollemnitas mense septimo a die mensis decimo quinto per 8 dies celebrabatur (Lev. 23,34-43. Deut. 16, 13-15); coetus sacer erat cogendus die primo et die octavo. Eodem festo in anno sabbatico praelegi oportuit legem (Deut. 31, 10-13); in coetibus sacris libros sacros esse recitatos etiam ex Luc. 4, 17. Act. 13,15. 27; 15,21 patet. Dies καιροῦ sunt hebr. בִּימֵי מוֹעֵד, uti *Lans. Lap. Malv.* et recentiores recte censent; eo autem nomine dies festi generatim et coetus sacri designantur (cf. Os. 9,5; 12,10. Soph. 3,18 etc.). Unde ut libellus repetito legatur exoptant. Pro *recitari* ἐξαγορεῦσαι *Syrus* bene vertit *confiteri*, hebr. הוֹדָה, cui voci hebr. etiam verbum graecum respondet multis in locis (Lev. 5,5; 16,21; 26,40. Num. 5,7. Ps. 31,5. Dan. 9,20), in quibus de humili peccatorum confessione adhibetur. Quare vi vocis non simplex lectio commendatur, sed ut eam lectionem tamquam poenitentiae professionem et confessionem peccatorum instituant admonentur.

PRIOR PARS 1, 15-3,8.

Populi precatio.

ARG. — Incipiunt a confessione peccatorum quae a tempore mosaico commissa sint quamvis Deus populum per prophetas monere non destiterit; propter quod Deus tam longam iniquitatum seriem iis demum poenis ultus est quas iam per Moysen minatus erat; quare Dominus iuste egit, ipsis autem summa est confusio (1,15-2,10). Hac peccatorum confessione facta divinam implorant misericordiam Deum monentes magnalium quae olim pro suo populo patraverit, suam exponentes poenitentiam et dolorem de peccatis et miseriam quam populus propter inobedientiam iusto Dei iudicio incurrit; sed simul sperant fore ut promissiones resipiscentibus datae impleantur, ut iterum reducantur in terram suam et Deus foedere aeterno cum populo suo iungatur (2,11-35). Orationem concludunt fervida imploratione, ut Deus populi sui afflicti et dolentis misereatur (3,1-8).

Hanc precationem non solum semel esse lectam, verum inter exsules in usu et consuetudine esse positam ex eo quoque patet quod postmodum Daniel 9,6 seq. pleraque ex hac precatione recolit et saepe iisdem plane verbis utitur, alia brevius, explicatius alia proponens. Vide quoque Dan. 3,28 seq. (*Sanct.*).

a) **Confessio peccatorum 1, 15-2, 10.**

Verbo « *et dicetis* » exsules suae epistolae adiungunt libellum Baruch. In vet. lat. legitur post v. 14 : « quem cum accepissent legerunt, in quo fuit scriptum hoc » et ita introducitur libellus ipse, qui a precatione et confessione peccatorum orditur v. 15 « *Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostrae, sicut est dies haec omni Iuda et habitantibus in Ierusalem,* v. 16 *regibus nostris et principibus nostris et sacerdotibus nostris et prophetis nostris et patribus nostris* »! — optime docet propheta populum orare : tu Domine iustus es et iuste agis; nobis autem debetur opprobrium et ignominia qua revera obruti sumus; « tu Deus dignus es iustitiae laude, nos ignominia qua hodie afficimur » (*Mald.*). Unde docet eos orare ea mente qua Michaeas (7,9) et Ieremias (3,25) exsules erudierint. Enumeratione omnium ordinum omnes peccasse et omnes id humiliter agnoscere debere clare docet. Prior sententia v. 15 legitur quoque

Dan. 9,7 et multo explicatius Dan. 3,27. 28; sicut dies haec cf. Ier. 11,5; 25,18; 32,20; 44,22. 23. Enumeratio quoque ad modum qui est Ieremiae familiaris effertur : ἀνθρώπῳ Iuda; unde viro Iuda, sicut Ier. 11,2. 9 et vide 4,4. 9; 8,1; 13,13; 17,25; 25,18; 32,32; 36,31. Culpam quoque agnoscunt *nationalem,* unde patrum quoque mentio iniicitur; vide Ier. 15,4. Lament. 5,7. Iam confitentur quam merito sibi confusio obvenerit v. 17 « *peccavimus ante Dominum Deum nostrum et non credidimus diffidentes in eum* »; — graece ὧν ἡμάρτομεν; apud Danielem 9,8 pergitur אשר חטאנו לך; unde in textu originali apud Baruch idem אשר supponere licet; ergo *quia* peccavimus καὶ ἠπειθήσαμεν αὐτῷ; nihil aliud legitur graece; vet. lat. ita : cum quibus peccavimus ante Dominum et contempsimus eum. Etiam in subseq. vulgata versio est uberior v. 18 « *et non fuimus subiectibiles illi et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in mandatis eius quae dedit nobis;* v. 19 *a die qua eduxit patres nostros de terra Aegypti usque ad diem hanc eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum et dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius* »; — prius membrum v. 18 in graeco non legitur neque in vet. lat.; cf. Dan. 9,10; malitiam a primo iam tempore per generationes serpentem etiam Ieremias non uno loco accusat 7,25; 11,7; cf. 2,6 seq. 16,11; *eramus incredibiles* ἤμεθα ἀπειθοῦντες, vet. lat. : fuimus contumaces; pergitur graece καὶ ἐσχεδιάζομεν πρὸς τὸ μὴ ἀκούειν; explicat *Theod.* ἐπενοοῦμεν ἁμαρταμάτων εἴδη, excogitabamus peccatorum genera; similiter vet. lat. : meditabamur nequam; apud auctores graecos σχεδιάζειν legitur notione temere agendi et negligenter, uti *Mald. Lans. Lap. Calm.* vocem accipiunt : magna animorum levitate transgressionem quasi nihili aestimantes contempsimus audire vocem Domini. In hebr. positum fuisse קַלֵּל aliqui suspicantur (*Lans. R.*) et *Kn.* perperam negat eam significationem voci hebr. subesse; vide enim Ez. 8,17. *Syrus* habet eo loco מרד rebellare, id quod accedit ad Dan. 9,11 סור : et declinaverunt ne audirent vocem tuam. Interpretem *vulg.* legisse ἐσκεδάσθημεν aliqui suspicantur (*Men.*).

Quare iuste se afflictos esse ex norma illa a Domino per Moysen statuta fatentur v. 20 « *et adhaeserunt nobis multa mala et maledictiones quae constituit Dominus Moysi servo suo, qui eduxit patres nostros de terra Aegypti dare nobis terram fluentem lac et mel, sicut hodierna die* »; — bene *Alb. :* et *ideo,* supple. Adhaerere dicit assiduitatem, dicit poenas frequenter inflictas quibus quasi continuo vexati sunt (*Sanct. Lap. Men.*); ea enim voce quaedam conglutinatio aut intima penetratio significatur, uti Ier. 42,16 : fames pro qua estis

solliciti adhaerebit vobis in Aegypto (*Lans. Tir.*). Maledictio illa legitur Lev. 26. Deut. 28. Quo magis suae perversitatis sensu percellantur, vates explicite monet eosque memores esse vult quam benignum Deus de iis ceperit consilium et quam eximiam terram iis providerit. *Sicut hodierna die* melius refertur ad mala : sicut hodie sentimus mala et maledictionem nobis adhaerere (*Men. R.*) quam ad terram cuius ubertas usque conspicua sit (*Alb. Mald.*). Quam parum vel potius nihil emendati sint poenis a Deo inflictis et quam contumaces sese praestiterint monitis prophetarum, dolentes confiteri eos vult propheta; unde v. 21 « *et non audivimus vocem Domini Dei nostri secundum omnia verba prophetarum quos misit ad nos* v. 22 *et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni operari diis alienis facientes mala ante oculos Domini Dei nostri* »; — culpam defleri vult propheta nationalem; quare quae omnes populi generationes deliquerint, et voce *adhaeserunt* et continua missione prophetarum significat. Idem frequenter monet Ieremias, vide 2,7 seq. 7,24; 9,14; 11,7; 15,4; 16,11; idem prosequitur Ezechiel cap. 16. 22. 23. Abire in sensum cordis maligni cf. Ier. 7,24; 9,14; 11,8; 13,10; *operari*, gr. ἐργάζεσθαι est hebr. עָבַד servire; ergo servire diis alienis; etiam in textu graeco Ieremiae ἐργάζεσθαι notione serviendi saepe ponitur (22,13; 27,6. 8. 11; 28,14; 30,9 etc.); facere malum in oculis Domini; cf. Ier. 18,10; 32,30; dictio est eo gravior quia Deus peculiari modo in populo suo se inhabitare dixit.

Cum igitur iniquitas per multas generationes altas ageret radices neque praesens illa et continua Dei per prophetas vox et admonitio quidquam proficeret, summa demum miseria peccantibus iuste est immissa. Hoc ut confiteantur vates exoptat, quia agnitio culpae primus est ad emendationem gressus. Quare iis praescribit, ut ruinam illam ultimam suis attribuant peccatis 2,1 « *propter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum quod locutus est ad nos et ad iudices nostros qui iudicaverunt Israel et ad reges nostros et ad principes nostros et ad omnem Israel et Iuda,* v. 2 *ut adduceret Dominus super nos mala magna quae non sunt facta sub coelo quemadmodum facta sunt in Ierusalem, secundum quae scripta sunt in lege Moysi,* v. 3 *ut manducaret homo carnes filii sui et carnes filiae suae* »; — *statuit,* ἔστησε; Dan. 9,12 in loco parallelo legitur eodem modo, hebr. וַיָּקֶם i. e. implevit, opere complevit verbum suum; eadem ratione Ier. 11,5; 28,6; 35,16; minas illas quas locutus est *contra* nos demum exsecutus est; omnibus ordinibus mala et poenae per prophetas denuntiata sunt. In ea enumeratione (cf. 1,15. 16) specialis quoque de singulis Dei cura notatur; singulos enim identidem admonitos voluit, omnium ordinum

scelera perstrinxit per legatos suos prophetas. Et quomodo oracula sint impleta, in v. 2 summatim indicatur : maiora mala immissa sunt in Ierusalem quam unquam alias; eodem modo Dan. 9,12. Atque malorum fastigium et apex ex eo describitur quod minae illae impletae sint quas Dominus per Moysen iam proposuerat Lev. 26 et Deut. 28, ex quibus unum illud ad reliquorum exemplum effertur, prae fame parentes ipsorum filiorum carnes devorasse; cf. Lev. 26, 29. Deut. 28,53. Ier. 19,9; atque in obsidione urbis id evenisse, Ieremias testatur Lament. 2,20 et 4,10; idem minatur Ezechiel 5,9. 10. Atrocitas haec etiam in obsidione Samariae accidit 4 Reg. 6,28. 29; ut igitur verbis prophetae sua constet veritas, id quod ibi semel factum esse narratur saepius in Ierusalem evenisse putandum erit; dein cum hac atrocitate tot aliae miseriae coniunctae erant, ut iure dici possit tantum malorum cumulum nunquam simul in unam irruisse urbem. Quare statim subditur, quot afflictiones obsidionem et praecesserint et subsecutae sint.

Nam ab omnibus circum nationibus quasi ordine statuto subiecti et vexati sunt, donec tandem inter gentes dispersi iam omnibus sint irrisioni et contemptui v. 4 « *et dedit eos sub manu regum omnium qui sunt in circuitu nostro in improperium et in desolationem in omnibus populis, in quibus nos dispersit Dominus*, v. 5 *et facti sumus subtus et non supra, quia peccavimus Domino Deo nostro non obaudiendo voci ipsius* »; — iam enim tempore iudicum modo ab his, modo ab aliis subiecti ὑποχείριοι tenebantur; dein ultimo regum tempore et ab Assyriis et ab Aegyptiis et a Chaldaeis quibuscum quandoque etiam Syri, Moabitae, Ammonitae eos infestabant (4 Reg. 24,2) dure vexabantur; vide Ier. 2,14 seq.; impletum est quod saepius Ieremias de improperio ac subsannatione praedixerat 18,16; 19, 8. Verba εἰς ὀνειδισμὸν καὶ εἰς ἄβατον eodem modo leguntur Ier. 42,18 in minis contra eos qui in Aegyptum migrare volunt; cf. Ier. 24,9; ἄβατον *invium* ad regionis vastationem refertur, quae scil. simul cum homine peccante affligitur; sed cum haec notio h. l. non consentanea sit, ἄβατον explicari oportet secundum hebr. שַׁמָּה in *stuporem*, pro qua voce saepius ponitur Ier. 25,18. 38; 44,22; 48,9; 49,13, vel forte etiam ex hebr. אָלָה *maledictio*, quae vox Ier. 42,18 redditur per ἄβατον. Et haec notio etiam congruit minis mosaicis Deut. 28,37 : et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis ad quos te introduxerit Dominus, quae minae etiam in v. 5 exprimuntur; nam Deut. 28,13 : eris semper supra et non subter, si tamen audieris mandata Domini Dei tui et v. 43. 44 : advena ascendet super te; ipse erit in caput et tu eris in caudam; similiter Ier. 7,24. Poenis enumeratis iterum humilem

culpae confessionem fieri vult propheta. In graeco legitur, prout in v. 4, facti *sunt;* at *sumus* apud vet. lat. quoque et *Syrum* et in aliquibus codd. graecis (22. 36. al. *Fr.*), et apud *Theod.* : ἐγενήθημεν ὑποκάτω... i. e. servi et non domini.

Quantopere intersit, ut animos vera imbuant poenitentia, vates ipsis repetitionibus docet v. 6 « *Domino Deo nostro iustitia, nobis autem et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies haec*, v. 7 *quia locutus est Dominus super nos omnia mala haec quae venerunt super nos* v. 8 *et non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis*, v. 9 *et vigilavit Dominus in malis et adduxit ea super nos, quia iustus est Dominus in omnibus operibus suis quae mandavit nobis,* v. 10 *et non audivimus vocem ipsius ut iremus in praeceptis Domini quae dedit ante faciem nostram* »; — duo illa a quibus incepta est oratio hisce explicatius recoluntur et demonstrantur; cf. 1,15; nam « rursus sententiae divinae iustitiam adscribentes sibi confusionem tribuunt » (*Theod.*), quam *dies haec*, conditio tempusque praesens satis demonstrat; idque etiam propterea potissimum quod repetitis Dei castigationibus monitisque populus non est eruditus neque emendatus v. 8 quae reprehensio a Ieremia quoque fieri solet v. g. 2,30 : frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt et 3,8; 5,3; 6,17; 7,26; 11,8. 10; 12,4 etc.; eodem modo legitur Dan. 9,13. 14. Dominus *vigilavit;* cf. Ier. 1,12 : vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud; cf. 31,28; 44,27 (*Sanct.*); igitur : mala quae minatus erat etiam ad amussim nobis immisit; cura et studio ita res disposuit ut verbum suum irritum redderetur nullum. Alii vigilantiam Dei eius dici volunt vindictam, somnum eius patientiam et longanimitatem (*Theod. Lans. Calm.*); at dictionem ex Ieremia explicare praestat. Quam *iusta* sint Dei mandata, vates monet v. 9; unde v. 10 magis accusatur eorum inobedientia et contumacia, cum talia neglexerint quae tamen Deus sedulo ac continuo iis proponenda et inculcanda curavit. Quare quot titulis peccatores coram Deo traducantur, vates graviter in medium affert neque quidquam celat quo gravitas culpae maiore cum pudore et dolore agnoscatur; cf. Ier. 6,16. 17; 26,4; 32,23.

b) **Dei misericordiam efflagitant 2, 11-35.**

Poenitentibus misericordiam concedi a Moyse et deinceps per omnes prophetas erat annuntiatum (Deut. 30,1 seq.); id praeprimis Ieremias monere non destitit 3,14 seq. 4,4; 30,7 ; 31,18 etc.; idque ex foedere inito et promissis olim datis pro Dei fidelitate et gratia consequitur.

Unde vates ex illis Dei magnalibus quae irrita esse aut fieri nequeunt rationes promit quibus spem ac fiduciam poenitentium alat atque confortet v. 11 « *Et nunc Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu valida et in signis et in prodigiis et in virtute tua magna et in brachio excelso et fecisti tibi nomen sicut est dies iste;* v. 12 *peccavimus, impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus iustitiis tuis,* v. 13 *avertatur ira tua a nobis quia derelicti sumus pauci inter gentes, ubi dispersisti nos* » ! — Deum monent eorum quae tanta virtute, studio, apparatu, admiratione omnium fecit olim ut populum sibi conderet! tantus igitur labor non sit cassus! et cum fere iam cassus videatur, quia pauci et ignobiles dispersi sunt inter gentes, ratio haec eo magis valere debebit apud Deum. Se autem iam esse tales quibus venia et gratia pro Dei fidelis promissione suo quasi iure debeatur, in v. 12 humillima illa confessione et sui ipsorum accusatione quod omnia Dei mandata neglexerint supplices Deo proponunt. Deum appellunt *Iahve,* qui hoc ipso nomine pignus dedit certissimum impletionis foederis et immutatae suae fidelitatis (vide ad Os. 2,20), *Deum Israel,* qui se esse Deum populi electi et hoc nomen in memoriale perpetuum se assumpturum spoponderat (Ex. 3,15. Os. 12,5); dein multa cum epitasi monent quot miraculis Deus populum sibi acquisierit, in quibus singulis valentissima cernitur ratio, cur opus ita inceptum Deus ad felicem perducat exitum (vide quae notavi ad Is. 43,3. 16; 63,11); modus loquendi satis adaptatur ad Ier. 31,20.21. Deut. 26,8. Hisce portentis nomen Dei celeberrimum effectum est etiam apud gentes; cf. Ex. 8,19 : et dixerunt malefici ad Pharaonem : digitus Dei est hic; 14,25; 15,14 seq. Ios, 2,10; eorumque magnalium memoria ad Dei laudem viget usque in diem hodiernum v. 11 tum apud Iudaeos, tum apud gentes quippe quae populum israeliticum ut populum Deo Iahve sacrum cognoscant. De locutione vide Is. 63,12. 14; eodem modo Dan. 9,15. Forma fere iam diu usitata in v. 12 culpam confitentur; vide 3 Reg. 8,47 in oratione Salomonis et 2 Par. 6,37. Ps. 105,6 et Iudith 7,19. Dan. 9,5. 15. Nota epitasin et asyndeton. Cum Dan. 9,16 legatur : Domine secundum omnem iustitiam tuam avertatur ira tua, satis probabile efficitur etiam nostro loco iungendum esse : in omnibus iustitiis avertatur etc. sensu eodem, ut scil. Deum supplices rogent, ut pro sua sanctitate qua veram iustitiam hisce in terris statui et valere velit populi misereatur eumque ad eam provehat conditionem quae digna sit sanctitate et iustitia divina; eo modo *R. Kn.* iungunt, neque obstat distinctio versuum quippe quae nullius est auctoritatis qua sensus verborum membrorumque determinetur (vide *Cornely,* Introd. I p. 35).

Atque hanc misericordiam efflagitandam esse docet propheta, quia maior Dei laus et gloria in ea consistit v. 14 « *exaudi Domine preces nostras et orationes nostras et educ nos propter te et da nobis invenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt,* v. 15 *ut sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster et quia nomen tuum invocatum est super Israel et super genus ipsius* »! — monent Deum ut quod per Isaiam praedixit se facturum opere compleat : propter me, propter me faciam ut non blasphemer et gloriam meam alteri non dabo (Is. 48,11); eodem ritu precatur Ieremias 14,7; *educ nos,* ἐξελοῦ ἡμᾶς, vet. lat. *eripe nos,* salva nos, et pro qua re opem Dei implorent, indicatur : *da nobis* etc.; iugum chaldaicum quod Ieremia monente nullo modo subire volebant (Ier. 21,9; 27,9) iam ferunt neque temere illud excutere praesumunt, solum flagitant ut sors sua reddatur mitior ac facilior, idque « non nostris meritis quae nulla sunt, sed tua misericordia quae magna est » (*Mald. Men. Tir.*). Et quomodo ea in re gloria Dei agatur, explicatur v. 15; petunt ut Deus aperte ostendat se esse sui populi protectorem qui hostiles quoque animos ad benevolentiam suo populo praestandam inflectat. Ita omnibus patebit Israel vocari populum Iahve, Israel peculiari modo consecratum esse Domino; de dictione vide Ier. 14,9; 15,16; 34,15. Et genus Israel singulari modo esse Deo sacrum, eo quoque patet quia Deus in eius medio habitaculum sibi delegit; unde cum ibi locum manifestationis suae sibi elegerit nova reperitur ratio cur misereatur v. 16 « *respice Domine de domo sancta tua in nos et inclina aurem tuam et exaudi nos* »! — eo enim loco cor et oculos suos fore cunctis diebus promiserat (3 Reg. 9,3) neque obstat quod ipsum templum sit dirutum, locus enim habitaculi quem Deus elegit consideratur, sicut v. g. Deus dicitur habitare in Sion, elegisse Sion, esse magnus in Sion, regnare in Sion (Ps. 73,2; 75,3; 98,2; 131,13. Is. 8,18; 24,23. Ier. 8,19 etc.). Eodem modo apud Ieremiam 41,5 viri illi templo diruto ferta et thus afferunt, ut offerant *in domo Domini;* ita quoque Is. 52,5 Dominus censetur habitare in Ierusalem quamvis populus sit ablatus, et iuremerito monent *Sanct. Lans. Lap. Tir. Loch, Troch. R.* locum urbis templique tamquam Dei habitationem semper considerari idque eo quoque ostendi quod Daniel ad Ierusalem conversus orare solebat (6,10). Domum sanctam plerique de templo explicant (*Theod. Mald.* et quos modo laudavi), pauci (*Alb. Sa, Fr. Kn.*) de coelo propter Deut. 26,15 : respice de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo et similiter 3 Reg. 8,30. 39. Is. 63,15 (*Alb.*); sed quia in electione Sion ratio continetur peculiaris, cur Deus misereatur, et quia ibi oculi Dei dicuntur *aperti* et nomen eius ibi esse, ut exaudiat orationem (3 Reg. 8,29)

prior acceptio etiam propter sequentem v. praeferenda videtur. Perperam inferunt aliqui ex modo loquendi de templo supponi templum etiamtum integrum.

Alia ratio cur Deus misereatur affertur, quia qui misericordiam consecuti fuerint Dei praeconia celebrabunt et Dei gloriam aliis annuntiare possunt v. 17 « *aperi oculos tuos et vide quia non mortui qui sunt in inferno quorum spiritus acceptus est a visceribus suis dabunt honorem et iustificationem Domino*, v. 18 *sed anima quae tristis est super magnitudine mali et incedit curva et infirma et oculi deficientes et anima esuriens dat tibi gloriam et iustitiam Domino* »! — cum agatur de ea laude Domini qua apud alios nomen eius celebretur et gloria gentibus innotescat (v. 15), patet quo sensu mortui dicantur Deo non dare honorem et iustitiam (δικαίωμα); ii scil. Deum gloriosum et iustum praedicare eiusque honorem et iustitiam et sanctitatem aliis annuntiare iam non possunt (cf. *Mald. Lans. Lap. Sa, Men. Tir.*); « laus Dei quam toties inculcat vetus Scriptura per antonomasiam est externa illa et perceptibilis laus quae alios aedificet et excitet, qualis est publica poenitentium oratio,... ut ergo non plane intereat haec publica laudatio et glorificatio, ne sinas nos miseriis et aerumnis exsilii emori atque exstingui » (*Tir.*). Unde *Theod.* bene dicit Deum laudare proprium esse viventium; atque de tali laude apud alios propaganda sermonem institui, quando mortui et vivi inter se comparantur, etiam clare edicitur in cantico Ezechiae regis : non infernus confitebitur tibi.. vivens, vivens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie, pater *filiis notam faciet* veritatem tuam (Is. 38,18. 19; vide quae ad h. l. notavi) et eadem norma expende Ps. 6,6; 87,11; 113,17; id quod praesertim etiam Ps. 29,10 indicatur : numquid confitebitur tibi pulvis, numquid *annuntiabit* veritatem tuam (hebr.)? Infernus ᾅδης, שְׁאוֹל generatim dicitur locus et regio mortuorum. Additur descriptio mortui (*Sanct.*) qua simul patet, cur mortui Deum nequeant laudare, quia scil. spiritus qui cognoscit ab hac terra migravit in qua solum corpus relinquitur. Dei autem laudem annuntiant et eius profitentur iustitiam poenitentes v. 18, qui describuntur primo a tristitia et luctu propter ruinam theocratiae et poenam a Deo inflictam, dein ab habitu humilium externo, tum ab animorum humilitate qua nihil alti de se sapiant sed e contra se infirmos iudicent, demum a magno conditionis melioris veniaeque desiderio, quod oculis deficientibus prae lacrimis et anima esuriente optime describitur; cf. Is. 38,14 : attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum (*Alb.*). Paucis lineamentis in v. 18 vere poenitens describitur qui laudem Dei et eius iustitiam ipsa sua poenitentia aliis praedicat. Luctus de malo theocratiae inflicto

saepius commendatur; vide Is. 61,3. Soph. 3,18 hebr.; desiderium vero vel esuries bonorum ipsa est efficax eorum postulatio; cf. Is. 26,9 : anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te.

In textu igitur lat. v. 18 optimus exprimitur sensus. Brevior est textus in vet. lat. : sed animae tristes et infirmae et esurientes et oculi deficientes dabunt gloriam et iustificationem, Domine. Textus autem graecus qui communiter fertur nequit intelligi : ἀλλὰ ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος ὃ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενοῦν; variae quidem tentatae sunt explicationes, at frustra. Alii enim exponunt tristitiam de magnitudine Israel quae iam declinaverit et curva incedat; sed magnitudinem collapsam incedere curvatam et aegrotare quis dici feret? alii μέγεθος explicant de corpore quod alioquin magnum et erectum iam incedat curvum (cf. *Mald. Sanct.*); alii coniiciunt mendum esse in voce μέγεθος, pro qua in textu orginali aliud scriptum fuerit vocabulum ab interprete perperam μέγεθος redditum; ita *Fr.* coniicit גולה vel גָּלוּת captivitas; *Welte* דְּכִיּוּת, ita ut sensus sit : anima tristis propter captivitatem vel oppressionem, quae (anima) curva incedit etc.; interpres igitur relativum אשר perperam ad falsum illud μέγεθος retulisse censendus est. Aliter textum emendat *Kn.* scribens והרגל et pes qui incedit curvus et infirmus; inter se componi vult *cor* tremens et pedem curvum, oculos deficientes et animam moerentem. Lectio illa quam *Theod.* praebet non debet omitti : πνεῦμα κύπτον καὶ ἀσθενοῦν, ita ut ψυχὴ et πνεῦμα inter se iungantur. Alii ita : anima moesta, corpus quod incedit curvum; vel : anima tristis, populi multitudo quae incedit etc. (*R.*). *Ol.* explicat quasi legisset textum gr. latino nostro congruentem : anima quae iniquitatibus premitur magnoque moerore vexatur curva et infirma confitetur, κύπτουσα καὶ ἀσθενοῦσα ὁμολογεῖται. Similiter *Syrus :* anima oppressa moerore valde, quae incedit etc.

Animorum sensus demissos et sibi ipsis minime fidentes vates foveri vult bene conscius orationem humiliantis se penetrare nubes (Eccli. 35,21); quare repetito monet populum non beneficia Dei meruisse, sed iram et poenam; ideo v. 19 « *quia non secundum iustitias patrum nostrorum nos fundimus preces et petimus misericordiam ante conspectum tuum*, *Domine Deus noster,* v. 20 *sed quia misisti iram tuam et furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum dicens* »; — laus igitur Dei et gloria eo maior erit quia gratiam tribuit iis qui nihil meriti neque in patribus neque in se obtendere possunt, demeriti autem et peccatorum plurimum. In textu gr. et vet. lat. in v. 19 etiam *regum* mentio fit. Ubi unice reponenda sit spes, Daniel explicite addit : neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miseratio-

nibus tuis multis (9,18). Legitur graece καταβάλλομεν τὸν ἔλεον ἡμῶν κατὰ πρόσωπόν σου quod in *vulg.* membro duplici declaratur; vet. lat. : iactamus misericordiam; at ἔλεος respondet hebr. תְּחִנָּה (vel תַּחֲנוּן) quam vocem interpres Ieremiae per ἔλεος reddere solet (36,7; 37,20; 38,26; 42,2, uti quoque Ios. 11,20), sed quae preces dicit et supplicationes. Ex textu lat. v. 20 *sed quia...* ideo preces se fundere dicunt « quia aerumnis tuis urgemur et cogimur ad te recurrere » (*Lap. Mald. Men. Tir. Troch.*); at in graeco, vet. lat., apud *Syrum* illud *sed* non legitur; unde sensus est : preces fundimus non innixi meritis neque patrum neque nostris; res secundas et prosperas non meremus, *quia* iuste affligimur rebus adversis; ea sustinemus quae nobis per servos tuos prophetas minatus es: In manu *puerorum* tuorum παίδων i. e. servorum, per servos tuos; hebr. עֶבֶד servus (quo nomine prophetae frequenter appellantur) apud LXX saepe redditur παῖς; ita v. gr. de prophetis Ier. 26,5; 35,15 et 44,4 (saltem secundum cod. vatic.; gr. 42,15 et 51,4).

Iam quantum digni sint malis quae comminati sint prophetae declarant verbis eorum recitatis quibus perpetuo contradicentes non obedierint (*Theod.*) v. 21 « *sic dicit Dominus : inclinate humerum vestrum et cervicem vestram et opera facite regi Babylonis et sedebitis in terra quam dedi patribus vestris;* v. 22 *quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri operari regi Babyloniae, defectionem vestram faciam de civitatibus Iuda et a foris Ierusalem,* v. 23 *et auferam a vobis vocem iucunditatis et vocem gaudii et vocem sponsi et vocem sponsae et erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam* »; — sermo iste Domini componitur ex aliquibus Ieremiae locis 27,12 et 7, 34 et 25,10; cf. 16,9; 27,17. Opera facere v. 21 et operari v. 22. 24 regi Babylonis ἐργάζεσθαι i. e. servire עבד uti legitur apud Ieremiam, vide supra 1,22. Legitur in v. 22 ἐκλείψειν ποιήσω, vet. lat. : deficientem faciam de civitatibus Iuda et extrinsecus Ierusalem vocem laetitiae; vide Ier. 7,34 et 25,10; ἔξωθεν respondet hebr. מֵחֻצוֹת *de plateis* Ierusalem, quam vocem interpres graecus Ieremiae saepius eo modo reddit; vide Ier. 9,21; 33,10; 44,6. 9. 17. In v. 23 describitur exsilium et vastitas regionis; *sine vestigio;* graece : terra erit εἰς ἄβατον ἀπὸ ἐνοικούντων i. e. ex Ier. 25,11. 38 et 26,9 et 34,22 לְשַׁמָּה מֵאֵין יוֹשֵׁב in desolationem ita ut non sit habitator; « non cernetur in tota terra ullum vestigium hominis quia nemo erit qui eam transeat » (*Mald.*). Simul cum Ieremia alii etiam prophetae, uti Sophonias, Baruch, eadem populo annuntiasse censendi sunt; atque id indicare videtur loquens de prophetis v. 20.

Verum voci Domini non sunt obsecuti; unde Deus minas complevit v. 24 « *et non audierunt vocem tuam ut operarentur regi Babylonis et statuisti verba tua quae locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum ut transferrentur ossa regum nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo;* v. 25 *et ecce proiecta sunt in calore solis et in gelu noctis, et mortui sunt in doloribus pessimis, in fame et in gladio et in emissione,* v. 26 *et posuisti templum, in quo invocatum est nomen tuum in ipso sicut haec dies propter iniquitatem domus Israel et domus Iuda* »; — iubet eos vates confiteri propter contumaciam populi illa esse impleta quae Ieremias minatus erat de ossibus regum aliorumque 8,1. 2; quae praedixerat de fame, gladio, peste et maxima tribulatione et contritione 4,14; 10,19; 14,12. 17; 15,18; 24,10; 30, 12; 34,17; 38,2 etc.; item quae de templi ruina vaticinatus erat 7,14 et 26,6. 9 et quae illis olim magnae fuerunt offensioni, ita ut sacerdotes et prophetae et omnis populus eum mortis reum egerint. *Operari* vide v. 21 et 1,22; *statuere* verbum i. e. implere vide ad 2,1; ad v. 25 vide Ier. 36,30 : cadaver proiicietur ad aestum per diem et ad gelu per noctem; in utroque loco verba graeca exacte congruunt (excepto ἐν). Saevitum est ergo in iam demortuos, quorum ossa e sepulcris *eiecta* sunt; ita explica *transferri* ἐκφέρειν (Ier. 8,1 et h. l.; hebr. הוציא). Habitatores autem Ierusalem absumpti sunt miseriis magnis, scil. fame, gladio, emissione, ἐν ἀποστολῇ, qua voce interpres graecus Ieremiae 32,36 vocabulum hebr. דֶּבֶר *pestem* reddit; quare eodem sensu hic quoque vox erit accipienda; accedit quod frequenter Ieremias famem, gladium, pestem minatur habitatoribus Ierusalem (14,12; 21, 7; 24,10; 27,8; 29,17. 18; 32,36; 38,2; 42,17. 22). Plerumque emissionem explicant de captivitate (*Theod.*), de exsilio (*Mald. Sanct. Lans.* referentes ad Ier. 34,17 : dabo vos in commotionem לזועה). Ultimo loco recensent maximum illud irae divinae documentum : redegisti templum in eum statum quo hodie est (*Mald.*) scil. conspicitur destructum et combustum (*Alb. Lap. Men.*), ἔρημον (*Theod.*), quod tamen singulari ratione Deo erat consecratum et Dei nomine insignitum et celebratum. Notandus est bene hic locus, quo templum Domini dirutum et vastatum esse satis clare edicitur; arbitrarie vult *Kn.* hoc membrum delere.

Confessione iniquitatis suae facta non pro meritis impietatis se puniri agnoscunt, verum rigorem iustitiae Deum temperasse clementia (*Theod.*); sunt enim adhuc superstites, Deus exsilii rigorem quadam benevolentia Chaldaeorum imminuit (vide 1,8. 11. 12. Ier. 29,5 seq.); insuper adest populo certa spes reditus et instaurationis. Quare propheta ut haec beneficia celebrent hanc precandi formulam praescribit

v. 27 « *et fecisti in nobis Domine Deus noster secundum omnem bonitatem tuam et secundum omnem miserationem tuam illam magnam* »; — i. e. non egisti summo iure; si enim summo iure egisses, penitus nos abolevisses (*Mald. Sanct. Lap.*); cf. Is. 1,9 : nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus. Laudant impletam promissionem apud Ieremiam datam : sed tamen consummationem non faciam (4,27; 5,10); misericordias Domini quia non sumus consumpti (Lament. 3,22). Hac punitione efficit Deus eorum resipiscentiam et emollit animos antea duros et contumaces; unde ipsa castigatio est exhibitio misericordiae (*Mald. Sanct.*).

Atque ad talem laudem Dei et ad spem adeo praeclaram merito assurgunt; uti enim iam in se et in suo exsilio impleta cernunt oracula mosaica de populi dispersione et captivitate, ita certissime confidere debent etiam illa iri impletum quae de eius reditu et novo Dei foedere praedixerat. Quare in subseq. vates illa oracula mosaica recitat, quibus patet Deum minas suas implevisse et quibus post castigationem novum salutis tempus aperitur; unde haec ipsa oracula proferuntur quoque tamquam ratio qua Dei misericordia imploratur. Docet itaque nos propheta quomodo divinis promissis innixos cum fiducia adire nos oporteat ad thronum gratiae. Testimonium ferunt Dei fidelitati profitentes eum egisse et agere, prout oraculis antiquis erat consignatum v. 28 « *sicut locutus es in manu pueri tui Moysi in die qua praecepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel* v. 29 *dicens : si non audieritis vocem meam, multitudo haec magna convertetur in minimam inter gentes quo ego vos dispergam,* v. 30 *quia scio quod me non audiet populus; populus est enim dura cervice, et convertetur ad cor suum in terra captivitatis suae* »; — legem scribere coram Israel breviter dicitur pro : legem scribere et scriptam populo proponere (*Lap. Mald. Men.*); de notione pueri vide v. 24; Moyses singulari ratione servus Domini vocatur Ex. 14,31; Num. 12,7. Deut. 34,5. Ios. 1,1. 2. 7; 11,15 et supra 1,20. Reprehenditur contumacia populi, praedicitur dispersio eius atque imminutio; indicatur fructus ex aerumnis oriturus; « haec est misericordia et bonitas de quibus proxime (v. 27) quae populum cui cervix esset ferrea assidua vexatione domuit fecitque ut stimulis compuncti reverterentur ad Dominum » (*Sanct.*). Oracula recensentur breviter ac summatim illa quae fusius leguntur Lev. 26,32 seq. Deut. 28,62-64 : remanebitis pauci numero etc.; ad v. 30 vide Ex. 32,9; 33,3. 5; 34,9. Deut. 9,6. 13; 31,27. 29, quam accusationem Ieremias quoque profert 7,26; 17,23;

19,15. Eorum conversio quae castigatione sit efficienda praedicitur Lev. 26,40. 41. Deut. 4,30; 30,1. In v. 29 βόμβησις significat multitudinem strepitum edentem; cum hebr. הָמָה reddatur Ier. 31,35 et 48,36 βομβεῖν, hoc loco certe in hebr.positum erat הָמוֹן ea notione qua Is. 13,4; 33,3. Ez. 7,12 etc.

Conversionem populi poenis eruditi et Dei in conversos liberalitatem pluribus vates proponit ex verbis mosaicis quo maius studium populi excitetur Deusque suis ipsius promissis admoneatur ut gratias abundantes in populum exsulem effundat v. 31 « *et scient quia ego sum Dominus Deus eorum et dabo eis cor et intelligent, aures et audient*, v. 32 *et laudabunt me in terra captivitatis suae et memores erunt nominis mei*, v. 33 *et avertent se a dorso suo duro et a malignitatibus suis, quia reminiscentur viam patrum suorum qui peccaverunt in me*, v. 34 *et revocabo illos in terram quam iuravi patribus eorum Abraham, Isaac et Iacob et dominabuntur eius et multiplicabo eos et non minorabuntur* v. 35 *et statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum et ipsi erunt mihi in populum et non movebo amplius populum meum filios Israel a terra quam dedi illis* »; — ad v. 31 vide Lev. 26,44. Deut. 4,39; 30,6; dictio in membro ultimo adaptatur ad Deut. 29,4. Ier. 5,21; 24,7. In graeco solum legitur : et dabo eis cor et aures audientes, id quod duriuscule dicitur, cum ad *cor* aliquid addi exspectandum sit neque tamen ἀκούοντα apte ad cor referri possit. Vet. lat. praebet : dabo illis cor ad intelligendum; similiter *vulg.* et *Syrus :* cor intelligens, et id omnino exigitur; unde lectio illa graeca in aliquibus minusculis (22. 36. al.) servata καρδίαν συνετὴν erit genuina. De v. 32 vide Lev. 26,41 : tunc (in terra hostili) orabunt pro impietatibus suis, v. 43 rogabunt pro peccatis suis; Deut. 30,1. In v. 33 praedicitur fore ut aerumnis frangatur contumacia populi peccantis, ut perpendentes qualem ruinam maiores moribus suis induxerint ad saniora redeant consilia; id quod indicatur Lev. 26,40. 41 : affligentur donec confiteantur iniquitates suas et maiorum suorum, donec erubescat incircumcisa mens eorum; cf. v. 19 et conteram superbiam duritiae vestrae; cf. Deut. 30,2. Promittitur in v. 34 reditus in terram, quieta terrae possessio et populi Dei multiplicatio, quae tria clare promittuntur Deut. 30,3. 5 : reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam ac rursum congregabit te et assumet atque introducet te in terram quam possederunt patres tui et obtinebis eam, et benedicens tibi maioris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui; cf. v. 8. 9. 20 et eadem promissio recolitur Ier. 30,3. 10. 19; reduces in terram κυριεύσουσιν αὐτῆς quae dictio Ier. 30, 3 quoque legitur, ubi *vulg.* habet : possidebunt eam; nostro loco legi

oportet : dominabuntur *eius,* terrae scil., non eis[1]; bene habet vet. lat. dominabuntur in ea, et editio *vulg.* plantiniana an. 1583 dominabuntur eius. Ad ultimum membrum v. 34 vide Ier. 29,6 et 30,19. In v. 35 denique alterum promittitur foedus idque gratia Dei et sanctitate insigne quod iam non dissipetur, sed stabile sit in perpetuum. Baruch ob oculos habet Lev. 26,42. 44. 45 : recordabor foederis mei... neque sic despexi ut consumerentur et irritum facerem pactum meum cum eis, ego enim sum Dominus Deus eorum et recordabor foederis mei pristini etc.; cf. Deut. 30,9; quae promissio instaurationis foederis eiusque sanctioris sollemnis est apud prophetas; vide Os. 2,18. Is. 54,8. 9; 60,20; 65,18; 66,22. Ier. 31,33; 32,40. Ez. 11,19; 36,26; 37,26 etc. Delineatur in v. 35 breviter ipsa instauratio theocratiae quae demum in regno messianico facta est et ad quam reditus in terram palaestinensem erat primus quasi gressus et praeparatio quaedam. Describit igitur Baruch more aliorum prophetarum ipsam notionem instaurationis, quae futura sit perpetuo stabilis, Dei gratiae in populum effusione et populi Dei sanctitate insignis ideoque pace imperturbata felix atque secura. Hisce tangi tempus messianum *Alb. Sanct. Mald. Sa, Lans. Lap. Malv. Men. Tir. Gord. Calm. R. Loch, Troch.* aliique interpretes fere omnes rite agnoscunt.

c) **Supplicationem precibus impensis concludunt 3, 1-8.**

Orantes Deo varias proposuerunt rationes quibus eum ad miserendum permoveant. Iam orationem concludunt epilogo vehementi et compellatione ardenti magnisque suspiriis quibus propheta docet quanto opus sit studio quantoque fervore, si cum Deo in gratiam redire voluerint; v. 1 « *Et nunc Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis et spiritus anxius clamat ad te* »! — ad sensum apte ponitur in *vulg.* et nunc (*Kn.*), quamvis in graeco, vet. lat. apud *Syrum* non legatur. « Est gravis ad impetrandam aut etiam extorquendam misericordiam tam apud homines quam apud Deum animi dolor atque angor et spiritus contribulatus et afflictus » (*Sanct.*). Deum invocandum docet vates παντοκράτορα, qua voce saepius redditur hebr. יהוה צבאות (vide quae notavi ad Ier. 2,19; Comment. p. 47; praeterea Os. 12,6. Am. 3,13 etc.); Deum igitur compellat rerum omnium moderatorem potentissimum qui Deus Israel foedere parti-

1. Notat *Lucas* brugensis : « vitium typographicum est hic in autographo romano dativi pluralis *eis* pro genitivo singularis *eius* scil. terrae », quod mendum in plerisque editionibus nondum correctum est. Dominari iungitur cum genitivo Gen. 3,16; 4,7. Eccli. 17,4 etc.

culari populo est iunctus et proinde populo suo afflicto et gementi non potest non succurrere. Nam sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies, et : propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus (Ps. 50,19; 11,6. *Sanct.*). Quare afferunt duas rationes cur debeant misericordiam consequi : Dei misericordiam et suam humilem culpae confessionem v. 2 « *audi Domine et miserere quia Deus es misericors et miserere nostri, quia peccavimus ante te* »; — membrum prius : quia Deus es misericors, in editionibus graecis plerumque non legitur; at hoc membrum tuentur versiones veteres quotquot exsistunt, *Theod.* codex alexandrinus et novem minusculi (*R.*). Cum in hoc epilogo rationes allatae fere recolantur, membrum hoc quod ad 2,27 refertur omnino apte ponitur.

Aliam rationem Deo proponunt ex eius imperio et potentia aeterna depromptam, cuius vi non possit permittere ipsos miseriis deleri et interire v. 3 « *quia tu sedes in sempiternum et nos peribimus in aevum* »? — alterum membrum per interrogationem legendum est : permittesne vel quomodo posses permittere populum tuum exstingui? Ita merito concipiunt *Lap. Sa, Tir. R. Loch.* De sententia vide ad Lament. 4,19. 20, ubi ex throno et regno Dei aeterno eadem ratio colligitur. Apte autem vates Dei commemorat aeternitatem et maiestatem regnantis; ad utrumque enim quam maxime convenit ut Deus foedus sempiternum quod iniit cum patriarchis servet et populum quem sibi elegit in peculium et regnum sacerdotale (Ex. 19,5. 6) non sinat perire. Unde hanc Dei sublimitatem in medium proferens recolit quae 2,11. 27. 35 dicta sunt. Alii interpretes sat multi membrum alterum concipiunt de fragilitate et imbecillitate naturae humanae, de hominis vita brevi et misera; « valet plurimum ad impetrandam misericordiam et petentis infirmitas et eius a quo postulatur significata facultas » (*Mald.* sim. *Theod. Ol. Sanct. Malv. Calm. Troch. Fr. Kn.*). At rationem afferri ex communi hominum sorte et natura petitam non videtur consentaneum totius orationis indoli, in qua ea proferuntur ubique quae populo Dei eiusque conditioni propria sunt ac peculiaria, minime autem ea quae ad universum genus humanum et ipsam hominis uniuscuiusque naturam spectant. Unde *perire* explica ex 2,2. 4. 5. 9. 13. 17, ad quos locos vocem etiam eo referri oportet quia in hoc epilogo summa quaedam antecedentis orationis recolitur. Demum adverte eandem vocem etiam in subseq. v. 4 declarari.

Deo porro proponunt miseram suam ad quam redacti sunt conditionem et dolorem quem iam conceperunt de iniquitate v. 4 « *Domine omnipotens, Deus Israel audi nunc orationem mortuorum Israel et*

filiorum ipsorum qui peccaverunt ante te et non audierunt vocem Domini Dei sui et agglutinata sunt nobis mala »! — vide 1,17. 20. 21; 2,10 etc.; vocant se *mortuos,* scil. qui adeo afflicti et vexati sunt, ut nihil a mortuis differre videantur, uti infra v. 11 : deputatus es cum descendentibus in infernum; ita dictionem bene ex v. 11 illustrat *Mald.;* similiter *Calm. R. Loch, Troch.* et eandem explicationem etiam *Lap. Men. Tir.* commemorant et admittunt. Pari quoque modo dicitur Lament. 3,6 : in tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos, neque infrequens est in s. litteris afflictionem magnam comparari morti; cf. 1 Reg. 2,6 Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit; Is. 59,10 in caliginosis quasi mortui; Ion. 2,7. Ps. 29, 4; 85,13; 87,4. Quare *mortui* h. l. apte ponuntur neque opus est cum *Welte, Kn.* mendum assumere interpretis qui מֵתֵי legerit pro מְתֵי; nam : audi orationem *virorum* Israel, satis ieiune et frigide diceretur neque vox de se dicit *paucos,* ut sensus esse possit : audi orationem paucorum qui relicti sunt; vocem significare *viros* et dicere multitudinem quoque vide Deut. 3,6. Iob 11,3. 11; 19,19; 22,15; 31,31. Ps. 17,14; 26,4. Cum graece habeatur υἱῶν τῶν ἁμαρτανόντων, explica cum *Mald. Lans.* et recentioribus : audi orationem filiorum eorum qui peccaverunt etc.; se igitur profitentur tamquam mortuos et tamquam filios parentum peccatorum, uti statim in v. 5 quoque.

Alii *mortuos* sensu proprio accipiunt vel de sanctis patriarchis qui olim preces fuderint pro incolumitate populi aut etiamnum fundant, sicuti 2 Mach. 15,14 de Ieremia mortuo dicitur, vel de iis qui proxime obierint qui etsi peccaverint tamen poenitentes decesserint (cf. *Theod. Ol. Malv. Sa, Sanct. Lap. Men. Tir.*). Sed si de sanctis patriarchis et prophetis esset sermo, ii profecto nomine quodam honorificentiore appellarentur, non adeo communi quo *omnes* mortui pii et impii designantur. Insuper isti *mortui* statim addito καὶ υἱῶν τῶν ἁμαρτανόντων tamquam peccatores declarantur! Unde ne altera quidem explicatio admitti potest, quae insuper postulat ut multa in textum ingerantur. Tertiam quandam acceptionem apud *Ol.* invenimus : mortui in quos sententia mortis lata est propter peccatum, atque eam amplectitur *Lans. :* « comprehendit enim simul superstites qui hanc orationem pronuntiant et maiores eorum qui omnes ob peccata sua indigni censentur, ut exaudiantur a Deo ». Sed quo iure supponitur illos peccatores vel dum in vivis essent vel apud inferos Deo supplicasse et supplicare pro salute reipublicae quam vivi suis peccatis ruinae addixerunt?

Porro, uti 2,14, Dei causam et gloriam agi monent v. 5 « *noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuae et nominis tui in tempore isto,* v. 6 *quia tu es Dominus Deus noster et*

laudabimus te Domine »! — Deus pro sua potentia et gloria nominis non potest suum populum aliis permittere conculcandum; cf. **2,11. 14**; « memento quali sis potentia (manus enim pro potentia sumitur) et quomodo infirmam esse putent gentiles, cum videant populum tuae fidei atque tutelae creditum pro cuiusque arbitratu atque libidine dure atque ignominiose vexari; memento item nominis tui quod ea de causa ab externis lacerari vides cuius gloriam tanti facis » (*Sanct.*). Rationem quoque optime petunt a nomine *Iahve* quod graece κύριος exprimi solet : « quia tu es ille ipse et non es immutatus » (*Theod.*), Deus foederis fidelissimus. Tum se misericordiam consecutos praeconia Dei esse annuntiaturos spondent; vide **2,17. 18. 32.**

Et quia Deus nominis sui gloriam et laudem vult, iam animos exsulum poenis eruditos ad se convertere incipit, iis suum indit timorem ac religionem ita ut peccata parentum et sua iam detestentur; ita v. **7** « *quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris et ut invocemus nomen tuum et laudemus te in captivitate nostra, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum qui peccaverunt ante te* » ; — « ostendit supplicii fructum; castigati enim, ait, conversi sumus » (*Theod.*); unde quae **2,31-33** proposita sunt, hic iamiam impleri ostenduntur. Refer *propter hoc* ad id quod immediate antecedit : laudabimus te; eam quippe laudem Deus suo iure vult et propterea timorem, sui reverentiam, cultum, amorem animis indit, eo quidem successu et fructu ut Deum iam in terra exsilii laudent. Hoc vero encomium Dei cernitur in eo quoque, quia avertimus a corde nostro omnem iniustitiam patrum nostrorum (prout graece dicitur). Qua oratione vates documentum tradit exsulibus gravissimum; ostendit quomodo Deus rebus adversis ad verum et sanctum suum timorem et cultum eos adducere velit; monet ut ad laudes Dei sese accingant, ut peccata non solum verbis detestentur propter miseriam quam experiuntur, verum ut e cordibus et animis omnem iniustitiam removeant. Quae si praestare animis sinceris aggrediantur, poterunt maxima fiducia Deum supplices adire et miserae suae conditionis remedium efflagitare v. **8** « *et ecce nos in captivitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium et in maledictum et in peccatum secundum omnes iniquitates patrum nostrorum qui recesserunt a te Domine Deus noster* »! — cf. **2,4. 13** ; exponunt miseriam iis verbis quibus a Ieremia praedicta erat **18,16**; **19,8**; **24,9**; *in peccatum*, graece εἰς ὄφλησιν (quod tertium membrum in vet. lat. non legitur) aliqui explicant *in tributum* secundum illud : princeps provinciarum facta est sub tributo (Lament. **1,1**; *Sanct. Mald. Vat. Lap.* et ad Deut. **28,44** remittit *Calm.*). Quid in hebr. positum fuerit, dictu difficile est; coniectant לְמַשָּׂה pro

לְשַׁמָּה (R.) vel לִמְשַׁאָה in horrorem (*Kn.*). Explicant *in peccatum :* « in poenam et opprobrium peccati, ut ab omnibus habeamur et vocemur eximii peccatores, egregie scelerati, quod tantas cogamur poenas dare, inquit Hugo et Lyranus » (*Tir.* sim. *Lap. Calm.*).

Oportet inquirere qua ratione interpres ad ὄφλησιν pervenerit. Apud LXX ὀφείλημα legitur pro מַשָּׁאָה Deut. 24, 10; item ὀφείλω pro hebr. נָשָׁה; quare supponi debet vocabulum ab eo esse lectum quod proxime ad eam formam accedat. Iam vero Ps. 73, 18 et 74,3 legitur vox מַשּׁוּאוֹת quae in singulari מַשָּׁאָה quoque legi poterit (*Kn.*) et cui iam *Symmachus* notionem ἀφανισμὸς vindicat, cui significationi et *Chald.* et recentiores psalmorum interpretes calculum adiiciunt. Quae vox si in textu hebr. libelli nostri supponitur, et sensus habetur aptus : sumus in improperium et in maledictum et in ruinam (vastationem, desolationem) et explicatur quomodo versio ὄφλησις exsistere potuerit; vide enim praeter Deut. 24,10 etiam 15,2. Is. 24,2. Ier. 15,10 et praesertim מַשָּׁא Neh. 5,7; 10,32.

ALTERA PARS 3, 9-5, 9.

Laus sapientiae et via salutis.

ARG. — Populus in terra aliena obruitur miseriis quia fontem sapientiae reliquit; quare discere oportet ubi sit vera sapientia et omnium bonorum fons. Haec autem sapientia humanis subsidiis nequit acquiri; neque enim invenitur apud potentes et divites neque apud populos vel commercio vel prudentia conspicuos et celebratos, neque apud gigantes prisci temporis; nemo enim hominum eam suis viribus acquirere vel invenire potest (3,9-28). Solus Deus omniscius, rerum omnium coelestium atque terrestrium creator ac moderator, novit sapientiam eamque filiis Israel dedit claram et conspicuam, quae scil. lege mandatorum Dei continetur, in qua est via vitae; quare eam amplecti et ita ad beatitatem pervenire oportet (3,29-4,4). Hac doctrina exposita populum ad fiduciam provocat; atque prius quidem propter scelera patrata et legem neglectam eos exsilio esse mulctatos ostendit inducens ipsam urbem Ierusalem quae filios suos in captivitatem abeuntes moesta alloquitur, eos adhortatur ut ad Deum se convertant, et spe reditus in Domino posita, erigit et consolatur (4,5-29). Dein ipse vates eam spem confirmat, punitionem et interitum hostium annuntiat, reditum ad urbem Ierusalem vaticinatur, novam eamque maximam gloriam urbi praedicit eam provocans ad exsultationem de tanta gloria et filiorum multitudine et novae theocratiae sanctitate (4,30-5,9).

Postquam vates in parte priore ostendit quid sit destruendum et

evellendum, in hac parte docere aggreditur quomodo sit plantandum et aedificandum. Unde in suo libello eam prophetici muneris rationem exprimit quae Ieremiae quoque divinitus erat assignata (1,10). Peccatis itaque vero dolore et sincera detestatione amotis ostenditur quae sit via iustitiae et salutis. Unde vates postquam in antecedentibus explicavit illud : declina a malo, nunc demonstrare aggreditur alterum : et fac bonum.

α) Homo per se nequit attingere sapientiam 3, 9-28.

Uti fieri solet in libris quibus sapientia vera explicatur et inculcatur, propheta incipit a monitione, ut doctrina sapientiae attente et avide suscipiatur v. 9 « *Audi Israel mandata vitae, auribus percipe, ut scias prudentiam* »! — ut quis in doctrina Dei proficiat, opus est desiderio et sacra quadam aviditate. Hunc amorem et hoc studium propheta eo excitat quod mandata *vitae* promittit, documenta scil. salutaria quae vitam afferant (*Men.*), vitam doceant et efficiant beatam et quibus vera sapientia gignatur ad studia omnia et actiones prudenter, prospere, feliciter dirigenda. Quanto iam desiderio animi omnium obviam ferri debeant eiusmodi institutioni ostenditur prius ex misera exsulum conditione, dein ex summo pretio et altissima dignitate sapientiae. Quantopere autem Israel indigeat tali institutione, calamitas ipsa clamat v. 10 « *quid est Israel quod in terra inimicorum es?* v. 11 *inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum* »! — i. e. quid hoc novum, quid hoc adeo inusitatum sibi vult, quod populus Dei sit in regione hostium et non in hereditate sua et in terra Domini? neque id solum, verum ibi *contabescunt,* prae miseria viribus destituuntur ac pene deficiunt; ita explica παλαιοῦσθαι quod verbum, uti iam *Lans.* monet, frequenter apud LXX pro hebr. בָּלָה ponitur; cf. Deut. 29,4 non sunt *attrita* vestimenta vestra; Ios. 9,13 vestes et calceamenta *trita sunt et pene consumpta;* similiter Neh. 9,12. Iob 13,18. Ps. 13,3 inveteraverunt ossa mea; 48,15; 101, 27. Is. 50,9 ut vestimentum *conterentur;* 51,6. Lament. 3,4 vetustam fecit pellem meam etc. ; ex quibus exemplis manifestum est *inveterare* non dici de longissimo tempore ex quo exsilium iam duret, sed sensu translato : tabescere, marcescere, atteri; id fere impleri dicit quod Deus minatus erat Lev. 26,39 et Deut. 28,65. Immo sordent et squalent sicut mortui qui coinquinati esse putantur; « coinquinatus cum mortuis ille dicitur qui eandem cum mortuis conditionem nactus est; sunt autem mortui ipsi coinquinati et eos qui ipsos attigerint contaminant »

(*Sanct.* sim. *Mald. Sa, Lap. Men. Calm. R. Troch.*). Et haec conditio sordida et squalida etiam in altero membro cum mortuorum sorte confertur; « solent Hebraei homines nimium afflictos mortuis comparare; Ps. 27,1; 87,5; 142,7 » (*Mald.*) atque exsules cum mortuis comparari etiam ex Ez. 37,3 seq. et campo illo ossium *Sanct.* docet. Ceterum vide ad v. 4 audi orationem mortuorum Israel.

Quaestioni propositae respondetur v. 12 « *dereliquisti fontem sapientiae;* v. 13 *nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna* »! — ex qua argumentatione sequitur, ambulare in via Dei esse adhaerere sapientiae. Via Dei dicitur via illa, vitae actionumque ratio quam servari a nobis Deus vult; proin mandata divina. Hanc sapientiam quae fontis instar nunquam deficientis per legem et prophetas populo praesto erat reliquerunt; vide de ea imagine Ier. 2,13. Eandem conditionem effert Isaias: utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua et iustitia tua sicut gurgites maris (Is. 48,18). Alii explicant : dereliquisti eum qui est sapientiae fons, Deum (*Theod. Ol. Sanct. Mald. Men. Lap. Tir. Troch.*) secundum Eccli. 1,1 : omnis sapientia a Domino Deo est; quae explicatio sensu haud multum differt ab altera; sed verum est quod *Malv.* monet legem Dei ex qua sapientia in homines erat manatura toto reliquo capite et disertis verbis principio cap. 4 dici ac describi fontem sapientiae; dein ex v. 12 et 13 sequitur lege parallelismi relinquere fontem sapientiae esse idem ac non ambulare in via Dei. Ad rem notat *Sanct.* pacem in Scriptura latissime patere, « significat enim bonorum abundantiam, quietem et otium, denique quidquid est hominibus optabile ».

Unde ex ipsa sua castigatione discant quae sit salutis via; « fontem aperit, ex quo bonorum omnium commoditas et affluentia profluit » (*Sanct.*) v. 14 « *disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitae et victus, ubi sit lumen oculorum et pax* »! — i. e. si sapientiam didiceris, bonis omnibus et corporis et animi afflues, ex lege quippe vetere promissa erant bona quoque temporalia iis qui mandata Dei observant (cf. Lev. 26. Deut. 28). Sapientia tribus declaratur notionibus : φρόνησις, vera scil. rerum faciendarum et vitandarum cognitio, ἰσχύς, virtus illa, fortitudo, firmitas animi qua quae perspecta sint et rite cognita, fortiter superatis obstaculis in opus deducuntur, σύνεσις, vera intelligentia et in rebus iudicandis penetrandisque mentis acumen, quod utique norma et lege divina praelucente, dirigente, viam monstrante habetur. Ubi talis sapientia residet, ibi bona quoque inveniuntur lege promissa : longiturnitas vitae; cf. Ex. 20,12 honora patrem... ut sis long-

aevus super terram; Prov. 3,1. 2.16; Ps. 20,5; 90,16; Eccli. 1,12 timor Domini delectabit cor et dabit laetitiam et gaudium et longitudinem dierum; dein ζωή, vita scil. felix, beata, robore virium iucunda et prospera; ita *vita* saepius cum emphasi effertur, talis scil. vita quae vere sit homini optabilis; cf. Deut. 5,16 ut longo vivas tempore et bene sit tibi; eodem modo duo haec iunguntur Deut. 30,20 et 32,47; Prov. 4,13 tene disciplinam, quia ipsa est vita tua. Vet. lat. habet uti in graeco (solum inseritur in hoc membro *virtus*); *vulg.* victus, id igitur quod ad vitam necessarium sit. Lumen oculorum explica ex 1,12; in oculorum splendore ac laetitia depingitur robur ac felicitas; ultimo loco summa ac comprehensio bonorum, pax, inter effectus sapientiae et fructus recensetur.

Cum tot ac tanta sint emolumenta sapientiae, ubi iam sit et quomodo possideri possit quaerendum est. Hanc autem quaestionem ita ponit vates, ut simul modo plane eximio doceat quanti sit aestimanda sapientia quippe quae nullo conatu humano, nullis opibus acquiratur, cum sit rebus omnibus humanis longe excellentior. Ita enim demonstrat veram sapientiam esse supernaturalem et nobis obvenire ex Dei revelatione gratuito ac liberaliter facta; v. 15 « *quis invenit locum eius et quis intravit in thesauros eius* »? — cf. Iob 28,12; quis scit ubi sit sapientia, ubi resideat, et quis potest intrare ibi, ubi divitiae eius reconduntur, ut iis ditatus revertatur ad nos nosque ditet? Ad aditum illum non perducit pompa et gloria principum neque opes potentium in immensum auctae v. 16 « *ubi sunt principes gentium et qui dominantur super bestias quae sunt super terram?* v. 17 *qui in avibus coeli ludunt,* v. 18 *qui argentum thesaurizant et aurum in quo confidunt homines et non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant et solliciti sunt nec est inventio operum illorum?* v. 19 *exterminati sunt et ad inferos descenderunt et alii loco eorum surrexerunt* »! — aliis verbis : homo potest quidem sibi subiicere alios homines quibus dominetur, potest animalia suae subiicere servituti et suis artificiis ea capere et domare, potest ea quae in terra et in terrae visceribus latent suae subdere utilitati et voluptati, potest ea quae natura ei offert artibus variis perficere et tot opera et artificia pro sua prudentia efficere, ut iam non explorari vel numerari cuncta possint; at hisce omnibus homines non veram sibi acquirunt felicitatem. Simile ratiocinium legitur Iob 28,13-22. Principum potentia et pompa eo quoque effertur quod dominari dicantur in bestias, prout similiter Deus dicit : ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, insuper et bestias agri dedi ei ut serviant illi (Ier. 27,6; 28,14); simul enim cum regione ei subiiciuntur ea quae in regione sunt; alii

ibi artem venandi exprimi cernunt qua reges delectentur (*Theod. Sa*); alii : « plurimos obtinent greges et armenta, equis vehuntur et dromedariis et impatientes iugi atque indociles belluas condocefaciunt et ad iugum cogunt » (*Sanct.*). In monumentis assyriis plurima ex arte venandi depicta cernuntur, praecipue reges qui belluas feroces, leones, trucidant; quare ad eam iactationem alludi non est improbabile. Maiorem quoque potentiam in v. 17 describi censent *Mald. Men.*; difficilius enim videri in aves coeli pro suo arbitrio dominari; id quod ex Dan. 2,38 confirmatur; maiorem ibi artem et industriam commendari opinatur *Sanct.*, cum nimirum volucres ita doceantur, ut ad aliarum aucupium adhibeantur; auguria exprimi putat *Ol.*; alii demum lusus et oblectamenta principum otiosorum eo modo scil. quo Iob 40,24.

Potentia regum descripta alterum laudatur quod hominibus est admirationi in v. 18 : opes in immensum auctae; quae etsi continuo augeantur, tamen ad sapientiam acquirendam nihil iuvant; *non est finis* cf. Is. 2,7. Si quod sequitur *qui argentum fabricant*... intelligitur cum *Ol. Mald.* de iis qui pecuniam quovis modo et quibusvis artibus corradunt vel etiam cum *Lap.* de iis qui e venis et mineralibus argentum efformandum curant efformatumque recondunt, sententia haec de principibus intelligi potest novumque describit artificium augendi divitias. At τεκταίνοντες nos remittit ad hebr. חרש; ita enim hoc verbum graece vertitur Ps. 128,3 hebr. Prov. 3,29. Ez. 21, 36 hebr. Sed ea voce iam ipsi artifices designantur. Quare satius est intelligere artifices quibus reges usi sunt ad aedificia exornanda. In graeco legitur non *qui*, sed ὅτι, quod cum nullum verbum finitum sequatur explicari nequit; quare vel cum aliquibus codicibus debet omitti vel melius adoptatur coniectura a *Kn.* proposita : *ubi* sunt artifices? in sollicitudine declaratur industria nova opera artis excogitandi, quae quanta sit et quo successu adhibeatur, habes in membro ultimo : non est ἐξεύρεσις... id quod ex Is. 40,28 respondet hebr. אין חקר i. e. tot ac tanta opera excogitant ut nequeant explorari omnia, ut pene sint inscrutabilia (sicut Prov. 25,3 eadem dictio hebr. redditur). Eo modo iam explicat *Sanct.* tot esse hominum machinamenta, tot ingenii solertis artificia, tot ab illis opera constructa, ut non facile quis illa possit invenire perscrutando aut numerando percensere; sim. *Sa, Lap. Men. Tir. Loch, R. Troch.*; unde vates asserit quantumcumque per saeculorum decursum hominum ingeniis alia et alia excogitentur et inveniantur opera stupenda, hisce tamen aditum ad veram sapientiam non comparari.

Ubi sunt illi potentes et sapientes? ἠφανίσθησαν, *evanuerunt* de terra,

plurimi quoque ex hominum memoria nullo vestigio relicto; descenderunt in domum et habitationem mortuorum; relinquent alienis divitias suas et sepulcra eorum domus illorum in aeternum (Ps. 48,11. 12; *Mald.*); alii eorum loco surrexerunt; pro aliis igitur opes collegerant inutiles iam sibi; aliis succedentibus priorum quoque memoria et desiderium exstinguebatur, ita ut quantopere in vanum laboraverint et iam nihil in manibus habeant omnibus sit manifestum. Similiter iam Habacuc monuit labores et opera gentium esse in ignem vel pro igne quo scil. absumantur et in vacuum (2,13 hebr. Ier. 51,58).

Neque qui eos secuti sunt eorumque documentis eruditi erant et edocti rerum plurimarum experientia, sapientiam invenire poterant; qua re sententia antecedens augetur v. 20 « *iuvenes viderunt lumen et habitaverunt super terram; viam autem disciplinae ignoraverunt* v. 21 *neque intellexerunt semitas eius neque filii eorum susceperunt eam; a facie ipsorum longe facta est* »; — quotquot hominum generationes inter se succedunt, omnes pariter impotes sunt ad sapientiam inveniendam; plurima quidem emolumenta *iuniores* generationes i. e. posteriores prae prioribus habere solent; at sapientia eodem intervallo ab omnibus abest et manet longe ab iis; νεώτεροι, iuvenes i. e. iuniores, posteriores nati sunt et hac luce fruiti (cf. Iob 3,16. 20; 33,30. Ps. 55,13); at viam illam qua perveniatur ad sapientiam non invenerunt. Eodem modo explica *semitas* eius, scil. ubi sint vel quae sint semitae quibus ad sedem sapientiae et eius possessionem homines perducantur ignorabant; ad dictionem vide Iob 28,23; *disciplina* ἐπιστήμη, etiam v. 27 vel vox est synonyma sapientiae (v. 23) vel id dicit quod in intellectu per sapientiae magisterium efficitur, rerum scientiam et peritiam. Neque eorum filii sapientiam apprehenderunt vel attigerunt, οὐδὲ ἀντελάβοντο; sed ipsi quoque *a via eius longe facti sunt;* ita graece; scil. a via quae ducit ad sapientiam longe aberrabant; hoc modo melius legi in graeco iam notat *Mald.* et idem *Malv. III R. Troch. Fr. Kn.* proponunt.

Vulgo in graeco legitur ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτῶν; ita quoque vet. lat. a via ipsorum longe facti sunt, id quod explicandum esset : filii etiam longius aberrarunt quam patres. Verum hanc novam sententiam ita abrupte induci vix probabile est. Quare praeferenda est lectio αὐτῆς quam exprimit *Syrus* et duo codices graeci 26. 239 et versio armena (cf. *R. Fr. Kn.*).

Alia quoque quibus hominum industria et sapientia commendatur plane deficiunt, si de acquirenda agitur sapientia vera v. 22 « *non est audita in terra Chanaan neque visa est in Theman;* v. 23 *filii quoque Agar qui exquirunt prudentiam quae de terra est, negotiatores Mer-*

rhae et Theman et fabulatores et exquisitores prudentiae et intelligentiae, viam autem sapientiae nescierunt neque commemorati sunt semitas eius »; — in terra Chanaan negotiatores intelliguntur (*Sanct.*) vel potius Phoenices (*Lans. Tir. Lap. Calm. Loch, R. Fr. Kn.*) et eo sensu vox adhibetur Num. 13,30. Ios. 5,1. Is. 23,11 (vide quae ad h. l. notavi), quorum peritia in re nautica, in mercimoniis, in plurimorum negotiorum industria celeberrima est. Sapientiae laude apud veteres insignes erant Themanitae, qui Idumaeam incolunt inter orientem et meridiem sitam; vide Iob 2,11. Ier. 49,7. Abd. v. 8. Filii Agar (Gen. 16,3) Ismaelitae sunt, tribus arabicae, Nabathaei, Kedareni, Ituraei; Ismaelitae etiam mercatura et possessione auri commendantur Gen. 37,25. Iud. 8,24. In graeco lege : qui exquirunt σύνεσιν ἐπὶ τῆς γῆς, qui scil. terram perlustrant ad exquirendam intelligentiam, et eo modo dici potest eos investigare eam sapientiam quae est in terra et de terra. Quinam sint negotiatores Merrhae, plane ignoratur. Cum saepius coniungantur Ismaelitae et Madianitae (Gen. 37,27. 28. 36; 39,1. Iud. 8,22. 24), aliqui censent pro nomine illo ignoto quod sit ad errorem scribarum referendum legi debere Madianitas qui Gen. 37,28 negotiatores vocantur. Cum *Theman* modo nominatum sit, nominis repetitio mira videri potest. Sed adverte apud LXX scribi solere Θαιμάν pro hebr. תֵּימָא et תֵּימָן (cf. Gen. 25,15. Is. 21,14. Ier. 25,23); quare hoc loco quo de negotiatoribus sermo est iure supponi potest in hebr. positum esse nomen prius Thema quod est nomen tribus arabicae in Arabia septemtrionali quae tribus negotiationem exercuit, uti Iob 6,19 asseritur. Fabulatores, μυθολόγους, iam optime explicat *Theod.* de iis qui parabolice disputare solebant; proinde de sapientibus qui proverbiis ac parabolis docebant; sim. *Sanct. Loch, R. Kn.;* quae explicatio eo quoque fulcitur quod Eccli. 20,19. 20 μῦθος et παραβολή inter se respondeant, quare vocem hebr. חִידָה reddere *Kn.* censet. Alii vocabulum accipiunt de iis qui res divinas se docere profitentur (*Lap. Men.*). Hisce accedunt ultimo loco qui indagatores sunt omnis sapientiae naturalis et humanae (*Lap. Men. Tir.*). Hi igitur omnes non invenerunt viam qua ad sapientiam accedatur. Cum dicatur *viam autem,* ὁδὸν δέ, constructio grammaticalis manca est; vel in priore membro suppleri oportet v. g. exstiterunt, vel *autem* delendum est. Semitas sapientiae non commemorarunt, οὐδὲ ἐμνήσθησαν i. e. de iis ne cogitarunt quidem vel non erant solliciti, uti hebr. זכר curam saepe dicit ac sollicitudinem (Is. 17,10. Iob 14,13).

De Merrha, vet. lat. Myrrha, Μεῤῥάν multa coniiciebantur. Aliqui vocem referunt ad Maara, urbem Sidoniorum, מְעָרָה Ios. 13,4 (*Lans. Lap. Men.*

Tir. Grotius, *Wahl* in libro : clavis librorum vet. test. Lipsiae 1853); ***Mald.*** suspicatur Merom Ios. 11,5. 7 aut locum « quem Hier. in locis hebr. Merrum appellat vicumque fuisse dicit iuxta Dothain, quamquam minus verisimile est Baruch hoc loco obscurum vicum nominasse »; cum ***Syrus*** praebeat Murath, etiam aliqui de urbe syriaca Moarrah mentionem fecerunt. Alii de tribubus arabibus institui sermonem monentes nomen in Arabia quaerebant; inveniebant regionem arabicam Mahrah, urbem Marane quae a Plinio (hist. nat. 6,28. 32) urbs Sabaeorum dicitur; etiam Strabo (16,4) et Diodorus siculus (3,42) norunt gentem nomine Μαρανειταί, Μαρανεῖς (*Fr.*) qui in Arabia felice in litore occidentali habitabant. Iam *Malv.* commemorat Iunium opinatum esse interpretem graecum pro hebr. מְדָן quod est aliud pro Madian nomen (Gen. 37,36 coll. v. 28) legisse מרן Meran; cum apud LXX saepe reperiatur ρρ pro una littera r in hebr. in nominibus propriis (Hodorrha, Chorrhi, Tharrha, Arrhan, Sarrha, Gomorrha, quae exempla ***Kn.*** affert), haec explicatio compluribus arrisit. Nomen Madianitarum contextui non repugnare iisque convenire appellationem negotiatorum iam supra ostensum est. Unde ei explicationi acquiescere poteris. Minus probabile est quod ***R.*** vult intelligi Gerrha in Arabia felice.

Quamvis mundus sit excelsus et immensus videatur, sapientia tamen in eo non reperitur neque eam Deus gigantibus illis antiquis largitus est. Unde consequitur denuo etsi quis omnia naturalia perlustraverit viribusque polleat plus quam humanis, tamen ideo ei nullum inesse titulum quo sapientia ei debeatur. Quare eam excedere omnes naturae vires iterum alio modo demonstratur; v. 24 « *o Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius!* v. 25 *magnus est et non habet finem, excelsus et immensus* »! — in compellatione Israel iam praeoccupatur notio, quam felix sit cui ex omnibus gentibus obtigit, ut eam sapientiam per Deum assequeretur. Domum Dei intellige orbem terrarum, vel melius « universum hoc in quo Deus tamquam in domo sua habitat instar rectoris et patrisfamilias » (***Tir.*** sim. *Lap. Calm. Loch, Troch.*), totam scil. ditionem Dei, in qua Dei potentia et sapientia relucet. Eius finem mensuramve homo nullibi reperit; cf. Ier. 31,37; unde mundus pro hominis aspectu est infinitus, immensus, verbis autem proxime id exprimimus quo sensus nostri percelluntur. Alii malunt explicare domum Dei de coelo, locum possessionis eius de terra, ut ex duabus his notionibus significatio mundi universi confletur (*R. Kn.*); sed cum in v. 25 attributa efferantur quae ad unam notionem mundi conveniunt neque iis duae notiones distinctae significentur, prior acceptio magis est consentanea. Mundi magnitudine commemorata iam commendatur Dei benignitas, qui cum tota terra eius sit et tam late pateat tamque multi in ea fuerint populi, tamen non alios elegit quam Israel cui sapientiam lar-

giretur (*Mald.*); ex eadem ratione iam Moyses Dei in Israel amorem describit Deut. 7,6-9 : non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores, et 10,14. 15 : en Domini Dei tui coelum est et coelum coeli, terra et omnia quae in ea sunt, et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus et amavit eos elegitque semen eorum post eos id est vos de cunctis gentibus; cf. 14,2.

Id quod uno demonstratur exemplo v. 26 « *ibi fuerunt gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum;* v. 27 *non hos elegit Dominus neque viam disciplinae invenerunt, propterea perierunt* v. 28 *et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam* »; — res et verba vide Gen. 6,4; hebr. viri nominis, ὀνομαστοί LXX, viri famosi *vulg.;* potentes a saeculo, מֵעוֹלָם, ἀπ' αἰῶνος LXX; eodem modo explica *ab initio;* Eccli. 16,7 ἀρχαῖοι γίγαντες qui destructi sunt confidentes suae virtuti (v. 8), de quibus quoque Iob 22,15. At minime opus est verba prophetae ad eos solos concludere; in historia sacra sermo fit de Enacim quoque et Raphaim; Num. 13,34 ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo quibus comparati quasi locustae videbamur; de Emim quasi gigantibus vide Deut. 2,10. 11; de Zomzommim gigantibus Deut. 2,20; etiam Og de stirpe erat gigantum Deut. 3,11. Ios. 12, 4; 13,12. Quare *Sanct. Mald. Lans. Men. Calm. R. Kn.* merito hos quoque intelligunt populos procerae staturae et bellicosos quibus terra erepta est et Israelitis concessa. Proinde ibi iam valuit norma Dei : infirma mundi elegit ut confundat fortia et ignobilia mundi et contemptibilia elegit et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius (1 Cor. 1,27-29). In v. 27 Deus largitor sapientiae iam nominatur; graece enim et in vet. lat. : neque viam dedit illis disciplinae, ἐπιστήμης, viam scil. illam qua ad veram intelligentiam pervenitur; illis revelationem suam non eo modo concessit quo Israelitis. Ad rem notat *Sanct.* : « ostendit unde hominibus concessa fuerit verae sapientiae cognitio salutaris; non sane ab alio quam a Deo qui populum Iudaeorum elegit illique tantum hoc donum impertitus est ».

b) **Ubi sit sapientia 3, 29-4,4.**

Deus igitur possidet sapientiam (v. 27 graece). At nemo eam acquirere potest, nisi Deus summa libertate et liberalitate eam largiri et donare voluerit. Id in sequentibus illustratur v. 29 « *Quis ascendit in coelum et accepit eam et eduxit eam de nubibus?* v. 30 *quis transfre-*

tavit mare et invenit illam? et attulit illam super aurum electum? v. 31 *non est qui possit scire vias eius neque qui exquirat semitas eius* »; — cf. Deut. 30,11-13; sine revelatione divina haec sapientia nequit attingi, etiamsi homo coelum et terram et maria perlustraverit et aurum purissimum tamquam pretium offerat; οἴσει αὐτὴν χρυσίου i. e. quis afferet illam vel emet eam auro electo; est « genitivus pretii quod apud Graecos est usitatum et in hunc locum valde congruit » (*Mald.*) et eodem modo *Sanct.* explicat *super aurum*; vet. lat. : praetulit eam auro electo, et similiter *Lap. Lans. Men. Tir.* accipiunt : quis attulit eam quae est pretiosior auro et pro qua merito quis omnes opes impenderit. Non est venditioni exposita (*Theod.*); cf. Iob 28,15 non dabitur aurum obrizum pro ea. De viis eius cf. v. 15. 20. 21. 23.

Solus itaque Deus eam possidet v. 32 « *sed qui scit universa novit eam et adinvenit eam prudentia sua, qui praeparavit terram in aeterno tempore et replevit eam pecudibus et quadrupedibus,* v. 33 *qui emittit lumen et vadit et vocavit illud et obedit illi in tremore;* v. 34 *stellae autem dederunt lumen in custodiis suis et laetatae sunt,* v. 35 *vocatae sunt et dixerunt: adsumus, et luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas* »; — i. e. Deus omniscius, rerum omnium creator ac moderator supremus, cui omnia ad nutum libentissime obediunt, veram illam possidet sapientiam, quae iterum tamquam hominis vires plane excedens demonstratur eo quod in Deo summa eius scientia, potentia, rerum omnium moderatio effertur tamquam ratio et argumentum possessionis sapientiae. Plane similem argumentationem habes Iob 28,23-27. Sicut in v. 24. 25 mundus universus, ita hic terra et coelum ad Dei maiestatem illustrandam proponitur. Responsio adaptatur quaestioni v. 15; unde de Deo dicitur ἐξεῦρεν adinvenit eam. Terram dicitur praeparasse i. e. condidisse et instruxisse εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον, ut scil. stabili ratione perduret, ut duret semper, « quasi dicat : qui firmavit orbem terrae qui non commovebitur » (*Mald.* sim. *Sa, Lap. Men. Calm.*); explica *in tempore* ex latino dicendi genere posteriore et vulgari quo *in* cum abl. et accus. promiscue adhibebatur, cuius rei exempla non pauca exstant in *vulg.* (cf. *Kaulen,* Handbuch z. Vulg. p. 206); proinde eodem sensu quo dicitur Eccl. 1,4 : generatio praeterit et generatio advenit, terra autem in aeternum stat. Lumen plerique de sole accipiunt (*Alb. Mald. Sanct. Men. Tir. Calm. Troch. Fr.*) vel generatim de sole, luna aliisque astris; alii ob oculos habentes Iob 36,32 et 37,3. 15 et 38,35 id singulari modo de fulgure dici existimant vel de fulgetro (*R. Loch, Kn.*), ad quod forte etiam *tremor* accommodatur, nisi solam depingi putaveris obedientiam et subiectionem; *vocare* idem est quod praecipere, mandare.

Ordo astrorum coelorum dicitur militia; in custodiis suis dicuntur lumen dare i. e. in stationibus a Deo imperatore designatis (*Sanct. Mald. Lap.*); splendor eorum eleganter dicitur laetitia, qua simul prompta et laeta declaratur obedientia; « cuncta parent factori; quidquid factum est custodit proprios terminos » (*Theod.*). Cum in regionibus orientalibus mox post solis occasum brevissimo crepusculo interposito tenebrae noctis ingruant, stellae omnes subito apparent et fulgent; id quod pulcherrime describitur in v. 35 illa responsione qua vocatae dicunt *adsumus* et coram Creatore suo cum exsultatione fulgent gloriam eius enarrantes (Ps. 18,1 seq.); vide Iob 38,35.

Iam maiestate Dei proposita cum animi iubilatione monet propheta v. 36 « *hic est Deus noster et non aestimabitur alius adversus eum; v. 37 hic adinvenit omnem viam disciplinae et tradidit illam Iacob puero suo et Israel dilecto suo* »; — *talis* est Deus noster, cui alius nequit ullo modo comparari; quis sicut Dominus Deus noster? cf. Ier. 10,6; iam propter *talem* Deum non est alia natio tam grandis quam Israel eius scil. peculium electum. Haec vero dignitas quam maxime crescit quia huic populo bonum illud supremum donavit, sapientiam, suam scil. revelationem ei credidit, cuius excellentiam propheta a v. 9 et deinceps adeo multipliciter et magnifice extulit. Dedit eam Iacob *servo* suo et Israel dilecto suo i. e. quia hunc populum singulari ratione in suum servitium ab aliis separavit eumque praecipuo favore dilexit; vide יְדִיד Ier. 11,15; 12,7 hebr. similiter Deut. 32,15; 33,12. Is. 41,8; 44,1 etc.; « notum est Iacob et Israel pro toto israelitico genere usurpari; huic autem populo variis temporibus et locis suam Deus voluntatem ostendit... neque vulgare beneficium est accepisse a Deo legem et salutarem vivendi formam, ubi tot sunt veteratores et humanae salutis inimici... unde : qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias et iudicia sua Israel; non fecit taliter omni nationi (Ps. 147,19); in his legibus vera continetur sapientia quam hominum vis ac solertia non invenit » (*Sanct.*). Intelligi legem Dei et revelationem clare docetur 4,1-4; proinde τὴν τῆς θεογνωσίας διδασκαλίαν, legem datam per Moysen (*Theod.*).

Unde lege hac et revelatione data ipsa sapientia in populo Dei electo radices misit et in eo inhabitavit, uti Eccli. 24,13 dicitur : et sic in Sion firmata sum et in civitate sanctificata similiter requievi et in Ierusalem potestas mea et radicavi in populo honorificato. Idem est sensus textus graeci v. 37 μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη i. e. post hoc, postquam Deus dedit et quia dedit eam populo suo. Verba haec ex graeco ita verti posse, ut ad sapientiam

referantur, *Mald. Malv. Lap. Calm. Loch* omnino recte asserunt; immo si contextum examinaveris ex v. 37 et 4,1, ita verti debere facile affirmaveris. Unde scite advertit *Estius :* « ita litteraliter significabitur sapientiam traditam Israeli, deinde a tota eius posteritate fuisse visam et cum iis conversatam, quia notus in Iudaea Deus ». Verum cum divina revelatio in ipso Filio Dei misso apicem suum et fastigium assecuta sit et tota veteris foederis dispositio praeparatio quaedam esset ad hanc sublimissimam Dei manifestationem sui ipsius et cum insuper Sapientia illa, de qua sermo fit Prov. 8,12. Sap. 7,22. Eccli. 24,5 seq. sit reipsa Filius Dei, merito in textu lat. statim divinae revelationis summa et absoluta perfectio directe et immediate assignatur, qua is qui olim per angelos legem dedit in Sinai et qui per angelum populum comitatus est in deserto demum per se ipsum apparuit v. 38 « *post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est* »; — etiam *Syrus* exhibet formam eandem, ita ut haec enuntiatio non tam de sapientia sed de Deo ipso fonte et largitore sapientiae intelligatur. Verba haec aliquo modo iam impleta sunt in monte Sinai, in deserto, ubi per 40 annos legitur Deus proximus fuisse generationi huic, in templo quando suae praesentiae signum in nebula edidit vel quando describitur sedens super cherubim in arca et symbolo nubis lucidae (schechina) suam demonstrans praesentiam (1 Reg. 4,4. 2 Reg. 6,2); sed haec omnia quasi quaedam praeludia erant ad summam illam Dei manifestationem quae in Incarnatione cernitur, de qua s. Patres saepissime haec prophetae verba (sub Ieremiae nomine potissimum) afferunt.

« Sensu *mystico*, eoque haud dubie a Spiritu sancto intento, significabitur ipsam Dei Sapientiam, id est Verbum Dei post consummatam umbraticam populi veteris sapientiam hominem esse factum et in terris apparuisse et cum hominibus fuisse conversatum » (*Estius*). Frequenter apud S. Patres verba ea, plerumque iam a v. 36 *hic est Deus noster,* afferuntur ad ostendendam et comprobandam Filii Dei divinitatem; multos eorum locos recitat iam *Sabatier*, Bibl. sacr. lat. vers. ant. II p. 745, *Reusch* in comment. p. 268-275, *Tailhan*, Analysis bibl. (Kilber) I p. 428. Aliquos locos adscribam ita ut addam quo tomo et loco in editione *Migne* inveniantur : Cyprianus, testim. adv. Iud. 2,6; *M.* 4,701: Lactantius, divin. inst. 4,13; epit. div. inst. 44; *M.* 6,483. 1051; Hilarius, in Ps. 68,19; de Trinitate 5, 39; *M.* 9,482; 10,156; Zeno veronensis lib. 2 tract. 7 n. 3; *M.* 11,411; Ambrosius, de fide 1,3 n. 28. 29; 2,9 n. 80; *M.* 16,534. 577; Phoebadius aginnensis, de fide orthod. de Filii divin. et consubstant. tract. cap. 7; *M.* 20, 44; Faustinus, de Trinitate 3,2; *M.* 13,64; Rufinus, in symbolum n. 5; *M.* 21,344; Augustinus, c. Maximinum lib. 2,16,13; c. Faustum lib. 12 cap. 43 : « quis alium intelligere permissus est, ubi Ieremias dicit nimirum de

Sapientia : tradidit illam Iacob... post haec in terris visus est » *M.* 42,277. 813; Cassianus, de Incarnatione 4,9; *M.* 50,86; Maximus taurinensis, tract. 5; *M.* 57,796; Chrysologus, sermo 88; *M.* 52,449; Faustus rhegiensis, epistola 3; *M.* 58,839; Avitus viennensis, epistola 28; *M.* 59,245; Vigilius tapsensis, l. 3 de Trinitate; *M.* 62,255.

Atque ex graecis : Origenes, tom. 6 n. 15 in Ioan.; *M.* 14,253; Athanasius, de Incarnatione contra Arianos n. 22; *M.* 26,1024; Cyrillus hierosol., catech. 11,15; *M.* 33,709; Gregorius nazianz., oratio 30,13; *M.* 36,121; Amphilochius iconiensis, oratio in Christi natal. 1,2; *M.* 39,38; Didymus alex., de Trinitate 1,37; *M.* 39,397; Epiphanius, haeres. 69,31 et 71,3; *M.* 42,252. 577; Chrysostomus, de incomprehens. Dei natura hom. 5 n. 2; contra Iudaeos et gentiles n. 2; in Ps. 46 n. 6; in Ps. 49 n. 3; *M.* 48,738. 815; 55, 216. 246; Proclus, epistola 2 de fide ad Armenos n. 7; ep. 3 ad Ioannem episcopum Antiochiae n. 2 : « vel quomodo super terram visum et hominibus conversatum calumniatur purum aliquem, sicut unum ex coitu natis, sed non ipsum qui est sine principio et increabilis, ad quem non aestimabitur alter, secundum prophetam »; *M.* 65,864. 875; Cyrillus alexandrinus, glaphyra in Exodum lib. 2; *M.* 69,468 : « hic Deus... ipsum, opinor, Verbum demonstrat »; idem contra Iulianum lib. 8 et 10; *M.* 76,933. 1016; de Trinitate 7; *M.* 75,1156.

Atque *Theod.* in comment. haec habet : « dilucide nobis ostendit Incarnationem Unigeniti ipsumque universorum esse opificem et sapientiae fontem; illius enim ipse et factor est et dominus, et de ipso ait in Proverbiis : Dominus creavit me initium viarum ad opera sua ». Sensum autem verborum prophetae amplissimum assecutus est *Ol.* scribens ad ea : « etenim unum et idem mysterium ordine resplenduit legaliter, prophetice, evangelice » i. e. in lege, in prophetis, in evangelio una eademque sapientia, unus idemque Filius Dei praeclaro splendet mysterio.

Iam declarat vates, ubinam illa sapientia quam Deus dedit populo suo et quae in populo apparuit revera contineatur 4,1 « *hic liber mandatorum Dei et lex quae est in aeternum; omnes qui tenent eam pervenient ad vitam, qui autem dereliquerunt eam, in mortem* »; — αὕτη haec scil. sapientia, de qua in antecedenti, est liber vel continetur in libro mandatorum Dei et in lege; « id est : sapientia de qua superiore capite locutus sum, nihil aliud est quam liber mandatorum Dei, ut explicatur Deut. 4,6 : haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec dicant : en populus sapiens et intelligens, gens magna »; ita nexum bene adstruit et *hic* declarat *Mald.* eodemque modo *Lans. Malv. Sanct. Lap. Men. Tir. Calm. Loch, R. Troch.;* unde simul conceditur 3,38 primo et per se sermonem fieri de sapientia. Lex autem dicitur exstare in aeternum, nam verbum Domini manet in aeternum et prout in lege revelatio

sapientiae continetur, haec est et valet in perpetuum. Et quantum valeat et efficiat sapientia haec, statim subdit : qui tenent *eam*, αὐτὴν, ergo non supple νόμον legem, sed sapientiam, de qua a 3,12 seq. agitur. Utique illi tenent sapientiam vel ea potiuntur qui legem Dei fideliter servant; in ea autem vera offertur vita et beatitas, contemnentibus vero mors et interitus. Quare si populus e miseria emergere vult, hanc sedulo apprehendat sapientiam v. 2 « *convertere Iacob et apprehende eam, ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius* »! — i. e. redi Iacob ad sapientiam, eam denuo apprehende, αὐτῆς; incede per eam viam quam sapientia suo lumine et splendore demonstrat, *contra* i. e. e regione luminis eius, iuxta praecedens lumen eius (*Lans. Mald. Men. Tir. Lap.*), sicut ille qui praelucentem facem sequitur in eius lumen et splendorem semper intentus, ita ut nunquam aliorsum oculos dimoveat suos (*Sanct.*); mandatum enim lucerna est et lex lux Prov. 6,23 et lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis Ps. 118,105; « sectare splendorem radii; illustrabit enim te et deducet ad vitam » (*Theod.*). Ipsis vocibus splendoris et luminis sapientia duce et magistra subministrari summa bona clare enuntiatur, cum luminis metaphora designari soleat felicitas.

Dein aemulatione quoque excitata populum monet, ne a gloria sua excidat, ne se reddat indignum Dei favore neve permittat, ut Deus hanc suam dignitatem et electionem sibi subtrahat v. 3 « *ne tradas alteri gloriam tuam et dignitatem tuam genti alienae!* v. 4 *beati sumus, Israel, quia quae Deo placent manifesta sunt nobis* »! — gloria Israel et τὰ συμφέροντά σοι, utilitates tuae (vet. lat.) iis continentur quae 3,37-4,2 describuntur. Si autem insignem hunc Dei favorem neglexerint, addit illis eandem comminationem quam postea Christus Iudaeis indicavit : auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius (Matth. 21,43). Quod ut avertant, maximam eis commendat in v. 4 aestimationem revelationis divinae qua de voluntate Dei edocentur. Non fecit taliter omni nationi! quae est enim alia natio sic inclyta ut habeat iusta iudicia et universam legem (Deut. 4, 8)? beatus es tu, Israel, quis similis tui qui salvaris in Domino (Deut. 33,29)? beata gens cuius est Dominus Deus eius (Ps. 32,12).

c) Ierusalem alloquitur exsules 4, 5-29.

Igitur cum Deus tali modo agat cum populo, habent quo se solentur animosque erigant, etsi nunc affligantur v. 5 « *Animaequior esto populus Dei, memorabilis Israel;* v. 6 *venumdati estis gentibus non in perditionem, sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum,*

traditi estis adversariis; v. 7 *exacerbastis enim eum qui fecit vos, Deum aeternum, immolantes daemoniis et non Deo;* v. 8 *obliti enim estis Deum qui nutrivit vos et contristastis nutricem vestram Ierusalem* »! — θαρσεῖτε, bono animo estote, ne animo cadatis! μνημόσυνον memoriale, monimentum varie accipiunt : vel in quo servatur memoria Israel, ut ita appelletur populus ad reliquias paucas redactus (*Mald. Lans. Lap. Malv. Men. Tir. Calm. R. Troch.*), vel insignis populus dignusque memoria (*Sa*), vel cuius Deus nunquam obliviscitur (*Sanct. Loch*), de quo continuo memor est (*Ol.*), vel omnes quicumque nomine Israel vocamini (*Kn.*); hebr. certe positum erat זֵכֶר, uti Ex. 3,15 eadem vox hebr. μνημόσυνον redditur, et ita saepius; unde notat *Kn.* vocem poni in membro parallelo saepius pro nomine indeque notionem derivari. Ad v. 6-8 vide Deut. 32,15-18. Non ut vos memoriamque vestram aboleret, sed ut vos castigatione emendaret, tradidit gentibus; cf. Ier. 4,27; 5,10 (*Mald. Lans. Lap.*). Gravitas culpae ostenditur maiestate Dei aeterni commemorata et beneficio creationis et curae paternae a Deo ipsis impensae in medium prolato. Eum obliti sunt qui semper curam ipsorum gessit; et pro Deo idola vana et abominationes sibi elegerunt quibus sedulo servirent. Apud LXX δαιμόνια ponuntur pro hebr. אֱלִילִים Ps. 95,5, שֵׁדִים Deut. 32,17. Ps. 105,35; ceterum docet S. Paulus: quae immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo; quare versio illa LXX cui versio graeca h. l. consentit, rei veritatem expressit et quinam sint שֵׁדִים vel violenti domini, vastatores, praeclare edocemur.

Personificatio autem Ierusalem tamquam matris populi iam quasi praeparatur in noto hebraismo quo haud raro incolae urbis tamquam *filia* urbis appellantur; similiter luget Ierusalem Is. 3,26 : desolata in terra sedebit et 49,14; 51,17 seq. 52,1 et Ier. 4,31. Lament. 1,1. 7. 17 etc. Hoc autem loco praeprimis spectatur ut civitas sancta, ex qua utpote ex centro theocratiae per prophetas doctrina et institutio salutaris in populum emanabat, qua contempta ipsam theocratiam contempserunt. Illis doctrinis et oraculis praesertim messianis quae omnia ad Ierusalem fere referebantur populus ad fidem Dei et spem bonam erudiebatur; unde iis neglectis ipsam nutricem vel matrem Ierusalem neglexisse et contristasse dicuntur; v. 9 « *vidit enim iracundiam Dei venientem vobis et dixit : audite confines Sion; adduxit enim mihi Deus luctum magnum;* v. 10 *vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum et filiarum, quam superduxit illis Aeternus;* v. 11 *nutrivi enim illos cum iucunditate; dimisi autem illos cum fletu et luctu* »; — *confines,* πάροικοι (vet. lat. civitates Sion), accolae Sion,

vel urbes finitimae et vicinae (*Mald. Sa, Lap. Lans. Men.*), quibus doloris magnitudinem exponit, uti Ier. 22,20 omnibus gentibus vicinis suam iubetur annuntiare desolationem; simili modo Lament. 1,12. Quo maior Dei benedictio in vetere lege cernebatur in laeta filiorum filiarumque turba, eo gravior dolor concipitur matris quae illos abripi cernit; « auget autem plurimum dolorem instantis mali recordatio bonorum praeteritorum; propterea memoriam facit iucunditatis qua eos enutriverat » (*Mald.*).

Lugens autem precatur ne quis dolori addat dolorem malevolentia et irrisione v. 12 « *nemo gaudeat super me viduam et desolatam! a multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum quia declinaverunt a lege Dei;* v. 13 *iustitias autem ipsius nescierunt nec ambulaverunt per vias mandatorum Dei neque per semitas veritatis eius cum iustitia ingressi sunt* »; — vidua Lament. 1,1. Cum tempore exsilii pii Israelitae magno quodam amore et desiderio Ierusalem tenerentur, cuius rei testis est psalmus 136, facile apparet quantopere hoc dicendi genere et querelis illis vates animos eorum commovisse censeri possit. Veros poenitentiae sensus omnibus subsidiis sermonis excitare studet; unde peccata membro quadruplici iis in memoriam revocantur; de dictione vide Iob 34,27 LXX; semitas παιδείας i. e. disciplinae, sapientiae, quas scil. sapientia docet et praecipit, non sunt ingressi eo quo debuerunt modo, ut scil. iustitia, fructus sapientiae (Sap. 8,7), exsisteret; graece: in iustitia *eius* scil. Dei, quae Deo sit accepta et grata et quam ipse hominibus inesse velit. « Ecclesia dum maxime affligitur monet haereticos aut infirmos in fide ne propterea sibi insultent » (*Mald.*).

Uti est dolentis ac lamentantis, Sion mater vicinis (v. 9) pluribus verbis suam exponit afflictionem et ab iis quoque petit ut secum miseriam filiorum lamententur v. 14 « *veniant confines Sion et memorentur captivitatem filiorum et filiarum mearum quam superduxit illis Aeternus* »; — vide v. 9. 10; αἰώνιος vix aliud Dei nomen refert quam Iahve; cf. Deut. 28,49 adducet Iahve super te; vox de Deo dicitur Iob 33,12 LXX; v. 15 « *adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam et alterius linguae,* v. 16 *qui non sunt reveriti senem neque puerorum miserti sunt et abduxerunt dilectos viduae et a filiis unicam desolaverunt* »; — verba fere deprompta sunt ex Deut. 28,49. 50 et Ier. 5,15; ἀναιδές gentem impudentem, quae scil. nullo pudore retineatur, verum in omnia flagitia, crudelitates, violentias se effundat, quae nulli parcat aetati et quam ne precibus quidem adire possint, cum sit ἔθνος ἀλλόγλωσσον, id quod in miseriis ponitur Ps. 80,6: linguam quam non noverat audivit (*Mald.*). Neque

habita est ulla ratio matrum viduarum, quae orbabantur filiis et filiabus (graece). Tales igitur se praestiterunt victores; unde concludendum proponitur, qualem isti captivitatem imposuerint. Ceterum cf. Is. 28,11. Mater Sion relicta est filiis orbata, solitaria, desolata (*Mald. Lap. Tir.*), quae sicut per se suaque ope auxilium ferre nequit, ita in Dei promissione habet firmissimum spei ac fiduciae adminiculum v. 17 « *ego autem quid possum adiuvare vos?* v. 18 *qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum* »; — i. e. non ego, *verum* Deus opem feret; hebr. כִּי post particulam negationis notionem induere *sed* notum est; cf. Gen. 24,4; 19,2. 3 Reg. 21,15. Ratio scil. petitur ex ipsa oppositione : is qui opem ferre et potest et vult Deus solus est; ideo ego sum impotens, vel ego nihil efficere possum, quia mala tanta sunt, ut solum qui ea adduxit iis remedium afferre possit.

Ut autem ope divina se reddant dignos, opus est castigationem accipere animis submissis, uti iam docuit Michaeas 7,9 et Ieremias 3, 22-25; 31,18. 19; cuius submissionis exemplum mater Sion iis proponit v. 19 « *ambulate filii, ambulate! ego enim derelicta sum sola;* v. 20 *exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis et clamabo ad Altissimum in diebus meis* »; — stola pacis vestis est qualis tempore pacis, felicitatis, laetitiae gestatur; nam pax ex Hebraeorum idiomate prosperitatem, iucunditatem et omne animorum oblectamentum importat (*Sanct.*); in signum luctus induitur vestis lugubris, ex panno rudi confecta, qualis est habitus poenitentium et veniam suppliciter exorantium; unde *saccus obsecrationis;* homines enim ut divinam misericordiam sibi concilient, habitum squalidum assumunt, uti 2 Reg. 12,16-20 David, uti Iudith 9,1 Esther 14,2 (*Sanct.*) Ion. 3,6 etc.; δέησις ponitur in Ps. 21,25 pro hebr. עֱנוּת *miseria, afflictio;* unde fortasse nostro quoque loco in hebr. ea vox legebatur; saltem aliis in locis nihil legimus de sacco obsecrationis, sed de vestimento luctus (2 Sam. 14,2), de veste fletibus et luctui apta στενοχωρίας καὶ πένθους Esth. 14,2 et vide infra 5,1. Cum signis et indiciis luctus docet orationem esse coniungendam; atque revera lugentibus in Sion salus promittitur; vide Is. 61,3. Soph. 3,18 hebr.; graece πρὸς τὸν αἰώνιον.

Ut matris exemplum imitentur eandemque cum ea spem concipiant admonentur v. 21 « *animaequiores estote, filii, clamate ad Dominum et eripiet vos de manu principum inimicorum;* v. 22 *ego enim speravi in aeternum salutem vestram, et venit mihi gaudium a Sancto super misericordia quae veniet vobis ab Aeterno salutari nostro;* v. 23

emisi enim vos cum luctu et ploratu, reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio et iucunditate in sempiternum »; — ad v. 21 vide 4,5; vos eripiet ἐκ δυναστείας, ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν, ex dominatione, ex manu inimicorum; etiam uberius *Syrus :* ex manibus robustorum et ex manibus dominantium et ex manibus inimicorum; v. 22 ego enim speravi ἐπὶ τῷ αἰωνίῳ i. e. ego spero in Domino et ab eo spero salutem vestram (cf. *Sanct. Mald. Lans. Lap.*) et ex hac spe profitetur se gaudio refici παρὰ τοῦ ἁγίου, a Deo qui per emphasin *sanctus* appellatur Iob 6,10. Is. 40,25. Hab. 3,3 et frequenter Sanctus Israel apud Isaiam. Gaudium autem hoc enascitur e misericordia et gratia quam Dominus salvator largietur vel Aeternus ille salvator et quidem ἐν τάχει; cf. Is. 14,1 prope est ut veniat tempus eius; 54,7 ad punctum in modico dereliqui te; exsilii enim tempus breve est comparatione instituta cum instauratione perpetuo quae consistere debet, uti in v. 23 indicatur. Uti nunc Ierusalem ruinam cernit cum luctu et lacrimis, ita in instauratione abundabit et exsultabit gaudio et laetitia, de qua vide Is. 54,1; 60,1 seq. 61,10. Manifesto spectat vates instaurationem theocratiae ut talem quae scil. in regno messiano absolvitur, uti prophetae a reditu ex exsilio statim ad tempus illud transire solent, cum reditus non sit nisi praeparatio quaedam ad perfectam regni Dei institutionem; cf. Ier. 30,9. 21; 31,22. 31. Graece v. 22 ἐπὶ τῇ ἐλεημοσύνῃ, quae vox apud LXX ponitur pro hebr. אֱמֶת Is. 38,18; frequentius pro חֶסֶד Gen. 47,29. Prov. 3,3; 19,22; 20,28; 21,21; etiam frequentius pro צְדָקָה Deut. 6,25; 24,13. Ps. 23,5; 32,5; 102,6. Is. 1,27; 28, 17 etc.

Quam spem ulterius describit v. 24 « *sicut enim viderunt vicinae Sion captivitatem vestram a Deo, sic videbunt et in celeritate salutem vestram a Deo quae superveniet vobis cum honore magno et splendore aeterno* »; — vel verte ex graeco : salutem quae a Deo vestro vobis obtinget; de vicinis Sion αἱ πάροικοι vide v. 9; opprobrium et ignominia vertetur in gloriam magnam et splendorem perpetuum, quo scil. theocratia coram Deo insignis erit; vide Is. 35,10; 49,23; 52,1; 60,13. Ier. 30,19; 31,13. Uti populus factus est in maledictionem et urbs in sibilum, ita restitutio erit in benedictionem et in gaudium omnibus gentibus; quare redemptio quoque omnibus est annuntianda quippe quae inauguratio est salutis universalis; vide Is. 40,5. Ier. 31,10. Hac ergo spe roborati tempus castigationis subeant humili animo v. 25 « *filii patienter sustinete iram quae supervenit vobis; persecutus est enim te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius et super cervices ipsius ascendes;* v. 26 *delicati mei ambulave-*

runt vias asperas, ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis »; — *cito* vide ad v. 22 graece; ruina hostium iam plurimis oraculis est praedicta; vide Is. 13,1-14,27; 22,1-10; 45,1; 46,1; 47,1. Ier. 25,12; 50,1 seq.; in signum deiectionis dicitur : ascendes super cervicem, colla hostium pedibus calcabis; vide Deut. 33,29. Is. 51,23; 60,14; ita fiebat devictis Ios. 10,24. Hac comparatione promittitur plena de inimicis victoria, qui igitur regni Dei restitutionem non modo non impedire poterunt, verum etiam se ipsos Domini imperio et servituti subiicient. Talis autem victoria insignis eo magis exsistere debebit, quia miseria et ignominia populo Dei inflicta adeo erat magna et in ipsius Dei opprobrium cessit. Ita in v. 26 consulto effertur crudelitas et rei indignitas; illa depingitur in teneris filiis qui per asperitates viarum incedere coguntur, haec in populo qui per modum vilium pecorum abigitur et male vexatur. Ad *delicatos* i. e. teneros vide Ier. 6,2; apte advertit *Sanct.* : « magnum habet momentum ad πάθος magna rerum fortunaeque mutatio »; et vide Deut. 28,56.

Attamen ne despondeant animos v. 27 « *animaequiores estote filii et proclamate ad Dominum; erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos;* v. 28 *sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum;* v. 29 *qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam iucunditatem cum salute vestra* »; — v. 27 θαρσήσατε bono estote animo, alacri, forti; confidite! βοήσατε instanter et vehementer clamate ad Dominum! nam est apud eum qui vos abduxit vestri memoria continua. Iam enim est magno solatio quod non hostis vos in captivitatem abegit, sed Dominus; a Domino immitti calamitatem, non hostium potentia vel arbitrio, prophetae sedulo monent; verum ab illo qui nomen Dei Abraham, Isaac, Iacob in aeternum tamquam memoriale se gesturum professus est sollemniter Ex. 3,15. Quare iis prostat firmissimum pignus salutis. Id unum eis incumbit, ut quemadmodum antea animos habuerint intentos ad declinandum a Deo, ita iam studio atque conatu decuplo maiore Deum quaerant eique adhaereant; δεκαπλασιάσατε ζητῆσαι studium Deum quaerendi exhibete decuplum i. e. multipliciter (vet. lat.) quaerite eum! Illud *enim* in v. 28 explica ex hebr. כי quod saepius *profecto*, *immo* significat : vere, sicut olim recessistis a Deo, ita nunc modo multo ferventiore ad eum revertimini! alii aliter iungunt : non enim debent vos praeterita peccata in desperationem inducere, sed potius incitare, ut maiore studio poenitentiam agatis (*Mald. Lap.*). Atque ut ad Deum acriore conatu quaerendum incitentur, ratio affertur in v. 29 efficacissima : gaudium sempiternum vobis

Deus afferet simul cum vestra salute; vide Is. 35,10; 50,11. 12; 65,18. Ier. 31,12 seq.; 32,41. 42; 33,9. 11. En, quam praeclare doceat Baruch exsules qua via eniti debeant ut Deum sibi reddant propitium et quibus documentis animos moerore oppressos erigant et firmissima recreent consolatione.

d) **De instauratione praeclara 4, 30-5, 9.**

Quae mater Sion ad suam filiorumque consolationem dixerat, vates nomine Dei confirmat ipsam quoque matrem dolentem consolans et ad laetitiam erigens v. 30 « *Animaequior esto, Ierusalem, exhortatur enim te qui te nominavit* »! — θάρσει vide v. 5. 21; exhortatur, παρακαλέσει consolatur te, eriget et confortabit te qui te suam civitatem nominavit, te elegit, ut ibi poneret nomen suum; est enim civitas sancta, civitas Sancti Israel, civitas Iahve (Is. 48,2; 52,1; 60,14; *Mald. Lap Lans. Malv. Troch.*); unde in ipso nomine habet pignus certissimum; Deus enim gloriam suam alteri non dabit; sed propter se faciet ut non blasphemetur (Is. 48,11); vide quoque Ier. 3,17 et 33,16 hebr. Atque prior consolationis pars ea est quae constanter apud prophetas effertur : inimicorum Dei clades et prostratio; iis enim deiectis regnum Dei stabili ratione fundabitur (cf. Is. 49,26; 66,15. Ier. 25,27 seq. Hab. 3,6 seq. Soph. 2,2 etc.); v. 31 « *nocentes peribunt qui te vexaverunt et qui gratulati sunt in tua ruina punientur;* v. 32 *civitates quibus servierunt filii tui punientur et quae accepit filios tuos;* v. 33 *sicut enim gavisa est in tua ruina et laetata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione* v. 34 *et amputabitur exsultatio multitudinis eius et gaudimonium eius erit in luctum;* v. 35 *ignis enim superveniet ei ab Aeterno in longiturnis diebus et habitabitur a daemoniis in multitudine temporis* »; — et prius quidem norma enuntiatur universalis; similiter Isaias 2,12 seq. omne superbum deiectum iri praedicit, ut Deus solus exaltetur; graece : miseri (erunt), qui te vexarunt, vel vae eis (cf. Os. 7,13); praesertim Edomitae nominantur qui de ruina urbis exsultaverint; vide ad Lament. 4,21; pariter vae dicitur civitatibus quae iugum servitutis imposuerint populo Dei : numquid servus est Israel aut vernaculus? omnes enim qui devorant eum delinquent, mala venient super eos, dicit Dominus (Ier. 2,3. 14); cf. Is. 33,1; 34,2. Deinde ad Babylonem sermo transfertur : misera erit quae cepit filios tuos. Oracula in Babel iam exsistunt Is. 13,1 seq. 21,1-9 et praesertim Ier. 25,12. 26; cap. 50. 51. Post annos septuaginta Deum visitaturum esse dixerat iniquitatem Babylonis. Sunt qui hos versus non posse conciliari censeant cum 1,

11. 12, ubi orare iubentur pro rege Babylonis. Verum si quis attendat ex una parte tempus exsilii, donec compleantur illi 70 anni, ex altera parte oracula illa, quid est facilius quam quo tendat uterque locus perspicere? Nonne Ieremias ipse et ruinam Babylonis annuntiat et epistola missa exsules iubet orare pro Babylone « quia in pace illius erit pax vobis » (29,7)?

Ad v. 33 vide Ier. 50,11. 13. 23; ad v. 34 Ier. 50,35-39. Is. 13,14. Dominus ignem immittet in Babylonem, uti Ier. 51,58. Hab. 2,13 dicitur, et igne destruetur εἰς ἡμέρας μακράς i. e. diu durabit eius ruina. Ad describendam vastitatem et horrorem desolationis additur daemonia ibi fore ut habitent; Is. 13,21 LXX reddunt eodem modo vocem hebr. שְׂעִירִים in loco quo ruina Babylonis et vastatio describitur; *vulg.* ibi habet : et pilosi saltabunt ibi; similiter Ier. 50,39 : propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis et habitabunt in ea struthiones. Ceterum Is. 34,14 צִיִּים etiam δαιμόνια redduntur apud LXX; item Is. 65,11 גָּד. Alii vocem accipiunt de satyris et faunis (*Sanct. Mald. Lap.*); *Calm.* notat : « ad Isaiae et Ieremiae vaticinia alludit Babylonem post illius excidium ita describentium veluti urbs sit penitus destituta, daemoniorum funebriumque ac perniciosarum belluarum sedes, sive revera larvis ac lemuribus infestata fuerit, sive ita esse putaverint Iudaei uti apud nos vulgus solet ».

At post punitionem Babylonis erit instauratio; undique Israelitae dispersi redibunt; quare mater Sion iubetur levare oculos et turmas filiorum ad se venientium laeta consalutare v. 36 « *circumspice Ierusalem ad orientem et vide iucunditatem a Deo tibi venientem;* v. 37 *ecce enim venient filii tui quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab oriente usque ad occidentem in verbo Sancti gaudentes in honorem Dei* »; — cf. Is. 11,11; 43,5; 49,18; 60,4; haec exsultatio matri parata est a Domino : veniunt ab omni terrae plaga *in verbo Sancti,* secundum verbum ac promissum Dei et vi huius verbi, quia Deus utpote sanctus sanctum sibi constituere vult populum; veniunt gaudentes τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ, exsultantes de tanta Dei gloria quae in reditu coram omnibus manifestatur; eo enim eventu Deus sanctificabit nomen suum magnum, ut sciant gentes eum esse Iahve (Ez. 36,23); igitur implebunt illud : exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui, Sanctus Israel (Is. 12,6). Etiam in hac descriptione indoles spiritualis instaurationis optime depingitur.

Huius instaurationis quanta futura sit excellentia vates pluribus prosequitur : Ierusalem veste lugubri deposita iam gloria, honore, iustitiae ornamento decorabitur 5,1 « *exue te Ierusalem stola luctus et*

vexationis tuae, et indue te decore et honore eius quae a Deo tibi est sempiternae gloriae; v. 2 *circumdabit te Deus diploide iustitiae et imponet mitram capiti honoris Aeterni* »; — similiter Isaias urbem consolatus est : induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriae tuae (52,1) et 61,3. 10. Hic ornatus et haec gloria urbi a Deo datur εἰς τὸν αἰῶνα. Quare urbs tamquam centrum theocratiae consideratur et qua ipsum Dei regnum in aeternum stabile, sanctum, gloriosum repraesentetur. Quare pergitur v. 2 περιβαλοῦ indue vestem iustitiae eius quae a Deo est (graece) i. e. verae sanctitatis quam Deus hominibus inesse vult et quam ipse solus largitur et efficit; proinde eum indue ornatum qui novam theocratiam decet; cum hoc iustitiae indumento coniungitur mitra gloriae : impone (vet. lat., uti *circumda* quoque) capiti tuo mitram gloriae τοῦ αἰωνίου i. e. illius gloriae quae datur ab aeterno Domino, quae proinde est vera et in sempiternum suum conservat splendorem; mitram explica eodem modo sicuti coronam Is. 61,3. 11; pertinet mitra ad ornatum muliebrem : imposuit mitram super caput suum, Iudith 10,3; 16,10 : colligavit cincinnos suos mitra.

Atque merito quidem tantus ei proponitur ornatus, vult quippe Deus gloriam regni sui omnibus reddere manifestam et conspicuam v. 3 « *Deus enim ostendet splendorem suum in te omni qui sub coelo est;* v. 4 *nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum : pax iustitiae et honor pietatis* »; — τὴν σὴν λαμπρότητα, splendorem *tuum* (vet. lat.) Deus terrae universae quae est sub coelo ostendet, vel ostendet sub coelo universae creaturae (vet. lat.); ἡ ὑπὸ τὸν οὐρανόν vocatur *terra* Ex. 17,14. Deut. 25,19. Iob 2,2; 41,2. Luc. 17,24. « Deus efficiet ut toto orbe terrarum clarissima sis; idem aliis verbis praedicit Isaias : surge, illuminare Ierusalem quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est... gloria eius in te videbitur et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui » (60,1. *Mald. Lap. Lans. Calm.*). Ad novae theocratiae conditionem designandam nomen ei assignatur a Deo in perpetuum i. e. in perpetuum ibi exsistet pax iustitiae et δόξα θεοσεβείας gloria Dei culturae (vet. lat.). Erit itaque civitas in qua abundabit pax nata ex iustitia et gloria ex pietate proveniens; solet Scriptura nominum mutatione mutationem status significare (Gen. 15,7; 32,28. Is. 62,2. Ez. 48,35. *Mald.;* similiter *Sanct. Lap. Tir. Troch.*); praeterea vide Is. 1,26; 62,4. Ier. 33, 16; « reductis e captivitate Iudaeis huius oraculi fides impleri coepit; absoluta denique in christiana Ecclesia, felicissima praesertim ea aetate qua hostium odia minui coepere » (*Calm.*) et bene advertit

Ol. : « hae sunt novae Ierusalem notae (τὰ γνωρίσματα); hostium impetus iam non potest divellere pacem quae ex iustitia est nec evertere pietatis honorem ». Ex amplitudine promissionis et ex splendore in toto orbe terrarum relucente apparet periodum spectari messianam, proinde instaurationem theocratiae describi in se et absolutam eamque vera sanctitate insignem.

Cum itaque Deus theocratiam ad talem apicem sit adducturus, habet Ierusalem cur gaudeat et cur reditum populi tamquam tot bonorum divinorum initium quoddam et augurium tota animi exsultatione exoptet et salutet v. 5 « *exsurge Ierusalem et sta in excelso et circumspice ad orientem et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti gaudentes Dei memoria;* v. 6 *exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis; adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios regni* »; — cum lugentes sedeant in terra, *exsurge* adhortationem exprimit ad laetitiam (Is. 51,9. 17; 52,1. 2); cur exsultandum sit explicatur : altam conscende speculam ex qua videre possis filios undique confluentes ad te; vide 4,36. 37; veniunt τῷ ῥήματι τοῦ ἁγίου iuxta promissum et ordinationem Dei *sancti* qui regnum scil. sanctitatis condere vult; veniunt gaudentes quod Deus ipsorum memor ad sedes paternas reditum paraverit; gaudent quia Deus denuo cura paterna eorum recordatur; recordatio autem Dei dicit largitionem beneficii eximii. Hanc Dei recordationem describit propheta in v. 6; vide 4,26; redibunt enim cum gloria et honore, sicut qui ad regiam familiam pertinent, principes. Vide ad Is. 49,22. 23 et 66,20. In graeco legitur ὡς θρόνον βασιλείας : portabuntur sicut thronus regni; quae lectio etiam reperitur apud Irenaeum (adv. haer. 5,35) et apud *Syrum :* adducet eos Deus elatos super thronum regni. Quae metaphora satis est inusitata; iam in vet. lat. vulg. apud *Ol.* et in compluribus codicibus graecis (XII et 10 minusc.) legitur *filios regni.* Sed prior lectio potest ex hebr. explicari ita ut verti debeat ; in honore sicut *in* throno regni; potest enim post כְּ particulam comparationis praepositio antecedens omitti et suppleri ex contextu; vide 1 Sam. 15,22. Is. 1,25; 9,3. Prov. 27,19. Iob 28,5; 30,14 (cf. *Ewald,* Lehrb. § 221 a. 282 e). In qua acceptione sensus proxime accedit ad Is. 66,20. Unde censendum erit cum *Kn.* Baruch scripsisse בְּכָבוֹד כְּכִסֵּא id quod interpres graecus ad litteram verterit, at non rite intellexerit; debet enim verti : in gloria sicut *in* throno.

Et quomodo cum gloria sint reducendi, ex oraculis Isaiae describitur v. 7 « *constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum*

et rupes perennes et convalles replere in aequalitatem terrae, ut ambulet Israel diligenter in honorem Dei; v. 8 *obumbraverunt autem et silvae et omne lignum suavitatis Israel ex mandato Dei;* v. 9 *adducet enim Deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suae cum misericordia et iustitia quae est ex ipso* »; — prius itaque omnia viae impedimenta removebuntur, montes scil. et colles et valles vel abyssi et fiet via plana et aequalis; dein ne aestu laborent itinerantes, silvae et arbores odoriferae omnes gratam proficiscentibus praebebunt umbram; haec autem fieri omnino decet quia ipse Dominus agmen ducit in lumine gloriae ac maiestatis suae et gratiam et salutem praestat. Ceterum vide ad v. 8 Is. 40,3. 4; θῖνας verte non rupes (vet. lat. neque cum *Syro* fonticulos vel rivulos), sed cumulos vel acervos, colles; dicuntur ἀεννάους, uti Gen. 49,26. Deut. 33,15. Hab. 3,6; explica ex hebr. עוֹלָם : montes et colles antiquissimi, qui ex tempore immemorabili stant immoti, quos igitur deprimere et removere beneficium est admiratione et potentia plenum. Ita Israel ambulabit ἀσφαλῶς secure, tute τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ per Dei maiestatem qua scil. ducuntur et proteguntur, sicuti in exitu ex Aegypto Deus eos praecedebat in columna nubis et ignis. Ab aestu defenduntur umbra silvarum, quae simul viriditate et amoenitate (*Alb.*) iter iucundius reddunt; arbores autem odoriferae vel suave olentes eos recreant et viam reddunt suavi odoratu gratam (*Sanct. Tir.*). Igitur et columnam nubis (Ex. 13,21) et manna quod olim praestitit se redeuntibus alia ratione sed ad similia commoda subministraturum ac suppleturum insinuat. Ceterum vide Is. 41,19; 55,12. 13. Apte monet *Lap.* hisce omnibus id solum significare reditum fore laetissimum; erit scil. Dei protectione gratus et iucundus, ab incursu hostili tutus, variis commodis instructus, uti postmodum revera accidit ipso rege gentili subsidia ministrante (Esdr. 1,7). Amplissima hisce continetur Dei promissio qua se promptum declarat ad quaevis beneficia redeuntibus largienda. Ipse enim, uti Michaeas reditum iam descripsit 2,12. 13, ante eos praecedet, agmen ducet, ἡγήσεται praeibit (vet. lat.), uti Is. 52,12 dicitur, in lumine maiestatis, sicut olim in columna ignis (*Sanct. Mald. Lans. Malv. Men. Troch.*); unde ista reductione insignem misericordiam Israeli praebet et simul populo suo eum statum redintegrat qui eum pro dignitate populi theocratici decet, statum quem ipse adesse vult et qui normae divinae sanctitatis consentaneus est; quare eum reducere dicitur cum iustitia quae est ex ipso. Ex hisce omnibus demum fit, ut Israel redeat μετ' εὐφροσύνης cum iubilatione et laetitia; vide 4, 23. 29. Is. 35,10. 51,11. Ier. 31,7. 13. « Deo duce omnia levia et fa-

cilia » (*Theod.*). Reditum ex Babylone, uti est initium instaurationis, ita in se exprimere typum libertatis sub Christo (*Gord.*) facile perspexeris. Facile quoque fluit quod *Tir.* monet, omnes eas felicitates redeuntium e Babylone in Iudaeam moraliter convenire animae e servitute peccati revertenti ad sinum gratiae divinae, convenire gentili e tenebris infidelitatis ad lumen fidei adducto, animae quoque e mortali corpore ad coeleste palatium demigranti.

Epistola Ieremiae.

ARG. — Eos qui in Babyloniam abducentur edocet vates quam inania et contemptibilia sint idola, ne ea timeant neve honorent, sed Deo adhaereant. Idola autem nihil esse modo ad captum populi apto exsequitur ostendens idola nihil posse, ornamenta eis subtrahi vel dari pro sacerdotum arbitrio; neque se posse defendere ab aerugine, tinea, pulvere neque a latronibus (6,1-15). Idola nihil valere et efficere inde quoque elucet, quia oculi eorum pulvere pleni sunt, quia indigent sacerdotibus tamquam custodibus, quia sunt sine ullo sensu trabis instar, quia ab animalibus roduntur, quia sordescunt neque se movere, neque surgere possunt si ceciderint (6,16-26). Quam vana sint patet quoque ex modo quo ab ipsis suis cultoribus coluntur; nam a sacerdotibus et mulieribus impuris sacrificia eorum et ratio cultus maximo contemptu tractantur; idola ipsa nihil dare, neque iniurias sibi illatas vindicare possunt neque quemquam iuvare; coluntur autem spurcitiis (6,27-44). Conficiuntur idola et totum quod sunt debent artificibus, qui ipsi sunt viles et arte sua sibi et posteris parant fraudem et opprobrium. Idola quippe ab imminenti periculo non se liberare possunt, sed ope sacerdotum absconduntur; neque aliquid emolumenti hominibus praestare possunt neque sibi ipsis; nam si ab incendio non per sacerdotes salvantur, comburentur; item latrones ea impune spoliant; quare omni alia supellectile illa esse viliora constat (6,45-58). Astra, fulgura, nubes, ignis multis nominibus praestantiora sunt quam idola, quae nihil plane edere vel efficere queunt; bestiae quoque diis meliores sunt; idola tam parum timenda sunt quam avium formido in horto, quam ramus cui aves insident; similia sunt cadaveribus; putrescunt et corrumpuntur. Unde qui abesse voluerit ab opprobrio, caveat a simulacris (6,59-72).

Epistola haec ratiociniis suis e rebus obviis petitis valde apta est quae plebi rudi ad oculum demonstret quam ridiculum sit deos colere e vili materia factos. Quare eam conclusionem : non sunt ergo dii; ne timeatis eos, frequenter repetit et inculcat v. 14. 15. 22. 28. 39. 46.

49. 51. 55. 63. 64. 68. 71, eo scil. modo quo qui verba facit ad vulgus post unumquodque fere argumentum explicite efferre solet quo tendat vis orationis et quid mentibus omnium alte velit inhaerere. Ex hac ratione populari quoque effectum esse videtur, ut argumenta sine certo ordine ac nexu proponantur, immo eadem aliquoties repetantur. — Epistolam in quattuor partes *Alb.* dividit : in prima ex materia idolorum ostendi infirmitatem; in altera ex turpitudine cultus; in tertia ex inutilitate culturae; in quarta per hoc quod ab omni virtute deficiant. Fontes ac sedes argumentorum ad quattuor capita revocari *Sanct.* censet : « primum quia a se nihil habent amplius quam ligna quae caeduntur e silvis, aut saxa quae effodiuntur e montibus; nam reliqua acceperunt vel ab hominum insana liberalitate vel ab accurata artificum industria; tum quia nihil opis afferre possunt hominibus, cum neque se ipsos possint aut a latronum manibus aut ab incendio aut ab alio quovis infortunio liberare; deinde quia sacrificiis coluntur obscoenis et meretriciis donariis exornantur; unde ad extremum concludit solem et lunam, immo et bestias esse longe illis praeferenda, cum et ipsa aliquid habeant speciosum et utile, a diis autem illis nihil sperari possit a natura pulchrum neque humanis usibus opportunum. Haec summa est brevisque complexio eorum quae in hac epistola late digesta sunt ».

a) **Idola esse plane impotentia 6, 1-15.**

« *Exemplar epistolae quam misit Ieremias ad abducendos captivos in Babyloniam a rege Babyloniorum, ut annuntiaret illis secundum quod praeceptum est illi a Deo* »; — ἀντίγραφον, exemplar accurate ac fideliter descriptum; epistola iis destinabatur qui proxime abducendi erant a rege Babylonis in Babyloniam. Pro iis specialem curam habere eosque contra pericula praemunire vates a Deo iussus erat. Admirari licet Dei de populo suo sollicitudinem quam non imminuit quamvis eum pro infidelitate et foedere violato in exsilium eiicere debeat.

In brevi prooemio v. 1. 2 ratio exsilii eiusque duratio proponitur v. 1 « *Propter peccata quae peccastis ante Deum abducemini in Babyloniam captivi a Nabuchodonosor rege Babyloniorum*; v. 2 *ingressi itaque in Babylonem eritis ibi annis plurimis et temporibus longis usque ad generationes septem; post hoc autem educam vos inde cum pace* »; — totus liber Ieremiae testimonio est propter peccata eos esse eiectos e terra foederis. Et quia diuturnum futurum erat exsilium, illos mature ad eius incommoda ferenda communit (*Sanct.*). De tempore

dominationis Chaldaeorum iam dixit 25,11 : et servient omnes gentes istae regi Babylonis 70 annis; quare ἕως γενεῶν ἑπτά idem spatium temporis designare debet. Hebr. enim דוֹר certum ac definitum annorum numerum non significat, sed magis accedit ad notionem *periodi,* quae quanta sit ex aliis quae aliunde noscuntur determinari debet. Ita Gen. 15,16 quid sit *generatione quarta* revertentur huc, explicatum habes in v. 13 : subiicient eos servituti et affligent quadringentis annis; et similiter Iob 42,16 : vixit centum quadraginta annis et vidit filios suos etc.; unde haud improbabiliter inferes etiam hoc loco generationes septem definiri ac circumscribi ex iis quae iam nota sint de exsilii duratione. Perperam censet *Fr.* auctorem epistolae longiorem exsilii durationem voluisse indicare; at certissime non scripsisset falsarius qui sub persona Ieremiae hanc emisisset epistolam id quod contrarium esset oraculo Ieremiae. De qua re vide *Cornely,* Introd. II 2 p. 413.

Variae initae sunt viae ad enodandam difficultatem quae in *septem* generationibus latet. Omitto quae *Sanct. Malv. Lap.* afferunt ut probent γενεάν significasse quandoque apud veteres spatium septem annorum vel etiam decem. Vocis notionem esse indeterminatam et de qualibet periodo usurpari posse alii censent (*Mald. R. Kaulen,* Einleitung, *Cornely* l. c.). Mentione digna videtur sententia *Lans.* qua id explicatur ad quod generatim animum non advertunt, cur scil. dicatur *usque ad;* « in Scriptura quidem generatio, quando numerus certus apponitur, communiter sumitur pro genitis seu posteris, sicut tertia, quarta, quinta significat tertium, quartum, quintum a primo auctore istius familiae de qua agitur; quare hic censeo prophetam praedicere captivitatem solvendam cum septimus successive seu trinepos genitus fuerit. Sic explico : prima generatio refert filios eorum quibus haec praedicebat, secunda horum filios, tertia nepotes, quarta abnepotes, quinta atnepotes, sexta disnepotes, septima trinepotes, quandoquidem hac ratione generationes septem enumerentur et quidem distincte et secundum phrasin Scripturae nec ullum incommodum oriatur si dicatur spatio 70 annorum septem generationes successive prodiisse. Quid enim vetat asserere primo anno captivitatis genitos fuisse nepotes seu inchoari tertiam generationem? anno decimo octavo abnepotes seu quartam generationem, anno 36. atnepotes seu quintam generationem, anno 50. disnepotes seu sextam generationem, denique anno 70. trinepotes septimam generationem? In hanc sententiam etsi novam valde propendeo, quia in aliis variae occurrunt difficultates, hic nulla mihi occurrit ». *Welte* (Einleitung) librarii vel interpretis errorem admittendum esse censet qui scil. pro ג (3) legerit vel scripserit ז (7); *Houbigantius* graecum librarium erroris accusat quippe qui γενεῶν scripserit pro δεκάδων. *Ol.* generationem hic numerari ad annos decem adnotat.

Ut praemunirentur contra idololatriam eo magis necesse erat, quia

quantum ad eam proni essent iam in patria satis superque ostenderant et quia clade a Babyloniis inflicta novum exsistebat periculum. Medii enim inter idololatras habitare cogebantur, cernebant pompam cultus idololatrici, exempla regis, principum, hominum ordinum omnium; cernebant prosperitatem Babyloniorum, opes, victorias, quas illi diis suis acceptas referebant; se autem victos, captivos, miseros cernebant; neque dubium esse poterit quin illis a Babyloniis illud iterum iterumque obiiceretur quod animis gentilium altissime insidebat : ecce dii nostri vicerunt deum vestrum; dii nostri nobis bona cuncta tribuunt; vestrum autem deum spoliarunt (vide quae notavi ad Is. 10,10. Am. 1,15. Mich. 7,10. Nah. 1,14. Hab. 1,16). In inscriptionibus cuneatis victorias diis referri acceptas deosque laudari qui hostes prostraverint plurimis exemplis constat. Quare ne istis periculis rationibusque seducerentur, muniendi erant et edocendi quid ibi essent visuri, ne rerum novitate et pravitate percellerentur; tela enim praevisa minus nocent. Unde v. 3 « *nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos et argenteos et lapideos et ligneos in humeris portari ostentantes metum gentibus*, v. 4 *videte ergo ne et vos similes efficiamini factis alienis et metuatis et metus vos capiat in ipsis* »! — monumento quodam in Nimrud invento sollemnis cernitur supplicatio, in qua quattuor statuae deorum et dearum humeris sacerdotum vel militum portantur; videtur ibi Bel idolum securim manu tenens altera, altera fulgur (cf. v. 14); Istar sedet in throno etc.; vide *Vigouroux*, la Bible et les déc. mod. 3 ed. IV p. 308. Deos aureos, argenteos intellige de statuis quae obducebantur laminis aureis et argenteis; aurum multum impensum fuisse ad statuas deorum exornandas, quae quandoque 40 vel 60 cubita altae fuerunt, legere poteris apud *Brunengo*, l'Impero di Babilonia e di Ninive II p. 330[1]. Idola haec gentibus *ostentant* i. e. incutiunt sacram quandam religionem, reverentiam, metum (*Mald. Lap.*); quare monentur in v. 4 graece : cavete igitur ne vos quoque assimilati alienigenis assimilemini et metus vos apprehendat propter illa, cum videatis turbas a fronte et a tergo adorantes ea. Ceterum vide Is. 46,1. Ier. 10,5. Dan. 3,1 seq.

Quomodo se armare debeant contra vanam illam deorum pompam et ostentationem, vates docet v. 5 « *visa itaque turba de retro et ab ante adorantes dicite in cordibus vestris : te oportet adorari Domine!*

---

1. In inscriptione ex tempore Assurbanipal narratur de fraude alicuius magistratus qui decem talenta sibi clam surripuit ex auro quod a rege ad statuam dei conficiendam datum erat; *Brunengo* l. c.

v. 6 *angelus enim meus vobiscum est; ipse autem exquiram animas vestras* »! — ut modo notavi, in graeco ἰδόντας ὄχλον... προσκυνοῦντας αὐτά refertur ad antecedentia; dein pergitur εἴπατε δε...; in *vulg*. dicite adorantes; « mente et cogitatione, si ore dicere non audetis » (*Mald.*). In textu latino *adorantes* non potest referri nisi ad Iudaeos; aliud in graeco; quare *Lans.* existimat in *vulg*. scribendum esse *visa turba... adorante*. Ceterum idem monet Tertullianum verba referre accurate ex graeco : cavete igitur, ne et vos consimiles sitis allophylis et timore capiamini, dum aspicitis turbas adorantes retro eos et ante, sed dicite in animo vestro : te Domine adorare debemus (Scorp. 8). Aliter iungit *S. Cyprianus :* in sensu autem tibi debet adorari Deus (de orat. dom. 5; *M.* 4,522). Duae afferuntur rationes, cur Deo suo populus constanter adhaereat : uti egredientibus ex Aegypto, ita exsulibus quoque adiutor adstat angelus Domini; cf. Ex. 32,34; 33,2; quem hic Michaelem intelligi, ex Dan. 10,13. 21 et 12,1 rite concludunt (cf. *Lap. Men. Tir. Calm. R. Loch, Troch.*). Altera ratio est, ne aliter agentes vindictam Dei incurrant; animas exquirere, hebr. בִּקֵּשׁ נֶפֶשׁ significat vitae alicuius insidiari; cf. Ex. 4,19. 1 Sam. 20,1; 22,23; 23,15 etc.; unde hoc quoque loco explica : nisi mihi honorem debitum praestiteritis, vita vestra poenam luetis. Alii explicant locutionem ex Prov. 29,10; vitam vestram defendam, vindex ero vester, si quis vos iniuria affecerit (*Mald. Lap. Men. Tir. R. Troch.*); at *quaerere animam* alicuius, uti quoque ex Ieremia manifestum est (11,21; 19,7. 9; 22,25; 34,20. 21; 38,16; 44,30; 46,26) sensu priore usurpatur, quem cur hoc loco deseras nulla reperitur ratio; e contra additis minis de supplicio extremo admonitio efficaciter fulcitur.

Cur idola nullo modo veneranda sint vel timenda, exponitur v. 7 « *nam lingua ipsorum polita a fabro, ipsa etiam inaurata et inargentata, falsa sunt et non possunt loqui* »; — i. e. habent quidem linguam; verum ea sculpta est ab artifice; ipsa per homines auro et argento sunt exornata; unde tota ex fraude et mendacio sunt composita; cf. Ps. 113,5 os habent et non loquentur. Ipsi porro cultores ostendunt idola esse contemptui habenda; nam ex una parte illa exornant quasi essent meretrices ornatus appetentissimae, ex altera parte pro arbitrio illis demunt ornamenta ea in suos usus convertentes vel iterum deos ornant rebus turpi meretricio acquisitis v. 8 « *et sicut virgini amanti ornamenta, ita accepto auro fabricati sunt,* v. 9 *coronas certe aureas habent super capita sua dii illorum, unde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum et argentum et erogant illud in semetipsos;* v. 10 *dant autem et ex ipso prostitutis et meretrices ornant, et iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos* »; — graecum verte :

et sicut virgini ornatum amanti, accipientes aurum coronas faciunt pro capitibus deorum suorum; i. e. deos suos censu et ordine habent puellarum procacium quae cultu exquisito procorum animos ad se allicere student; unde quam vilem de iis existimationem gerant patet; eundem contemptum iterum alio modo manifestant v. 9 graece: quandoque autem sacerdotes ab suis ipsorum diis auferunt aurum et argentum et in seipsos illud erogant; immo quod multo turpius est v. 10 ab iis ornamenta sumunt eaque conferunt in meretrices in lupanari constitutas; scil. ἐπὶ τοῦ στέγους. Altera pars v. 10 in graeco ita: ornant eos (deos) ut homines vestimentis, deos argenteos et deos aureos et ligneos. In *vulg.* maior exprimitur indignitas, ornamenta scil. a diis ad meretrices, iterumque a meretricibus ad deos honorandos transferri. Firmicus Maternus verba refert secundum textum graecum: ornabuntque illos ut homines vestimentis, deos argenteos et aureos et ligneos (de error. prof. relig. cap. 29; *M.* 12,1044). Graecum στέγος (vel τέγος in cod. alex. 23.26. al.) in graecitate posteriore lupanar dicit, quo sensu etiam h. l. accipiatur oportet; iam ad Num. 25,8 hebr. קֻבָּה Aquila vertit τέγος, Symmachus πορνεῖον, *vulg.* lupanar. Alii minus ad usum vocis accommodate explicant de meretricibus domesticis quas eodem secum tecto habeant (*Mald. Calm.*); at bene iam *Ol.* στέγος λέγει τὸ πορνεῖον.

Verum qui ita ornantur, se minime ab animalculis vel sordibus tueri possunt; unde quantopere sint contemnendi dii infertur v. 11 « *hi autem non liberantur ab aerugine et tinea;* v. 12 *opertis autem illis veste purpurea extergunt faciem ipsorum propter pulverem domus qui est plurimus inter eos* »; — ne a ferrugine quidem neque a minima bestiola sese defendere possunt; quamvis vestibus purpureis tamquam reges operti sint, tamen adeo sunt impotentes, ut ne pulverem quidem qui ex templo in eorum facies ascendit abstergere possint, quo multum oppleti sunt; graece: qui est πλείων ἐπ' αὐτοῖς plurimus in ipsis. Manibus quidem sceptrum gerunt et gladium; at ne a latronibus quidem se defendere possunt v. 13 « *sceptrum autem habet ut homo, sicut iudex regionis, qui in se peccantem non interficit;* v. 14 *habet etiam in manu gladium et securim, se autem de bello et a latronibus non liberat; unde vobis notum sit quia non sunt dii;* v. 15 *non ergo timueritis eos! sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt et dii illorum* »; — insigne gerunt imperii; at neminem in se peccantem punire possunt; gerunt gladium et securim [1],

(1) Notat *Lenormant*, Les premières civilisations II p. 172 : « Ce type de représentation,

quasi terrorem incutere vellent; at non valent se ipsos tutari contra bellum i. e. contra eos qui bellum iis inferunt, eos infestant hostium instar, neque contra latrones; ergo plane ridiculi sunt, cum tamquam potentissimi vitae mortisque arbitri exhibeantur et omni homine sint imbecilliores. Unde patet quam immerito iis nomen numinis potentissimi indatur. Neque enim alio in ordine habendi sunt quam vas hominis, vas ad usus humanos destinatum quod confractum sit et plane ad nihil utile. « Cum rem omnino vilem et inutilem explicare volunt Hebraei, illam proverbiali specie vas appellant confractum » (*Sanct.*); cf. Ps. 30,13 factus sum tamquam vas perditum; Ier. 22,28; 48,38. Is. 45,9.

b) **Esse deos truncos inertes 6, 16-26.**

Sedent quidem ac si maiestate praediti essent in templo; at ne pulverem quidem a se arcere valent v. 16 « *Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introeuntium* »; — domum explica cum *Alb. Sanct.* de templo, uti v. 20. 54, non de domo privata (*Lans.*), cum ubique sermo fiat de publico deorum cultu, non de penatibus vel laribus. En, ipsi cultores idolorum qui templa frequentant nihil aliud efficiunt, nisi ut pulvere excitato oculos deorum oppleant et conspurcent! Sedula autem cura includuntur in templis, sicuti scelerati omni cautela carceribus includuntur; idque necesse est fiat ne praedae sint latronibus v. 17 « *et sicut alicui qui regem offendit circumseptae sunt ianuae, aut sicut ad sepulcrum adductum mortuum, ita tutantur sacerdotes ostia clausuris et seris, ne a latronibus exspolientur* »; — qui laesae maiestatis reus est, ei omnes exitus e carcere sedulo occluduntur; qui sepulti sunt, pariter custodiuntur, ne pretiosis vestibus et ornamentis spolientur; eodem modo deos oportet tutari. In graeco una est comparatio : et sicut ei qui in regem peccavit, veluti homini in mortem acto, circumsepta sunt atria (*Mald. Vat. Lap. Men. Calm.*), ita sacerdotes templa eorum ostiis et claustris et vectibus muniunt, ne a latronibus exspolientur.

Porro quid prodest deos honorare? v. 18 « *lucernas accendunt illis et quidem multas, ex quibus nullam videre possunt; sunt autem sicut trabes in domo* »; — graece : lucernas accendunt etiam plures quam pro se ipsis. Et quam vere trabibus comparentur, ex eo elucet, quia ab animalculis corroduntur, fumo nigrescunt, hirundines, noctuae etc.

---

où Mardouk tient un sceptre court à la main, est fréquent sur les cylindres; on représente aussi Mardouk tenant à la main un glaive ou harpé ».

illis insident; v. 19 « *corda vero eorum dicunt elingere serpentes qui de terra sunt, dum comedunt eos et vestimentum ipsorum, et non sentiunt;* v. 20 *nigrae fiunt facies eorum fumo qui in domo fit;* v. 21 *supra corpus eorum et supra caput eorum volant noctuae et hirundines et aves etiam similiter et cattae* »; — graecum verte : corda eorum dicunt elingi (lingendo absumi, devorari); si vermes e terra eos et vestimenta eorum corrodunt, non sentiunt. Corda appellat interiora statuarum; medulla ligni ex qua dolata sunt idola a tineis seu vermibus corroditur (*Sanct. Mald. Lap. Troch.*); sed dum ipsi dii et vestes eorum vermibus in praedam cedunt, nihil sentiunt; eodem modo trabes a tineis et formicis corroduntur; pariter cum trabibus fumo nigrescunt et avibus immundis et felibus sedem praebent et habitaculum, quae corpus eorum et caput sordibus foedare minime verentur. Proinde sine ullo sunt sensu, stipites solum et trunci; v. 22 « *unde sciatis quia non sunt dii; ne ergo timueritis eos* »! — cf. v. 14. 15.

Porro dii ne illum quidem splendorem quem arte et industria hominum acceperunt conservare possunt v. 23 « *aurum etiam quod habent ad speciem est; nisi aliquis exterserit aeruginem, non fulgebunt, neque enim dum conflarentur sentiebant* »; — graecum ita melius vertes : auro quo circumdantur ad pulchritudinem, nisi quis aeruginem absterserit, non fulgebunt; τὸ γὰρ χρυσίον... οὐ μὴ στίλψωσιν, explica : quod attinet ad aurum, non splendescent; neque enim opus est ex indole linguae graecae cum *R.* anacoluthon statuere, cum accusativus in locutionibus similibus apud Graecos adhiberi soleat. Neque mirum est eos auri fulgorem non posse sibi conservare quia dum fiebant ne sentiebant quidem se fieri et ex metallo conflari. Inde vates opportunitatem capit simul carpendi stultitiam eorum qui metalla pretiosa impendunt, ut idolum iners ac plane inutile conficiant v. 24 « *ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis* »; — *in quibus... ipsis* explica ex hebr. אֲשֶׁר...בָּם qui hebraismus in codicibus graecis h. l. non deprehenditur; « unde coniectura est nostrum interpretem hebraicum exemplar habuisse » (*Mald.*) vel ex hebraeo transtulisse (*Lans. Lap.*) ; at potius dicendum in eo exemplari graeco quo usus sit scriptum fuisse ἐν αὐτοῖς. Sensus est : quamvis mortua sint et insensibilia, tamen quovis pretio etiam carissimo a suis cultoribus comparantur (*Malv. Mald. Lans.*); cf. Ier. 10,14. Is. 46,6 : qui confertis aurum de sacculo et argentum statera ponderatis conducentes aurificem ut faciat deum.

Non esse in eis spiritum, vitam, vim ullam demonstratur v. 25 « *sine pedibus in humeris portantur ostentantes ignobilitatem suam hominibus; confundantur etiam qui colunt ea;* v. 26 *propterea si ce-*

ciderint in terram, a semetipsis non consurgunt; neque si quis eum statuerit rectum per semetipsum stabit, sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur »; — cf. Is. 46,7. Ier. 10,5 : portata tollentur quia incedere non valent; sunt sine pedibus, quia pedes habent et non ambulabunt (Ps. 113,7) « proprium gressum non habentes » (*Alb.*); unde cum indigeant humeris aliorum, ut moveri possint, omnibus manifestam reddunt suam ignominiam. Ipsi quoque cultores eorum αἰσχύνονται de tanta eorum vilitate merito afficiuntur pudore; διὰ τὸ... *quia* si ceciderint a semetipsis non valent surgere etc.; cf. Is. 40,20 : artifex sapiens quaerit quomodo statuat simulacrum quod non moveatur et 41,7 : confortavit eum clavis, ut non moveretur; Ier. 10,4 : clavis et malleis compegit, ut non dissolvatur. Et munera illis et sacrificia offerre aeque inutile est et stultum ac si mortuo proponeres dapes et edulia; vide Dan. 14,2.

c) Despici deos a suis cultoribus 6, 27-44.

Munera et sacrificia diis oblata sacerdotes in suos usus convertunt diisque malo rerum illarum usu contumeliam inferunt quam dii a se avertere nequeunt; quod aliud est vilitatis eorum documentum; v. 27 « *Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum et abutuntur; similiter et mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt;* v. 28 *de sacrificiis eorum fetae et menstruatae contingunt; scientes itaque ex his quia non sunt dii, ne timeatis eos* »! — vide Dan. 14,12. 14.20; et quae non statim consumunt, ea mulieres sale condita asservant; ita ex graeco : similiter et mulieres de ipsis (hostiis) partem sale condiunt ταριχεύουσαι neque ulli pauperi et infirmo quidquam largiuntur (sim. *Mald. Lans. Malv. Lap. Calm.*). Ex lege mosaica peregrinus ac pupillus et vidua, servus et ancilla suas habebant partes in sollemnitatibus (Deut. 14,29; 16,11. 14) et pauperibus singulari ratione provideri voluit Deus (Ex. 23,11. Lev. 19,10; 23,22. Deut. 15,11; 24,19. 20; 26,12 etc.); quare a Iudaeis ille modus agendi sacerdotum eorumque uxorum avaritia et inhumanitas quam maxime reprehensibilis existimabatur. Eadem lege mosaica menstruae feminae et puerperae censebantur immundae ac prohibebantur tangere rem sacram; ita Lev. 12,4 de puerpera : omne sanctum non tanget nec ingredietur in sanctuarium; Lev. 15,19 seq. de menstruis. Id autem, ut *Mald.* observat, non ideo idololatris obiicitur quod illi eas caerimonias deberent observare quae solis Iudaeis traditae fuerant, sed ut ex ipsa cultorum irreverentia ostendat eos non esse deos; nam « per se indecens erat personas ita sordidas et pollutas

sacra contingere, praesertim apud Iudaeos quibus id erat abominabile » (*Lap.* sim. *Lans. Men. Tir.*). Dicitur ἀποκαθημένη, qua voce redditur דָּוָה Lev. 20,18 (mulier in fluxu menstruo, *vulg.*) Is. 30,22 (menstruata) et טְמֵאָה Lev. 15,33 et נִדָּה Lament. 1,18 (polluta menstruis, *vulg.*) Ez. 22,10 et 36,17; unde de sensu vocis dubium esse nequit; λεχώ autem est puerpera; ut *Lans.* refert explicatur a Hesychio προσφάτως τετοκυῖα recenter enixa; quare *fetam* accipe non de muliere gravida sed de muliere fetum enixa, qua significatione *feta* etiam apud latinos scriptores adhibetur, ut iam *Lans. Sanct. Calm.* bene adnotant.

« Tertium adducit mulierum in deos opprobrium, nimirum quod non verentur propriis manibus quamvis impurissimis sacrificare » (*Lans.*) v. 29 « *unde enim vocantur dii? quia mulieres apponunt diis argenteis et aureis et ligneis* »; — interrogatio est indignantis : unde tandem eos merito deos appellari discemus; num forte ex eo quod mulieres eis sacrificia faciunt? id quod Iudaeis pariter abominabile videri debuit. Item sacerdotes ea faciunt in templis idolorum quae sacerdotibus lege mosaica interdicta erant; unde iis in actionibus et in eo habitu Iudaei non poterant non videre aliquid turpe et indecens quod in deorum contemptum vertatur v. 30 « *et in domibus eorum sacerdotes sedent habentes tunicas scissas et capita et barbam rasam quorum capita nuda sunt,* v. 31 *rugiunt autem clamantes contra deos suos sicut in coena mortui* »; — sacerdotibus lege mosaica interdictum erat capita nudare et vestimenta scindere Lev. 10,6, item caput radere et barbam Lev. 19,27; 21,5. Neque orationes fundunt, sed rugiunt et vociferantur et clamant, sicut aliqui clamare solent in silicerniis et parentalibus; cf. quos clamores sustulerint prophetae Baal 3 Reg. 18, 28. In graeco v. 30 διφρεύουσιν id quod proprie significant : curru (bigis) vehuntur: at certe h. l. vox explicanda est a δίφρος : locus in curru ubi auriga et pugnator sedebant, igitur sella, sedes; atque *Syrus* et *vulg.* praebent *sedent;* cod. alex. διαφθείρουσιν, unde in versione arabica : corruptelis indulgent, id quod tamen h. l. a contextu alienum est.

Porro dii sicut trunci et lapides nihil ignominiae a se arcere possunt neque cuiquam quidquam boni praestare neque sui contemptorem punire v. 32 « *vestimenta eorum auferunt sacerdotes et vestiunt uxores suas et filios suos;* v. 33 *neque si quid mali patiuntur ab aliquo neque si quid boni poterunt retribuere, neque regem constituere possunt neque auferre;* v. 34 *similiter neque dare divitias possunt neque malum retribuere; si quis illis votum voverit et non reddiderit,*

neque hoc requirunt; v. 35 *hominem a morte non liberant neque infirmum a potentiori eripiunt;* v. 36 *hominem caecum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt;* v. 37 *viduae non miserebuntur neque orphanis benefacient* »; — de Deo dicitur : Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit; Dominus pauperem facit et ditat; suscitat de pulvere egenum (1 Reg. 2,6-8); balteum regum dissolvit et praecingit fune renes eorum (Iob 12,18); ego feci terram et dedi eam ei qui placuit in oculis meis (Ier. 27,5); mea est ultio et ego retribuam (Deut. 32,35) etc.; unde vates a contrario Iudaeis qui haec divina praeconia norunt ostendit nihil efficere posse deos. In v. 34 graece : similiter neque divitias neque χαλκόν possunt dare; χαλκὸν *aes* explica de pecunia (Marc. 12,41) vel potius de minimo quodam nummo aeneo, quia ne talem quidem dare possunt dii, id quod contemptus causa additur. *Requirere* accipe notione ulciscendi, puniendi; videat Dominus et requirat (2 Par. 24,22. Ps. 9,33. *Mald.*). At Dominus de voto praeceperat : cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum (Deut. 23,21).

Cum nihil faciant neque boni neque mali (cf. Is. 41,23), v. 38 « *lapidibus de monte similes sunt dii illorum lignei et lapidei et aurei et argentei; qui autem colunt ea confundentur;* v. 39 *quomodo ergo aestimandum est aut dicendum illos esse deos* »? — cf. Is. 41,24; 44, 11. Ier. 10,14. Membrum quod in *vulg.* ad sequentia trahitur, melius hic iam adnectitur : quomodo dici debet eos esse deos, quoniam ipsi Chaldaei deos suos despiciunt? quomodo despiciant, modo ostensum est v. 30 seq. et declaratur alio exemplo in v. 40 « *adhuc enim ipsis Chaldaeis non honorantibus ea; qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel postulantes ab eo loqui;* v. 41 *quasi possint sentire qui non habent motum et ipsi cum intellexerint relinquent ea; sensum enim non habent ipsi dii illorum* »; — graece : si vident mutum qui non loqui possit προςενεγκάμενοι τὸν Βῆλον ἀξιοῦσι φωνῆσαι, afferunt Belum et rogant ut loquatur (mutus ille), quasi possit ipse (Bel) sentire. Ita communiter vertunt (*Malv. I R. Fr.*); at verba quoque iungi possunt eo modo quo *vulg.* habet : adducunt (mutum) et rogant Belum ut loquatur mutus. In *vulg.* legi oportere *offerunt illum* scil. mutum, bene notant *Mald. Lans.;* et cum intellexerint sua idola esse sine ulla potentia, *ea relinquunt* vel ea missa faciunt (*Lap.*) vel e contemnunt (*Mald. Calm. Troch.*). Aliter in graeco : nec possunt ipsi quamvis hoc intellexerint (deos scil. esse sine ullo sensu) ea relinquere; sensum enim (vel intelligentiam) non habent i. e. « ipsi

idololatrae adeo sunt dementati et excaecati, ut cum intelligant idolorum mutorum vanitatem et stoliditatem, ea tamen ex inveterata prava consuetudine relinquere non possint » (*Lap.* sim. *Mald. Lans. Calm.*). Quem sensum ut in *vulg.* quoque habeamus, *Lans.* vult ibi legi per interrogationem : et ipsi cum intellexerint (num) relinquent ea? minime scil.; textus graecus minus est impeditus, quamvis etiam ipse sit obscurior. Sensus generatim esse videtur : quamvis nunquam experti sint ullam idolorum potentiam vel ullum beneficium, tamen pro sua mentium obcaecatione idolis caece adhaerent omni rationis sanae sensu conculcato. Idque uno illo exemplo declaratur quod Bel frustra pro muto imploratur. De Bel vide ad Is. 46,1; apud Assyrios et Babylonios vocatur Bilu, quem variis titulis exornant eum appellantes sublimem, patrem deorum, creatorem, dominum terrarum; praeter eum etiam Bel iuniorem venerabantur qui idem est ac Marduk (Merodach), deus stellae Iovis (cf. *Schrader,* Keilinschriften u. A. T. 2 ed. p. 174).

Explicuit vates quomodo deum Bel exponant ignominiae petentes ab eo quod nequit praestare. Iam sequitur, quomodo uxorem eius, deam Bilit (Mylitta, *Schrader* l. c. p. 176) cultu turpissimo mulieres venerentur v. 42 « *mulieres autem circumdatae funibus in viis sedent succendentes ossa olivarum*; v. 43 *cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximae suae exprobrat quod ea non sit digna habita sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit* »; — id tangitur quod Herodotus quoque tamquam τὸν αἴσχιστον τῶν νόμων traducit (1,199), lege statuta unamquamque feminam debere semel in vita se in honorem deae prostituere; illas sedere cum coronis in capite in loco deae sacro, donec aliquis ex peregrinis ad scelus invitet; de qua re *Scholz,* Goetzendienst p. 253; *Vigouroux* l. c. p. 157. Obscurum est quae notio h. l. insit voci σχοινία, *funes* vertit *vulg.*; *Ol.* quidem quem multi sequuntur intelligit περιζώματα, subligacula; unde funem dirumpere in v. 43 esset idem quod zonam solvere; at valide obstat quod σχοινίον ea significatione nunquam adhibetur. Retinenda erat nativa vocis significatio; id quod eo facilius fieri poterit quia quod Herodotus dicit στέφανον περὶ τῇσι κεφαλῇσι ἔχουσαι θώμιγγος · πολλαὶ γυναῖκες funiculum capiti circumvolutum per modum coronae aperte describit. Tali igitur vinculo vel diademate capiti circumligato sese profitebantur adhuc alligatas legi illi vel se

---

(1) « Einen Kranz aus Stricken als Symbol der Gebundenheit und des Dienstes den sie der Goettin schulden »; *Stein,* Herodot erklaert; Berlin 1883.

ligatas deae et obligatas ad cultum illum turpissimum. Re vero peracta funiculus ille rumpebatur. Dum autem sedent exspectantes, adolent furfura (ita ex graeco) « Veneri fortasse vel alteri numini quod lenociniis praesit » (*Ol.*); considerabatur eiusmodi suffimentum tamquam philtrum habens vim magicam ad amorem excitandum; ita explicant *Sanct. Lap. Lans.* qui locum quoque ex Theocrito affert ad eam rem demonstrandam; eodem modo *Calm.* et recentiores *R. Fr.* Quod *vulg.* habet *ossa olivarum,* inde explicatur quod πίτυρα furfura, πιτυρίδες olivae tritae (olivarum nuclei?) sunt. Quanta procacitate et impudentia mulieres sese dedant sceleri, describitur v. 43 : quae primo invitatur ad flagitium, de ea re gloriatur et alteri exprobrat quod ipsa non sit digna habita. Ergo ex rei turpitudine et ignominia cultus abominabilis concludant quanto contemptu dii sint digni.

Demum proponit quid ex antecedentibus necessario inferri debeat v. 44 « *omnia autem quae illis fiunt falsa sunt; quomodo aestimandum aut dicendum est illos esse deos* »? — τὰ γενόμενα ἐν αὐτοῖς i. e. ipsa idola et totus eorum cultus mendaciis et fraudibus continentur hominesque in errores maxime perniciosos inducunt; cf. v. 7. 15. Ier. 10, 14.

d) **Ab hominibus fiunt et salvantur idola 6, 45-58.**

Idola ortum suum debent artificibus et talia formantur et sunt qualia illi volunt v. 45 « *A fabris autem et ab aurificibus facta sunt; nihil aliud erunt nisi id quod volunt esse sacerdotes* »; — sacerdotes scil. formam dei et insignia determinant; unde deus talis exsistit qualem vult sacerdos; graece τεχνῖται artifices formam dei determinant et qui sunt ipsi illi fabricatores deorum? v. 46 « *artifices etiam ipsi qui ea faciunt non sunt multi temporis; numquid ergo possunt ea quae fabricata sunt ab ipsis esse dii* »? — ostendit idolorum vanitatem ab artificibus (*Alb.*); hi sunt homines infirmi, brevi tempore spirantes, quomodo ergo deos condere possunt qui immortales et aetern. esse debent? Similiter Is. 44,14-20. Ier. 10,9. Unde fabricatores deorum nihil aliud nisi fraudem et opprobrium hominibus relinquunt v. 47 « *reliquerunt autem falsa et opprobrium postea futuris* »; — i. e. posteris; cf. Ier. 10,14. 15. Quam falso existimentur dii, ostenditur eo quod solum ab hominibus periculo eripi possunt; v. 48 « *nam cum supervenerit illis proelium et mala, cogitant sacerdotes apud se ubi se abscondant cum illis;* v. 49 *quomodo ergo sentiri debeant quoniam dii sunt, qui nec de bello se liberant neque de malis se eripiunt* »? — cf. v. 14. 17; melius in graeco et ad arguendum effi-

cacius v. 49 : πῶς οὖν οὐκ ἔστιν αἰσθέσθαι; quomodo ergo non manifestum et perspicuum est et manibus palpari potest eos non esse deos (*Mald. Lans. Men.*); vel quomodo fieri potest, ut non statim ab omnibus deprehendatur eos esse plane inanes? Is. 44,18 : obliti sunt ne videant oculi eorum et ne intelligant corde suo; cor insipiens adoravit illud.

Fraus illa et mendacium idololatriae tandem aliquando innotescet omnibus; deorum enim interitum gentibus annuntiari iam alias vates iussit Ier. 10,11; idem hic quoque enuntiat v. 50 « *nam cum sint lignea, inaurata et inargentata, scietur postea quia falsa sunt ab universis gentibus et regibus, quae manifesta sunt quia non sunt dii, sed opera manuum hominum et nullum Dei opus cum illis;* v. 51 *unde ergo notum est quia non sunt dii, sed opera manuum hominum et nullum Dei opus in ipsis est* »? — veritas tandem vincet, mendacium superabitur et disparebit; cf. Zach. 13,2. Nullum Dei opus i. e. quod proprium sit numinis potentis et benefici est in illis, nihil efficere possunt. In v. 51 legi oportebit cum codice alex. aliisque (XII. 33. 48. 49. al. *Fr.*) τίνι οὖν οὐ γνωστέον cui igitur ignotum esse potest eos non esse deos? Frequenter vocantur opera manuum hominum, qua appellatione stultitia idololatriae perstringitur aeque breviter atque efficaciter; Is. 2,8. Ier. 1,16; 10,9. Os. 14,4. Mich. 5,12. Quo sensu vere dici potest eos adorasse deos aureos et ligneos, vide quae adnotavi in Comment. Isaiae II p. 163.

Nullum opus quod Dei proprium sit ab iis edi, exemplis demonstrat v. 52 « *regem regioni non suscitant neque pluviam hominibus dabunt;* v. 53 *iudicium quoque non discernent neque regiones liberabunt ab iniuria, quia nihil possunt sicut corniculae inter medium coeli et terrae* »; — ea affert vates quae a contrario Deo in s. litteris adscribuntur frequenter; ipse enim reges constituit; cf. Gen. 17,6. 16; 49,10. 1 Reg. 2,10; 15,23. 26; 16,1. 2 Reg. 7,14. 3 Reg. 14,14. Prov. 8, 5. Iob 36,7 : reges in solio collocat in perpetuum; pluviam a Domino dari, vide Lev. 26,3. Deut. 11,14; 28,12. 1 Reg. 12,17. 3 Reg. 8,36. Ier. 5,24; 10,13 etc. Ius quoque et iudicium administrat et populum suum ab hostibus oppressum saepe liberavit, cuius rei testimonia exstant luculenta in libris Iudicum, Regum etc. In v. 53 graece legitur ἑαυτῶν unde sibi ipsi non possunt ius procurare, suam tueri causam nesciunt; alii tamen codices (alex. XII. 49 etc.) ferunt αὐτῶν, atque melius contextui congruit : non agunt tamquam iudices hominum, eorum lites dirimere nequeunt, uti v. g. Deus iudicavit Core, Dathan et Abiron vel Ozam vel Azariam regem aliosque (*Mald. Lap.*).

In graeco legitur οὐδὲ μὴ ῥύσωνται ἀδίκημα, id quod varie explicant : non propulsabunt iniuriam (*Mald.*), non possunt bonum sibi ereptum servare (*Fr.*); at hae explicationes ab usu communi verborum nimium recedunt; facilis est lectio ἀδικούμενον quam cod. alex. aliique et *Syrus* praebent. Forte interpres legit עֹשֶׁק (cf. Lev. 6,4 LXX ἀδίκημα. Ier. 22,17) pro עָשׁוּק (Deut. 28,29 ἀδικούμενος, item Ps. 102,6; 145,7). Non magis iuvare possunt quam corniculae quae exterritae volitant inter coelum et terram et praeter clamorem nihil habent (*Mald.*), sunt enim, quamvis videantur robustae, imbelles, infirmae admodum et imbecilles et cum hostis adest primo pugnae initio cedunt ac succumbunt (*Tir. Lap.*); vel quod *Calm.* placet, dii rerum humanarum ignarissimi sunt neque quidquam seu bene seu male movere queunt, non secus atque cornices in aere errantes. Alii mentionem iniiciunt e volatu et crocitatione cornicum auguria esse petita; unde comparationem eo inflectunt, ut dii non magis scire dicantur quid dicant quam corniculae (*Lans. Sanct.*). Avem esse immundam *Ol.* monet; proverbialem locutionem de re molesta ac futili quaeque cum multa promittat eaque assidue et cum clamore venditet nihil tamen praestat, insuper ibi deprehendit *Sanct.*, quibus omnibus comparatio in contemptum deorum vertitur atque quam impotes sint declaratur.

Neque alios neque se ipsos iuvare possunt. Iam declaratur quo tendat comparatio instituta v. 54 « *etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum et aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient et liberabuntur; ipsi vero sicut trabes in medio comburentur;* v. 55 *regi autem et bello non resistent; quomodo ergo aestimandum est aut recipiendum quia dii sunt* »? — graece ὥσπερ δοκοὶ μέσοι κατακαυθήσονται, explica sicut Dan. 14,55. 59 πρίσαι σε μέσον, σχίσει σε μέσον scindat te medium, secet te medium (*R. Fr.*), non de trabibus quae media in domo sint. Domum intelligi templum patet; vide v. 12. 16. 20; v. 55 regi et πολεμίοις inimicis non resistunt; v. 56 « *non a furibus neque a latronibus se liberabunt dii lignei et lapidei et inaurati et inargentati, quibus hi qui fortiores sunt* v. 57 *aurum et argentum et vestimentum quo operti sunt auferent illis et abibunt, nec sibi auxilium ferent,* v. 58 *itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam, aut vas in domo utile in quo gloriabitur qui possidet illud, vel ostium in domo quod custodit quae in ipsa sunt, quam falsi dii* »; — cf. v. 14; *lapidei* in graeco non legitur; graecum intelligi potest vel : quorum aurum... et vestimentum iis circumpositum auferunt fortes, abeunt habentes, vel : in quos hi qui potestatem exercent (ἰσχύοντες) auferunt... proinde qui furantur et diis iniuriam inferunt

diis sunt potentiores. Demum in v. 58 aliis comparationibus ad oculum demonstratur quam inutiles sint dii; melius est quodvis vas in domo quo *utitur* (graece) homo, melior porta domus qua ea quae in domo sunt revera custodiuntur; satius etiam est esse ligneam columnam ἐν βασιλείοις in palatiis regiis quam falsos deos; quod membrum ultimum in graeco legitur. Ad has comparationes prima illa de rege ostentante ἀνδρείαν fortitudinem suam non satis consentanea videtur. Fortasse in textu originali ita erat scriptum, ut haec pars ad antecedentia referretur : non sibimetipsis auxilium ferunt, sicut decet regem, vel sicut rex suam ostendit fortitudinem (*R.*); cum dii etiam appellentur reges, ea comparatio in v. 57 suo loco additur, ut ostendatur quam ridiculum sit eos titulis eiusmodi honorare.

e) **Omnium rerum vilissimum esse idolum 6, 59-72.**

« Idola, inquit, neque splendent ut sol et luna, neque activa sunt ut ignis et ventus; quodsi haec specie et virtute incomparabiliter illis praestantia dii non sunt, quomodo ipsa pro diis habenda sunt »? ita *Ol.* v. 59 « *Sol quidem et luna ac sidera cum sint splendida et emissa ad utilitates obaudiunt;* v. 60 *similiter et fulgur cum apparuerit perspicuum est; idipsum autem et spiritus in omni regione spirat;* v. 61 *et nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo perambulare universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis;* v. 62 *ignis etiam missus desuper ut consumat montes et silvas facit quod praeceptum est ei; haec autem neque speciebus neque virtutibus uni eorum similia sunt* »; — i. e. astra lucent hominique Deo iubente utilitatem afferunt; etiam fulgur iucundum est visu; ita explica vocem εὔοπτος (cf. *Wahl,* clavis); fulgur quoque a Deo missum splendore, celeritate, vi animos hominum admiratione afficit Deique potentis notionem ingerit; *idipsum* i. e. similiter venti Deo obsequentes in omni regione spirant et nubes eius imperio obsequuntur; ignis quoque se praebet ministrum vindici Deo; idola vero neque pulchritudine neque vi et efficacia uni ex illis similia sunt. Quare patet conclusio v. 63 « *unde neque existimandum est neque dicendum illos esse deos, quando non possunt neque iudicium iudicare neque quidquam facere hominibus;* v. 64 *scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos!* v. 65 *neque enim regibus maledicent neque benedicent;* v. 66 *signa etiam in coelo gentibus non ostendunt neque ut sol lucebunt neque illuminabunt ut luna* »; — i. e. non facient reges felices vel infelices (*Lap.*); reges autem potius nominat quam alios homines, quia quamvis in omnibus hominibus maxime tamen in regibus gubernandis cernitur Dei providentia;

ipse enim confert, conservat, amplificat vel minuit, debilitat, tollit regna, ut indicavit supra v. 33. 52 et Iob 12,18 et Dan. 4,14 aliisque Scripturae locis significatur (*Mald.*); ad v. 66 vide Ier. 10,2; « dii signa in coelo non ostendunt sicut fecit Iosue solem et lunam stare per Dei veri invocationem, Isaias solem retrocedere » (*Alb.*); cf. Ex. 9,23; 19,16. 1 Reg. 7,10; 12,17. 18. Ps. 96,4.

Immo idola bestiis quoque sunt inferiora et deteriora multo v. 67 « *bestiae meliores sunt illis quae possunt fugere sub tectum ac prodesse sibi;* v. 68 *nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii; propter quod ne timeatis eos* »! — sibi prodesse possunt bestiae, dum fugiunt, i. e. se periculo subtrahere possunt, se salvare fuga (graece); de diis autem cf. v. 14. 26. 38. 49. 54. 56. 57; colligitur v. 68 iam omni modo et multiplici consideratione innotuisse quam ridicula sint idola. Quare quam inutilia sint, alia comparatione proponitur v. 69 « *nam sicut in cucumerario formido nihil custodit, ita sunt dii illorum lignei et argentei et inaurati;* v. 70 *eodem modo et in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet; similiter et mortuo proiecto in tenebris similes sunt dii illorum lignei et inaurati et inargentati* »; — eiusmodi formidini enim aves quoque mox assuefiunt, illi insident et ea comedunt propter quae posita erat; quare formido illa ab ipsis avibus ludibrio habetur. Huiusmodi terricula aeque inutilia ac ridicula dii sunt; ad summum sicut illa pro brevi tempore aves terrent, dii pro opinione superstitiosorum hominum aliquem terrorem inanem incutiunt; neque tamen ipsi incutiunt, sed stulta hominum superstitio sibi ipsis. Porro dii sunt sicuti *rhamnus* (graece), sicuti frutex, qui nihil sentit, neque aves insidentes seque foedantes arcere potest; demum similes sunt cadaveri in locum tenebricosum, in sepulcrum proiecto, quod nihil sentit et insuper corruptioni et foetori obnoxium est.

Denique sicuti ultima comparatione iam indicatur, eo quoque falsa deorum religio aperte demonstratur, quia et vestimenta idolorum et ipsa idola putredini et corruptioni subiiciuntur v. 71 « *a purpura quoque et murice quae supra illos tineant scietis itaque quia non sunt dii; ipsi etiam postremo comeduntur et erunt opprobrium in regione* »; — graece ἀπὸ τῆς πορφύρας καὶ τῆς μαρμάρου τῆς ἐπ' αὐτοὺς σηπομένης; μάρμαρος explicari debet de panno nitido rutiloque marmoris instar, de panno rubro colore tincto vel splendido, uti vocem ex Hesychio *Lans.* explicat et sim. *Mald. Lap. Calm.;* quae explicatio certe praeferenda est ei quam *Grotius, Troch.* sequuntur legentes μαργάρου, margaritae; sed num margaritae putrescunt?! Vocem *tineant* explica a tinea; « interpres significare voluit : tineis agentibus corrumpun-

tur...; videtur igitur loci sensus esse : scietis quoque non esse deos (nam *itaque*[1] ut graece non legitur, ita videri possit superfluere) vel a vestibus purpura muriceque tinctis quas induuntur et gestant quibus etsi splendidissime sint ornati non valent tamen eas, etiam dum suo corpori sunt impositae, servare integras, quin tineis occupantibus marcescant ac putrescant » (*Lucas* brugensis). Ipsi quoque dii exeduntur, ita ut omnibus sint irrisionis materia; « omnes enim rident, cum vident aliquod idolum semiexesum, sine naribus aut sine oculis aut sine capite » (*Mald.* sim. *Lap. Tir.*); unde pro ipsis eorum cultoribus opprobrium enascitur et irrisio. Quare omni ex parte verum esse convincitur quod Isaias saepius monet : confundantur confusione qui confidunt in sculptili (cf. Is. 1,29; 42,17; 44,11; 45,16. Ier. 10,14).

Unde concluditur v. 72 « *melior est homo iustus qui non habet simulacra; nam erit longe ab opprobriis* »; — est meiosis; « plus enim vult intelligi quam dicit; non enim hoc tantum iusti consequentur ut opprobriis et tormento mortis careant, sed illud etiam quod maximum est, ut Deo summo infinitoque bono fruantur » (*Mald.*).

Quo melius perspiciatur vis argumentorum quibus vates stultitiam idololatriae demonstrat atque perstringit, utile erit advertere apologetas primorum saeculorum rei christianae eadem uti argumentatione contra idololatras. De qua re aliqua iam notavi ad Is. cap. 44. Alia quaedam hic adiungam. Et primo quidem eodem modo asserunt ipsa idola lignea, argentea... pro diis haberi, adorari, fieri ab artificibus pravis atque pessimis moribus corruptis. Ita v. g. Tertullianus : « in metalla damnamur; inde censentur dii vestri... sed plane non sentiunt has iniurias et contumelias suae fabricationis sicut nec obsequia » (Apologet. 12; *M.* 1,341. 342). Arnobius : « quaenam est ratio, ut si omnia haec corpora (aurum, lignum, lapides etc.) intacta atque infecta permanserint, careant vi numinis atque auctoritate coelesti; ea formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia, continuo dii fiant et in ordinem coelitum referantur et censum? novitatis aliquid fictio corporibus his addit, ut adiectione ipsa cogamini aliquid eis credere divinitatis maiestatisque collatum? ... Itaque immemores atque obliti simulacrorum substantiae atque originis quae sit, rationale homines animal et sapientiae munere consiliique donatum coctilibus testis succumbitis, aeris laminas adoratis, elephantorum a dentibus secundas poscitis valetudines, magistratus, imperia, potestates, victorias, acquisitiones, lucra, messes opimas feracissimasque vindemias » (adv. gentes 6,15. 16; M. 5,1195 seq.). Similiter de adoratione ac confectione deorum loquuntur S. Iustinus, apolog. 1 n. 9; M. 6,340;

---

1. *Mald.* proponit lectionem *utique* tamquam qua sensus magis reddatur consequens.

Theophilus, ad Autolyc. 2,2; *M.* 6,1048; Clemens alex., cohort. ad gentes cap. 4; *M.* 8,141 seq.

Dein eodem modo inanes esse deos demonstrant ex modo quo fiunt, ornantur, custodiuntur, spoliantur a furibus, comburuntur, a bestiis male habentur; v. g. Arnobius : « simulacra ista quae vos terrent quaeque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, aera sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso, ex ornatibus fortasse meretriciis aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus aut ex indici animalis dente, ex caccabulis, ollulis, ex candelabris et lucernis aut ex aliis obscoenioribus vasculis congesta, conflata, in has species ducta sunt atque in formas quas cernitis exierunt... ita iste non error est? non, ut proprie dicatur, amentia, deum credere quem tute ipse formaris? supplicare tremebundum fabricatae a te rei »? l. c. 6,14; *M.* 5,1195. Et idem 6,20 : « et tamen, o isti, si apertum vobis et liquidum est, in signorum visceribus deos vivere atque habitare coelites, cur eos sub validissimis clavibus ingentibusque sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque huiusmodi rebus custoditis, conservatis atque habetis inclusos, ac ne forte fur aliquis aut nocturnus irrepat latro, aedituis mille protegitis atque excubitoribus mille?... si fiditis deos istic esse nec ab signis uspiam simulacrisque discedere, permittite illis curam sui, reserata sint semper atque aperta delubra, ac si quid a quopiam temeraria fuerit fraude subreptum, vim numinis monstrent ». Dein exemplis demonstrat, idola esse spoliata et variis affecta contumeliis plane impune; ita Antiochum cyzicenum Iovem aureum quindecim cubitorum ex delubro sustulisse et substituisse fucatum ex aere bracteolis; nec Iovem iniuriam esse persecutum; Dionysium iuniorem spoliasse Iovem velamine aureo, pro illo subdidisse laneum iocularibus facetiis ludentem, cum esse illud in rigoribus algidum, hoc vaporum, onerosum illud in aestatibus diceret, hoc rursus sub ardoribus flabile; item Aesculapium spoliatum esse barba amplissima, boni ponderis et philosophicae densitatis, cum facinus esset indignum ex Apolline procreatum patre levi et glabro simillimoque impuberi ita barbatum filium fingi (l. c. 21; *M.* 5,1205). Similia refert etiam Lactantius, divin. instit. 2,4; *M.* 6,273.

Eodem modo arguunt deos, uti latrones, ita etiam incendii pericula et damna minime effugere posse. Arnobius : « cum Capitolium toties edax ignis absumeret, Iovemque ipsum capitolinum cum uxore corripuisset et filia, ubinam fulminator tempore illo fuit, ut sceleratum illud arceret incendium et a pestifero casu res suas ac semet et cunctam familiam vindicaret? Ubi Iuno regina, cum inclytum eius fanum sacerdotemque Chrysidem eadem vis flammae argiva in civitate deleret? Ubi Serapis aegyptius, cum consimili casu iacuit solutus in cinerem cum mysteriis omnibus atque Iside? ubi Liber Eleutherius cum Athenis? ubi Diana cum Ephesi? ubi dodonaeus Iupiter cum Dodonae? ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque praedonibus et spoliatus ita est et incensus, ut ex tot auri ponderibus quae infinita congesserant saecula nec unum quidem habuerit

scripulum quod hirundinibus hospitis[1], Varro ut dicit Menippeus, ostenderet? Infiniti operis res esset in toto orbe describere quae sint fana convulsa terrae motibus et tempestatibus, quae incensa ab hostibus, quae ab regibus et tyrannis, quae antistites et sacerdotes ipsi suspicione aversa nudaverint, quae ad ultimum fures » etc. l. c. 23; *M*. 5,1208 seq. Atque Lactantius : « adorant ergo mortalia ut a mortalibus facta. Frangi enim, cremari, perire possunt. Nam et tectis vetustate labentibus saepe comminui solent et consumpta incendio dilabuntur in cinerem et plerumque (nisi sua illis magnitudo subvenerit aut custodia diligens sepserit) in praedam furibus cedunt. Quae igitur insania est ea timere pro quibus aut ruinae aut ignes aut furta timeantur? quae vanitas aliquam ab his sperare tutelam quae tueri semetipsa non possunt? quae perversitas ad eorum praesidia decurrere quae ipsa cum violantur inulta sunt nisi a colentibus vindicentur »? l. c. 2,4; *M*. 6,269. Neque illud Lactantius omisit monere aves insidere simulacris, nidificare, inquinare l. c. 268.

---

1. Recentissime qui edidit Arnobium, *Reifferscheid*, ita legit : hospitium, Varro ut dicit set Menippeus (p. 234. Vindobonae 1885).

A. M. D. G.

INDEX

COMMENTARIUS IN DANIELEM

PROLEGOMENA 1

I De Daniele eiusque munere 1
II De argumento libri 11
III De unitate libri 17
IV Qua aetate liber sit compositus 20
V Quae ferantur indicia iunioris originis 38
VI De versione LXX 45
VII De partibus deuterocanonicis 50
VIII De praecipuis commentariis 57

Daniel in aula regis eruditus Cap. 1 65

PRIOR PARS. Cap. 2-6 77

1. *Regis somnium de regnis* Cap. 2 77

a) Confunduntur magi 2,1-13 77
b) Daniel somnium regis patefacit 2,14-35 83
c) Daniel somnium interpretatur 2,36-49 88

2. *Tres iuvenes in fornace* Cap. 3 101

a) Statua erigitur 3,1-6 102
b) Iuvenum pietas et fortitudo 3,7-23 108
c) Oratio Azariae 3,24-45 113
d) Canticum trium iuvenum 3,46-90 121
e) Rex potentiam Dei admiratur 3,91-97 130

3. *Somnium et insania regis* 3,98-4,34 133

a) Somnium regis 3,98-4,15 137
b) Interpretatio somnii 4,16-24 146
c) Regis amentia et sanatio 4,25-34 152

4. *Baltassar regis convivium et caedes* Cap. 5 156

a) Convivium regis et scriptura in pariete 5,1-12 160
b) Scriptura explicatur 5,13-31 165

5. *Daniel in lacum leonum coniectus servatur* Cap. 6 176

a) Danieli insidiae parantur 6,1-17. 176
b) Daniel servatur, Deus honoratur 6,18-28. 183

ALTERA PARS. Cap. 7-12. 187

1. *Primum oraculum de quattuor regnis* Cap. 7. 187

a) Visio quattuor bestiarum 7,1-8. 188
b) Iudicium Dei et regnum 7,9-14.. 194
c) Visio declaratur 7,15-28 197

2. *Visio de secundo regno et tertio* Cap. 8 207

a) Visio de ariete et hirco 8,1-14. 208
b) Visio ab angelo explicatur 8,15-27. 216

3. *Oraculum de septuaginta hebdomadis* Cap. 9 222

a) Oratio pro peccatis 9,1-14 223
b) Implorat Dei misericordiam 9,15-19 227
c) Edocetur de tempore bonorum messianorum 9,20-24 229
d) Tempus Messiae eiusque mortis determinatur 9,25-26. 244
e) Novo foedere tollitur vetus 9,27 259
f) De interpretatione messiana 262
g) De explicatione eschatologica 266
h) De explicatione non messiana 269

4. *Vaticinia de tertio regno* 10,1-12,13 275

a) Occasio et modus apparitionis angeli 10,1-11 276
b) Angelus vatem solatur 10,12-11,1 280
c) De initiis regni Graecorum 11,2-4 287
d) De bellis inter reges Aegypti et Syriae gestis 11,5-20 290
e) De rege persecutore 11,21-45 300
f) De victoria populi Dei 12,1-4.. 316
g) Epilogus oraculorum 12,5-13.. 320

Historia Susannae Cap. 13 325

a) Susanna uxor egregiae virtutis 13,1-27. 326
b) Falsum de ea testimonium 13,28-44 333
c) Eius innocentia patefit 13,45-64 336

Bel et draco 13,65-14,42 342

a) Bel 13,65-14,21 343
b) Draco 14,22-42 350

Addenda 355

COMMENTARIUS IN LAMENTATIONES

PROLEGOMENA . . . 361

I De argumento et forma . . . 361
II Quis sit auctor . . . 367
III De commentariis . . . 375

1. *Primum carmen* Cap. 1 . . . 377

a) Deploratur populi deiectio 1,1-11 . . . 378
b) Sion suam deflet miseriam 1,12-22 . . . 384

2. *Carmen alterum* Cap. 2 . . . 391

a) Multiplex poena divinitus inflicta 2,1-10 . . . 391
b) Commiseratio de miseria 2,11-17 . . . 397
c) Obsecrandus est Deus 2,18-22 . . . 400

3. *Carmen tertium* Cap. 3 . . . 403

a) Calamitates multipliciter describuntur 3,1-18 . . . 404
b) Cur spem concipere oporteat 3,19-39 . . . 408
c) Dei misericordia est imploranda 3,40-66 . . . 414

4. *Carmen quartum* Cap. 4 . . . 418

a) Quantopere deiecti sint a pristina felicitate 4,1-10 . . . 418
b) Causae poenarum exponuntur 4,11-22 . . . 421

5. *Oratio Ieremiae prophetae* Cap. 5 . . . 426

COMMENTARIUS IN BARUCH

PROLEGOMENA . . . 435

I De libri auctore . . . 435
II Quae potissimum obiiciantur . . . 438
III De ipso libro . . . 443
IV De epistola Ieremiae . . . 447
V De commentariis . . . 450

Prooemium 1,1-14 . . . 451

PRIOR PARS. 1,15-3,8 . . . 460

a) Confessio peccatorum 1,15-2,10 . . . 460
b) Dei misericordiam efflagitant 2,11-35 . . . 464
c) Supplicationem precibus impensis concludunt 3,1-8 . . . 473

ALTERA PARS. 3,9-5,9 . . . 477

a) Homo per se nequit attingere sapientiam 3,9-28 . . . 478
b) Ubi sit sapientia 3,29-4,4 . . . 485
c) Ierusalem alloquitur exsules 4,5-29 . . . 490
d) De instauratione praeclara 4,30-5,9 . . . 496

EPISTOLA IEREMIAE 501

a) Idola esse plane impotentia 6,1-15. 502
b) Esse deos truncos inertes 6,16-26 507
c) Despici deos a suis cultoribus 6,27-44 509
d) Ab hominibus fiunt et salvantur idola 6,45-58. 513
e) Omnium rerum vilissimum esse idolum 6,29-72 516

Lege p. 409 lin. 29 שׂיה pro שׂית.



